This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



THE GIFT OF
THE TAPPAN PRESBY-
TERIAN ASSOCIATION

BS
1556
.V46
1768

902

HERMANNI VENEMA

DISSERTATIONES

AD

VATICINIA DANIELIS

EMBLEMATICA

CAP. II, VII, ET VIII.


ET

COMMENTARIUS

AD

DAN. XI: 4--45 ET XII: 1--3.

Editio ſecunda correctior & auctior.



LEIDÆ ET *LEOVARDIÆ*,

Apud JOH. LE MAIR & H. A. DE CHALMOT, 1768.

gift
Tappan Presb. Ass.
3-14-1932

BENEVOLO LECTORI

P. S. D.

H. VENEMA.

Dum altera vice in lucem prodit Commentarius ad Danielem, Diſſertationes ad viſa ejus emblematica & ad cap. XI *ac* XII. *complexus, paucis, præter dicta in Præfationibus ſuperioribus, quas integras reliqui in hac etiam nova editione, Tecum abſolvam, illud tantum enarraturus, quod in iterata editione præſtitum eſt. Nihil hic mutatum eſt, vitia quædam typographica ſublata ſunt; nova alicujus momenti commiſſa ad calcem emendata; quorum minor fuiſſet copia, ſi meis fuiſſent omnia ſubjecta oculis. Hic illic quædam addita ſunt, partim ad finem inter addenda, partim textui inſerta; cujus diverſitatis ratio eſt, quod multa, me inſcio, fuerint impreſſa. Denique typis elegantioribus non tantum ornatior eſt editio, ſed & triplice indice, locorum Script. S., verborum & rerum, perite concinnato a Viro Pl. Rev. & erudito, qui egregium nuper peritiæ ſuæ dedit ſpecimen in Bibliotheca Hagana Cl. Barkey, daturus mox novum,* TIB. DE BAAR *V. D. M. Witmarſumi fideliſſimo, locupletior ac utilior. Dabam Franequeræ Ipſis Kalendis Octobris* CIↃIↃCCLXVIII.

BENEVOLO LECTORI

P. S. D.

H. VENEMA.

Haſce ad Diſſertationes, quæ optimæ notæ Juvenibus noſtræ Academiæ, materiam exercitii præbuerunt, cum animum adpuli conſcribendas: eas uberiori ad Danielem Commentario præmittere viſum fuerat. Sed, cum ſub manibus ita creverint, ut Commentarii ad hanc Divini libri partem vices tenere queant, propoſitum mutavi, easque in lucem prodire, æquique Lectoris judicium experiri, juſſi. Aequos non reformido Lectores: diſſentientes non tantum fero, ſed, qui rectiora docuerint, maximi facio. Veritatem unice quæro, a partibus plane alienus. Judicium meum ſecutus ſum: in aliorum cogitatis refellendis modeſtiæ limites non migravi. Libertatem ſumpſi, quam mihi competere putavi, & aliis dare conſtitui. Tritam viam deſerui, & ſemitam feci, non temere, ſed evidentia adductus. De quo ſit penes veri, & verbi Prophetici, ſtudioſum lectorem judicium. Iniquos judices, qui me & mea, vel palam, vel tecte, carpere, & nomini meo obtrectare ſolent, quales non deeſſe novi, ſicut hucusque ſprevi, ita ſuas ſibi res habere in poſterum ſinam; cum nemini magis quam ſibi & conſcientiæ noceant. Commentarium

ad

ad cap. XI & XII, paratum licet, aliquandiu premere decrevi, donec de harum Diſſertationum fato conſtiterit. Ceterum prodeunt, quemadmodum in Academia ventilatæ, &, cura ac impenſis Bibliopolarum, ſupra ſtatutum Academicarum numerum impreſſæ ſunt. Quæ ratio eſt, quare ſine *ſummis*, *lemmatibus* & *indicibus*, quibus etiam peritus lector minus indigebit, in publicum dentur. Vale, & conatibus noſtris, non cramben ſæpius recoctam adponendi, ſed ſacram ſcientiam, quantum pote, augendi, fave. Franequeræ, ipſis Kalendis Aprilis, MDCCXLV.

BENEVOLO LECTORI

P. S. D.

H. VENEMA.

A litibus, inprimis Theologicis, quæ illud Pauli, *verum ſectari cum charitate*, deſtruunt, per naturam non ſolum, ſed & gratiam Dei, alienus, contra vitilitigatores, qui in meo nomine lacerando laureolam quærunt, contraque vitio creatos cenſores, ſecurus, bona fretus conſcientia, *minimi faciens, de me ab illis, vel omnino humana die judicari; cum, qui de me judicium facturus eſt, Dominus ſit:* totus a longo ad Scripturæ, quæ ſola *ſapientem reddit ad ſalutem*, in ſpecie Propheticæ, tanquam *lucernæ in obſcuro loco lucentis, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris*, ſtudium me verti; eo etiam ſcopo, ut viam ad veriorem & ſolidiorem ejus intellectum vel pandam, vel eam inveniendi occaſionem præbeam aliis. Cujus haud unum ſpecimen dedi, novum hoc tecum, B. L., communico. In quo ſi, quod ſecutus ſum, fuerim adſecutus, tantam inter prophetiam & hiſtoriam eſſe convenientiam adparebit, ut *Sancti Spiritus inſtinctu ductum fuiſſe huncce virum divinum*, adeoque *Scripturam eſſe divinitus inſpiratam*, luce meridiana clarius eluceſcat. Auto-

rem

rem enim hujus vaticinii ſpurium eſſe, & poſt rerum eventus vixiſſe, Porphyrio, qui illud ſtatuere neceſſe habuit, ſi condonetur, nunc nemini, qui reprobæ non fuerit mentis, ſeſe adprobabit; utique, poſt tot Doctorum demonſtrationes, veritatem hujus libri Danielis adſtruere velle, vanum foret. Prodiit commentarius eadem occaſione, qua *Diſſertationes* ad *viſa Danielis*, per disputationes Academicas; & eadem quoque methodo concinnatus eſt. Senſum litteralem & hiſtoricum, ejusque emphaſin, indagavi, & cum hiſtoria, ex ipſis fontibus hauſta, comparavi. Excurſus omnes vitavi: eruditionis, & multæ lectionis, non captavi laudem: modeſtiœ limites in aliorum cogitatis refutandis, meisque ſtabiliendis, non exceſſi: nec majorem mihi ſumſiſſe putem libertatem, quam perſonæ & ætati meæ convenit. Quid vero præſtiterim, Tu, velim, pro æquitate tua judices: lapſus ne inſecteris, minus muscas captes, ſed errores corrigas, & amice monſtres: hominem invenies nec litigioſum, nec ſuffenum; qui diſſentientes facile tolerat, rectiora docentes, & meliora monentes, lubens audit; veritatis in omnibus, ſi quis ullus, ſtudioſus, ſed a partium ſtudio alienus, nec amator *zelotarum*. Quo nomine illos, minore majoreve gradu, inſignire ſoleo, ne quis illud in poſterum rurſus carpat, qui *zelum amarum*, ζῆλον πικρὸν Jac. III: 14. zelum ſine *ſcientia* & *charitate*, Rom. x: 2. habent, qui *ſectæ* ſtudent, qui eam imperioſe & violenter tuentur, quin aliarum ruinis ſuperſtruunt, qui promovere conantur armis non divinis, ſed huma-

nis:

nis: qualis Paulus fuit ante converſionem, & Judæi perſecutores, *zelotæ legis* adpellari ſoliti, qui *discipulos Chriſti occidendo ſeſe Deo putabant gratum præſtare officium.* Hoc ſemel monuiſſe e re duxi. Ita vale, B. L., & currenti calcar adde. Dabam Franequeræ, ipſis Nonis Junii cIↄIↄccLII.

DISSER-

DISSERTATIONES AD VATICINIA DANIELIS

DISSERTATIO PRIMA.

DE Capite Aureo Statuæ, & Prima Beſtia cap. II: 32. VII: 4.

§. I.

Pars Prophetica Libri Danielis, quam, ut Juventuti noſtræ materiam exercitii præbeam, ſimul Doctorum judicia ante expiscer, quam Commentario manus admoveam, nonnullis Diſſertationibus illuſtrare adgredior, Imperiorum, quæ in Oriente primas obtinuerunt, ſucceſſiones & fata, præcipue reſpectu Populi Dei, tum in genere, tum in ſpecie, partim vivi-

dis coloribus per aptiſſima emblemata depingit, partim nuda & ſimplici oratione enarrat. Generales Prophetiæ, eæque emblematicæ, cap. II & VII. quarum altera Nebucadnezari, altera Danieli, *illa* anno regni ejus *ſecundo*, *hæc* anno Beltzazaris, ultimi ex ſtirpe Nebucadnezaris Babyloniæ regis, *primo*, utraque in viſo nocturno, contigit, regnorum in Oriente viciſſitudines duplici emblemate delineant, *altero*, ingentis COLOSSI hominis formam præferentis, cujus CAPUT erat *aureum*, PECTUS & BRACHIA ex *argento*, VENTER & LATERA *æs*, CRURA ex *ferro*, & PEDES partim *ferrum*, partim *lutum*: *altero* quatuor belluarum immanium, LEONIS, URSI, PARDI & SINGULARIS ac terribilis FERÆ, quæ nullo inſignitur nomine. Utrique emblemati ſubjungitur judicium Divinum; in *imaginem* quidem per LAPIDEM de monte rotatum, qui, in eam impingens, eam comminuit & diſſipavit, & mox in montem excelſum ac perennem excrevit. Sed in *animalia* per tribunalis cœleſtis erectionem, & ſententiæ fori Divini pronunciationem ac exſecutionem; quando regna mundi tradita viſuntur FILIO HOMINIS.

§. II. Particulares prophetiæ, ſoli Danieli factæ, partim *emblematicæ*, partim *nudæ* & ſimplices ſunt: *illa*, cap. VIII. anno Beltzazaris *tertio*, ARIETEM, duobus cornibus inſignem, & quaquaverſum arietantem, ab HIRCO, uno inſignitiore cornu illuſtri, oppugnatum & debellatum ob oculos ponit, & *quatuor* cornua alia, in *unius* fracti locum ſuccedentia, interque ea, & ex eorum uno natum, *parvum* aliquod *cornu*, quod ſe immenſum extulit, & tremenda egit, repræſentat. *Hæ*, ſimplici ſtylo prolatæ prophetiæ, partim ad vicinorum regnorum poſt Alexandrum M. fata, in primis quorum aliqua ad populum Dei fuit relatio, pertinent, partim ad ultima Reipublicæ Judaicæ tempora, quibus Meſſias adpareret, & populus Judæus exſcinderetur. Prius vaticinium, anno Cyri *tertio*, cap. XI. & XII. poſterius anno *primo* Darii Medi, cap. IX. conſignatum exſtat.

§. III. Trac-

§. III. Tractationem hoc ordine animus eſt inſtituere, ut *generales* prophetiæ ſecum conferantur, & *ſpeciales* ſuis locis inſerantur, adeoque uno & continuo filo pertexatur. Cujus ordinis duo ſunt fundamenta, quibus innititur: alterum, *generales* ſibi reſpondere, de eadem regnorum ſucceſſione agere, & ſe invicem illuſtrare; alterum, *particulares* hanc illamve partem pleniore luce perfundere. Quorum poſterius tam clara luce fulget, ut omnium interpretum, quorum non læva mens eſt, conſenſum meruerit. Prius, etſi haud incertius, *nonnullorum tamen* diſſenſum evitare non potuit. Sunt. 1. qui Statuam Nebucadnezaris non ad *quatuor regna*, ſibi ſucceſſura, ut communis habet opinio, ſed ad ipſam regum in regno Babylonico ſucceſſionem referunt, ut, poſt *Wingendorpium* in *Paraphraſ. Hiſt.* Danielis, *Bodinus* & *Hardtius*. 2. qui viſum de quatuor *feris* cap. VII. non ad eadem regna, in coloſſo depicta, ut vulgata fert ſententia, ſed longe alia, quæ poſt Imperium Romanum, Chriſtiana religione mactatum, a tempore Conſtantini M. in orbe fuerunt conſpicua, quæque glorioſum Chriſti, ultimo tempore, regnum præcedunt, pertinere autumant. Secundum quam opinionem, *Leo* eſt Orientis & Occidentis imperium poſt Conſtant. M. *Urſus* illud Barbarorum, qui regnum Occidentis invaſerunt, & occuparunt, Sec. V & VI. *Pardus Saracenorum*, & *quarta* Beſtia *Romano-Germanum*, Papis obnoxium. In hæc ſingularia & paradoxa ivit, omnium clariſſimus Scripturæ Interpres, Joh. Coccejus; cujus veſtigia haud pauci preſſerunt, premuntque.

§. IV. Hiſce in hypotheſibus refutandis nunc verſari non lubet, tum quod ab aliis hoc, quantum ſatis eſt, factum ſit, ut a *Karlio*, qui Hardtio quædam repoſuit, in Bibl. Brem. cl. V. & Cl. *Witſio*, qui Cocceji cogitata ſibi refellenda ſumſit, in Miſc. l. II. Diſſ. 4. tum, quod ſequens tractatio veriori ſententiæ ſat luminis ſit infuſura. Quare uno, alterove obſervato defungar. *Prius* difficultates,

ad quas obhæſit Cl. Coccejus, expediet, & *poſterius* convenientiam inter duo viſa generalia exhibebit. Duo mihi ſub manus venerunt, qnæ Doctiſſimum Interpretem in transverſum egerunt. Quorum illud eſt, quod regna cap. VII. cum glorioſo Chriſti regno, ultimo tempore, connectantur; hoc habet, beſtias ex *mari* prodeuntes in *terra* ſubſtitiſſe, id eſt, ut ipſe contendit, ex ſtylo Prophetico, in *Eccleſia*. Nollem profecto, adeo paradoxam hypotheſin, quæ, & a perſona Danielis, in uſum populi ſui vaticinantis, *ſcopo* & *argumento* totius libri, tam longe diſcedit, & intermediis temporibus ac caſibus, ad populum Judæum & Eccleſiam Chriſti ſpectantibus, ſuſque deque habitis, adeo remota ſectatur, tam tenuibus tibicinibus fultam. Ad *prius* enim quod adtinet, 1. idem illud in viſo Nebucadnezaris locum tenet. 2. Regnum Meſſiæ, quod hic in omni ſua amplitudine & gloria deſcribitur, cum ultimo regno, uno ex quatuor ante Meſſiæ primum adventum, copulatur; ſive quod ultimum regnum, in *decem* regna dividendum, eo usque ſit duraturum, ut multorum habet opinio, ſive, quæ noſtra eſt, regnum Meſſiæ hic depingatur, quale non mox in initio, ſed poſt multa fata intermedia, ſuo demum tempore clarius revelando, ſeſe haberet. De quo pluribus ſuo loco diſſeram.

§. V. *Poſterior* difficultas, per *mare* intelligi *mundum gentilem*, & per *terram*, in qua *beſtiæ* ſubſtiterunt, *Eccleſiam*, ut nos non ferit, cum regna gentilia Eccleſiam Dei, vel populum Judæum ſibi habuerint ſubjectum, ſic ex ipſo emblemate, vel leviter inſpecto, ſponte ſua evaneſcit. *Mare* & *terra*, licet in ſtylo emblematico & Prophetico, mundi gentilis & Eccleſiæ imagines gerant; hic tamen cum conſpectum non ferunt, cum ſecum permiſceantur: id quod ex verſ. 3. & 17. collatis manifeſtum. Animantia enim, quæ *ex mari eſcenderant* verſ. 3. præfigurarunt Reges, *qui ex terra ſurgerent* verſ. 17. Accedit, *terram* hic *cœlo* opponi, & terreſtria regna, relate ad cœleſte ſanctorum regnum,

regnum, quod in Eccleſia Chriſti ſubſtitit, repræſentare. verſ. 27. *Terra* itaque memoratur, ut tum de *terreſtribus* imperiis, oppoſite ad *regnum* Dei, tum de feris terreſtribus, & non marinis belluis, cogitaremus. Sed quid ſibi vult, quod ex *mari* viſæ fuerint *feræ* terreſtres in ſcenam prodire? nihil aliud, ni fallor, quam ut ſimul caracteres populorum *barbarorum*, reſpectu populi Judæi, ducerentur, quemadmodum *mare* & *terra* Apoc. XIII. ut populi *barbari* & *imperium Romanum*, diſtingui cenſentur: ſimul *ortus* regnorum ex bellicis motibus exhiberetur. *Mare*, ut motuum vehementiorum capacius eſt *terra*; ſic pugnæ mari, ventis contrariis agitato, comparari ſolent: quod huc apte quadrat. Vidit enim Daniel *quatuor cœli ventos in mare magnum irrumpentes*, indeque *quatuor beſtias ortas* c. VII: 2, 3. Notum illud vetuſti poëtæ. Q. Ennii

Concurrunt velutei ventei, quom Spiritus Auſtri
Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine contra.
Endo marei magno fluctus extollere certant.

ubi videndus eſt H. Columna p. 114.

§. VI. Tanta eſt utriusque viſi ſimilitudo, circa quam *alterum* noſtrum obſervatum verſari dixi, ut idem utriusque *ſcopus*, eademque ſignificatio myſtica in omnium oculos incurrat. 1. Quatuor regnorum ſucceſſio utrobique exhibetur. 2. De tertio, & non *ſecundo*, imperio utrobique adſeritur, *regnum ipſi eſſe datum in totam terram*. cap. II: 39. VII: 6. 3. Quartum regnum eodem modo a fortitudine & terribilitate utroque in viſo deſcribitur. Imo, ut *ferrei* erant ſtatuæ pedes, ſic *quartæ* beſtiæ *dentes* dantur *ferrei*. 4. Utrobique eadem eſt quarti regni in *decem* regna diviſio: pedes enim ſtatuæ habebant *decem* digitos, ut quarta beſtia *decem* cornua. 5. Idem etiam utriusque viſi exitus: *Statuam* confringit *lapis*, qui ingens fit *mons*: *beſtiis* per Divinum judicium omni potentia privatis, regnum

num totius terræ datur *Sanctis*. Nihili vero eſt, quod *lapis* in priore viſo tanquam cauſa deſtructionis imaginis, & principium *quinti regni*, occurrat, licet & illud captetur: cum emblema *imaginis* id exigebat. 6. Quintum denique regnum eodem plane modo & regnis quatuor ſubjungitur, & ut aeternum, univerſale ac divinum deſcribitur.

§. VII. Nihil itaque hic ſeſe offert discriminis, niſi quod utriusque viſi *ſcopus* poſtulabat. Viſum utique Danielis eo collineabat, ut de veritate & certitudine implementi prioris viſi non tantum conſtaret, quam ob cauſam Pharaoni eandem rem duplici viſo fuiſſe ob oculos poſitam ex libro Gen. XLI. notum eſt, ſed &, ut cum quaedam ejus partes clariore in luce collocarentur, & accuratius traderentur, quo viſum cap. VIII. quoque omnium conſenſu tendit, tum in verum conſpectum eorum regnorum duceremur. Cum enim Nebucadnezari imperia mundi, convenienter opinionibus & cogitationibus ejus, ex quibus natum erat viſum, ut eſt c. II: 29. tanquam ſplendida & glorioſa fuiſſent in Statua, variis ex metallorum ſpeciebus conflata, expoſita: eadem regna Deo placuit Danieli, viro ſancto et pio, ſub imaginibus truculentarum ferarum conſpicienda praebere, quae veram eorum faciem, qua *tyrannicæ* ſunt *poteſtates*, pandere aptae natae ſunt. Quod ne ſapientiores Gentilium latuit. 1. enim, ut θηριώδης ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις, *ferinum eſt plus ſuo habendi propoſitum*, quae Plut. in Pyrrho p. 388. verba ſunt: ſic eam cupiditatem, tanquam bellorum originem Veteres paſſim perſtrinxerunt, quod, ex locis ab Ill. Grotio de J. B. ac P. l. 1. c. II: §. 9. citatis, nemini non, niſi ſummo ſuo dedecore et damno in illo libro hoſpiti, notum eſt. 2. De regnorum horum conditoribus quoque verum fuit illud *Horatii* de Achille:

Jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

et, *quæ alia vita eſſet*, ſi *leones urſique regnarent*, ut ſapien-

pienter Seneca de Clem. I: 26. quid? quod *ſine juſtitia*, non pro ſalute communi, ſed ſuis commodis pugnare, ſit *immanitatis, omnem humanitatem repellentis*, ſecundum *Ciceronem* de Off. I: 19. qui etiam ib. c. 23. *temere in acie verſari*, & *manu cum hoſte confligere*, dixit, *inmane quiddam*, & *belluarum eſſe ſimile.* Quibus illud *Auguſtini* de Civ. Dei IV: 4. concinit; remota *Juſtitia* quid *ſunt regna*, niſi *magna latrocinia?* nec non Themiſt. Orat. I. p. 3. ubi Tyrannus audit, ἄγριόν τι, ϗ χαλεπόν ζῶον *effera, ac truculenta bellua*, velut *urſus, aper* & *leo.* 3. Unde eſt, quod, ut propius accedam, nec *Cyrus*, nec *Alexander*, ferarum latronumque elogiis quominus ornarentur, evitare potuerint. Ipſe *Cyrus*, multis aliis licet melior, tanquam *irrequietus*, & *cunctas gentes adgrediens*, depingitur Herodoto I: 190. *ambitioſus*, nullum non periculum *gloria* ergo *adiens* ipſi Xenoph. pag. 3. De communi hominum opinione illud *Tomyris*, Maſſagetarum reginæ, licet, ut puto, falſum, facile teſtatur, quo, cum Cyri caput amputatum in utrem, humano ſanguine repletum, conjici juſſiſſet, in hæc verba erupit. *Satia te ſanguine, quem ſitiſti, cujusque inſatiabilis ſemper fuiſti.* apud Herod. c. I. ad fin. & Juſtin. I: 8. Quo cum maxime pertinet, quod Athen. Deipnoſ. l. XIV. c. 8. ex Dinone narrat, Angarem Muſicum de Cyro, cum a Medis ad Perſas dimitteretur, dixiſſe ad Aſtyagem: *in paluſtria demiſiſti* Θηρίον μέγα θρασύτερον υἱὸς ἀγρίυ *magnam feram apro truculentiorem.* De Alexandro, *quem agebat furor aliena devaſtandi*, ut ait Seneca ep. 94. quid non poſſem congerere? *Sicut Philippus* ejus Pater ληςὴς *latro* adpellatur a Demoſth. Phil. IV. p. 100. imo *Annibal* ab ipſo Alexandro apud Lucian. Dialog. Mort. XII: 4. ſic & ipſe ea nota inuſtus incedit, *latro, praedo* & *pirata* dictus, ut apud Sen. de Benef. I: 13. & ep. 94. ac nat. quæſt. l. III. init. Lucanum Pharſal. X: 20. Cicer. in fragmento lib. III. de rep. Curt. VII: 8. Imo Oroſius Hiſt. III: 17. eum adpellat, *magnum miſeriarum gurgitem*, & *totius Orientis*

atro-

atrociſſimum turbinem. Nec mirum; Ipſe enim, ut Lucanus l. c. verſ. 30. &c. canit:

Perque Aſiae populos fatis urgentibus actus
Humana cum ſtrage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes
Perſarum Euphratem, Indorum ſanguine Gangem.
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, & ſidus iniquum
Gentibus. - - - - -

Ipſi ejus milites, teſte Curt. IV: 10. aliquando queſti ſunt; *in unius hominis jactationem tot millium ſanguinem impendi.* Sed nec erat omittendum, Philippum ſibi in ſomnio viſum fuiſſe *ſigillum inprimere utero uxoris*, cum Alexandro eſſet gravida, *cujus imago erat Leo*, ut Plut. in Alex. p. 665. refert, nec non Tertull. de anima cap. 46. quo etiam facit, quod in nummo Alexandri *Leo* viſitur; ut eſt in Theſauro *Fridericiano* D. Liebe cap. IV. Plut. in alio libro de Fort. Alex. pag. 335. ipſi tribuit, ἀῤῥενωπὸν ϗ λεοντῶδες, quale quid vel ipſe ejus vultus ſpirabat Aelian. V. H. XII: 14.

§. VIII. Hæc licet emblemati beſtiarum ex ſanioris naturæ dictatis illuſtrando ſufficiant, quid addere vetat formam regiminis, κατ' ἐξοχὴν monarchicam? quam τὸ ἄκρον adpellat Plat. de leg. III. p. 695. qua addicte admodum regnabantur populi, ut nihil *libertatis* reliquum eſſet; quam regiminis formam qui *beſtiarum* dixerit regnum, rem ſuo nomine forte expreſſerit. Homines enim, qui ab unius nutu ita pleniſſime pendent, ut *rationi* & *libertati* ſuae nullus relinquatur locus, quid caeteris animantibus praeſtent, equidem non video. Haec tamen fuit ipſiſſima regnorum in Oriente conditio, propter quam ὁ περσικὸς δυνάστης πόῤῥω τοῦ βασιλέως ὀνόματος, *Perſarum Dynaſta longe a regis nomine*, Themiſtio Orat. I. p. 11. venit ut multis adfirmare poſſem,

poſſem, ſi opus foret: vid. Ill. Grot. J. B. & P. I. III: 20. Ludolf ad Hiſt. Aeth. p. 247. Briſſonius de regno Perſarum lib. I. §. 34. Non poſſum tamen, quin ſalutare, & in omnium animos defigendum, Platonis obſervatum Politicum, quod ib. p. 697. reperitur, verbo repetam, quo, Perſicum regnum διὰ τὴν σφόδρα δουλείαν τε καὶ δεσποτείαν, *propter nimiam ſervitutem ac dominationem*, peſſum iviſſe, tradit.

§. IX. Methodo tractationis explicita, & in ſolido poſita, Prophetias Danielis per partes eo, quo dixi, ordine exponere, & cum hiſtoria comparare inſtituo; ut, quod falſæ ſuæ hypotheſi, de hoc libro *eventis*, in eo prænunciatis, poſteriore, ſubſtravit Porphyrius, veriſſimum, & exactam eſſe inter hæc vaticinia & hiſtoriam convenientiam, eluceſcat.

PRIMUM REGNUM.

DAN. II: 32.

Satuæ hujus caput erat ex auro præſtante.

DAN. VII: 4.

Primam Beſtiam, *inſtar Leonis, cui erant alæ aquilinæ, adtente contemplatus ſum, donec avulſae fuerint alae ejus, ipſaque a terra elevata pedibus inſtiterit ſicut homo, ipſique cor hominis datum ſit.*

§. X. Prius emblema cum nihil obſcuri habeat, *poſterioris*, quod multi minus recte capiunt, verus conſpectus ante eſt in lucem collocandus, quam ad ſenſum emblematicum aditus aperiatur. Ab ipſo itaque emblema-

te ne quis aberret, 1. notari velim, Leonem hic non tam a *Leonina* fortitudine, & *aquilina* celeritate ac ſublimi volatu, ut ad primam ſpeciem videtur, & Interpretes paſſim intellexerunt, quam ab *imbecillitate & humilitate* deſcribi: quæ, quo tempore Danieli hoc viſum obtigit, vera ejus conditio erat. *Leo* quidem fuerat, alasque *aquilinas* habuerat; ſed in præſentia non amplius. Vidit Propheta Leonem, duabus alis aquilinis inſtructum, è mari conturbato oriri, ut prima ejus origo, & ſtatus præteritus ipſi ob oculos poneretur: ſed cum hoc tempore, quo revelatio ipſi conceſſa eſt, Leo de priſtina ſua indole multum remiſerat, longeque alium induerat habitum, hoc poſteriore in ſtatu præcipue præbetur conſpiciendus; eoque directe tendit viſum, ut quantum ab illo, qui fuiſſet olim, mutatus ſit Leo, perſpiceretur. Quo res ipſa non tantum, ſed et orationis ſtructura nos ducit. Non enim habetur, *prima beſtia erat ſicut Leo, cui alae ſunt aquilinae, & vidi, donec alae fuerint evulſae* etc. ſed uno tenore, ut in verſione expreſſi, *primam inſtar leonis, qui alas aquilae habebat, adtente contemplatus ſum, donec avulſae fuerint alae ejus* etc. Quæ orationis ſtructura ſtudio hic videtur captata, ut, primam beſtiam hoc amplius tempore non eſſe *leoninæ* & *aquilinæ* virtutis, ſed hominis inbecillis potius ſtatum & indolem præferre, inſinuaretur. Quod obſervatum mox uſui erit.

§. XI. 2. Alterum, quod a ſuperiore lucem mutuatur, & ei viciſſim impertit, habet, *poſituram* & *cor hominis*, quo in ſtatu Leonem conſpexit Propheta, non *humanitatem* & *æquitatem*, ferociæ leoninæ & ſuperbiæ aquilinæ oppoſitam, ſed *inbecillitatem* & *humilitatem*, fortitudini leonis, & elationi ac pernicitati aquilæ adverſam, exprimere. Quod clare liquet *a.* ex *alis aquilæ avulſis*. Quemadmodum alæ avulſæ elationem & celeritatem Leoni eſſe ereptam; ſic Leonem intrepiditatem & robur perdidiſſe, *cor hominis*, ipſi datum, oſtendit. *b.* ex poſitura Leonis, qua *pedibus* inſtar

ſtar hominis erectus inſtitit. Sicut enim hoc ad *alas*, quibus citiſſime, ac ſi volaret, currebat, ita *animus hominis* ad cor leoninum, quo antea fuerat præditus, reſpicit. Utrumque, & è terra elevatum ſtare inſtar hominis, & *cor hominis* habere, defectum in Leone indicat, non *virtutem*, ut multis placet, qui *humanitatem* hic intendi cenſent. *Stare* utique erectum ſuper pedes ſicut hominem, Leoni *alato* attributum, alium ſenſum, ac qui *celeritati* priſtinæ adverſatur, ferre nequit. Quod clarius adparebit, cum obſervavero, Leonem hic in ſcenam produci, tanquam anterioribus pedibus erectum, & poſterioribus inſiſtentem; plane ut *homo* ſtat. Qui verborum ſenſus eſt, *ſublatus eſt è terra*, & *ſuper pedibus inſtar hominis ſtetit:* quod ab Interpretibus jam eſt occupatum; licet prius membrum, *elevatus eſt è terra*, nonnulli aliter, ſed prave, explicent: de quo nunc non agam. *c.* Robur noſtræ opinioni addit nomen אנש, quo utitur propheta: quippe quod hominem *infirmum* deſignare ſoleat, ut in vulgus notum eſt vid. Pſ. IX: 21. Jer. XVII: 9. Cogitatio itaque injicitur non humanitatis, ſed humanæ inbecillitatis, & Leo hic cum homine, viribus confecto, comparatur. Denique *d.* ipſa phraſis, *cor hominis ipſi datum eſt*, nos ad trepiditatem manifeſte ducit; quod vel communis loquendi modus evincit. *Leo* non dicitur in *hominem* mutatus, ſed animum cum eo hominis commutaſſe, ita ut *Leo* factus ſit, non leonina amplius virtute, ſed humana *infirmitate* præditus. Qui, quid ſit homo *Leonis* animum gerens 2 Sam. XVII: 10., noverit, is in phraſi oppoſita, quæ leonem *hominis* corde imbutum habet, hærere nequit: maxime ſi ſimiles phraſes alias ad animum revocaverit; ut ex gr. in verſu apud Cic. de Off. I: 18.

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem.

Xerxes in prælio cum Græcis videns Artemiſiam, Cariæ reginam, ſtrenue, viros timidius pugnare, exclamavit, ut

 refert

refert Poliænus Stratag. cap. VIII. cap. 53. *ὁ Jupiter τοὺς μὲν ἄνδρας γυναῖκας πεποίηκας, τὰς δ' γυναῖκας ἄνδρας, viros mulieres & mulieres viros feciſti.* Plura ſimilia proferre in facili foret: ſed cui hoc, niſi imperitiori, ignotum? Illud tamen abs re forte non fuerit obſervaſſe, dictum contumelioſum Perſis fuiſſe, *γυναικὸς κακίω ἀκοῦσαι muliere ignaviorem audire*, teſte Herodot. IX: 106. Ex dictis, ni fallor, elucet, eos, qui in *corde bominis* ad æquitatem, moraleſque qualitates hominis adtendunt, aberrare, & Doctiſſ. Danielis Interpretem *Jungmannum*, hypotheſin, hoc emblema interpretandi, in eo fundantem, operam luſiſſe; de quo mox.

§. XII. Emblema, quo, ut ex dictis patet, duplex ejusdem regni periodus, altera glorioſa, intrepida, terribilis, & elata; altera imbecillitatis, & timiditatis pleniſſima, repræſentatur, cui *regno* ſit adplicandum, quoque referendum, etſi ex comparatione cum *capite aureo* ſtatuæ, ſecundum hypotheſin ſupra jactam, facili negotio perſpiciatur; ne ſic tamen Interpretum, eorum puta, qui generalem hypotheſin, de quatuor Orientis regnis ante Meſſiam, nobiſcum habent communem, (Cl. Cocceji enim cogitata, de quibus ſupra egi, nunc ſuo loco lubens relinquo) conſenſus obtinet. *Caput aureum* in ſtatua, Nebucadnezari oblata, ipſum illum regem, tanquam ampliſſimi regni Babylonici, per totum Orientem dilatati, præcipuum conditorem, vel regnum illud ſub Ipſo deſignare, inter omnes convenit: quia Danielis verba, *Tu ipſum caput auri*, id eſt, *Tu es*, quem uſum pronomen הוא, ut in vulgus notum, habet, clariora ſunt, quam ut diverſis opinionibus locus ſuperſit. Ceterum, *tu es*, idem dicere, ac tu expictus es, tui emblema eſt, notius eſt, quam ut adſtrui debeat.

§. XIII. At enim, cum in altero viſo generali cap. VII: 17. nihil ad viſi explicationem occurrat, præter generalia ea verba, quibus Angelus *quatuor* dicit fore regna, antequam ad Sanctos devolvatur imperium; Interpretes circa hæc regna in partes ſciſſi ſunt. Communis quidem, qua Judæorum,

rum, qua Chriſtianorum, habet opinio, regnum Babyloni. cum æque per primum animal, ac per *caput aureum*, repræſentari. Sed Doctiſsimus Danielis Interpres H. Jungmannus, qui omnibus, in multis hujus libri partibus interpretandis, palmam dubiam fecit, hoc viſum exponens Comment. ad Dan. p. 1. l. 1. Sect. 11. c. 14. primam beſtiam de Regno Medo-Perſico, ut primum ſub Cyaxare 11. Medorum, & Cambyſe Perſarum, regibus fuit, & dein ſub *Cyro* factum eſt, interpretatur. Duæ *alae* ipſi ſunt Cyaxares & Cambyſes, *qui junctis viribus* regnum Babylonicum deſtruxerunt, & Medo-Perſicum fundarunt. Quod ipſum regnum eo tempore *leonem* ſe per *crudelitatem* erga Judæos præſtitiſſet, ſed leonem *quadrupedem*, prono verſus terram capite incedentem, quatenus depresſius paulo & humilius manſit eorum regnum. His vero *alis avulſis*, id eſt, duobus illis regibus mortuis, *beſtia* cœpit erigi in altum, & *cor* humanum accepit in Cyro, humaniſſimo ſimul, ſimul gloriosiſſimo & celſiſſimo rege.

§. XIV. Premitur hæc hypotheſis graviſſimis difficultatibus, quæ, quominus ei calculum addam, impediunt 1. enim in verum emblematis intellectum directe inpingit. Status leonis ex meliore in deteriorem mutatus, & non vice verſa, occurrit, ut ſupra disputavi. *Erectio* in pedes inſtar hominis, & *cor hominis*, non elatiorem & humaniorem, ſed inbecilliorem conditionem ſignant: quod totam hypotheſin deſtruit; cum regnum Medo-Perſicum ſub Cyro fuerit longe glorioſius & laudabilius. 2. Obeſt etiam utriusque viſi convenientia, ſupra in lucem protracta, quæ primum *regnum* longe diverſum in *poſteriore*, ac in *priore*, in hoc Babylonicum, in illo Medo-Perſicum, quærere vetat. 3. Sequens *animal*, quod ad Perſicum regnum ab ipſo viro Docto refertur, neutiquam permittit, ut Cyri regnum per animal præcedens intelligatur: cum diverſa regna, quæ ſe invicem exceperunt, & non unius regni ſucceſſiones in cenſum veniant. Cyri autem regnum fuit Perſicum, quod

ad Alex. M. usque duravit: de quo plura ſuo loco. 4. *Ala* minus recte ad Cyaxarem & Cambyſem adplicantur, tum quod regni Medo-Perſici in locum Babylonici fundatio non tam illis, quam *Cyro* imperatori ſit adtribuenda, tum quod, illis regibus mortuis, Cyro *alae* excidiſſe nullo modo dici queant, cum Leoni nihil copiarum, nihil virium deceſſerit. 5. In *Leonis* imagine minus recte ſolius *crudelitatis* ratio habetur, ut in *corde* hominis ipſi dato *humanitatis*; cum ad fortitudinem & inbecillitatem pertineant; ut ſupra obſervavi. *Crudelitatis* lineas ſi unice ducere voluiſſet Spiritus S., alio & aptiore uſus fuiſſet emblemate, non utique *Leonis*, in quo robur invictum; generoſitas & intrepiditas ſeſe omnium primo offerunt. Minuitur quidem hæc difficultas, ſi, quod viro alicui Docto viſum eſt, *Leo* ſit Cyrus, primum duabus alis, regum Medorum & Perſarum viribus inſtructus, dein ſolus, cum *corde humano*, poſt reges illos e medio ſublatos: ſed ſic nova, nec minor, difficultas oritur, in eo ſita, quod in Cyro ejusmodi mutuatio locum non habuerit, ut ante *Leo*, dein *homo* ex animali factus ſit; cum nec a *bello* per vitam deſtiterit, nec ab immanitate ad humanitatem proceſſerit, ſed eundem ſemper animum ſpiraverit. Forte alicui in mentem venerit, *cor hominis*, Cyro inditum, ad *ſaniorem* ejus de vero Israëlis Deo, ejusque cultu, mentem pertinere; quam Cyrus non niſi poſt Monarchiam Orientis conditam induit. Sed, præterquam quod *cor hominis* alio referendum eſſe ſupra evici. *a.* phraſis generalior eſt, quam ut, ſine ulla addita nota, ad veri Dei notitiam ac religionem reſtringi queat. *b.* Cyro illud non magis quam Nebucadnezari, atque Dario Medo, tribuerim. Edictum ejus, quo regna ſibi a *Jehova* agnoscit eſſe data, Ezr. I. ejusdem tenoris eſt, cujus Nebucadnezaris Dan. III. & Darii Medi c. VI. Nec ulterius extendendum eſt, quod Cyrus *adpellaturus* dicatur *nomen Jehovae* Jeſ. XLI: 25. ſive verbis, ut in edicto, Ezr. I. ſive factis & rebus geſtis, a Deo prænunciatis, & directis: quo poſteriore

riore caſu recte vertitur, qui *proclamabit nomen meum*, ut ſumitur Deut. XXXII: 3. Jeſ. XII: 4. Jer. XXXVI: 9. & alibi, quod apte in id, quod de eventu rerum geſtarum Cyri habetur Jeſ. XLV: 5, 6. quadrat. Ceterum, ut Cyro hoc majore emphaſi non convenire ulterius eluceſcat, notari velim, ipſum Deorum patriorum cultui non renunciaſſe, ſi Herodoto & Xenophonti fides ſit habenda. Apud Herodot. I: 309. dicit Cyrus, ἐμεῦ θεοὶ κήδονται *Dii curam mei gerunt, & quæcunque eventura ſunt mihi oſtendunt;* poſtquam Monarcha Orientis eſſet. Sic apud Xenoph. VIII. pag. 211: ait, ego *Diis inſervio*. Sed ex Xenoph. nihil certius eſt, quam Cyrum Deos patrios coluiſſe usque ad vitæ extremum. vid. l. VIII. pag. 214, 216, 234.

§. XV. Sed quid anſam præbuit oculos a regno Babylonico avertendi? illud in primis, ni fallor, quod regna Danieli, tanquam *futura*, fuerint oblata: vidit enim *beſtias ex mari oriri*, & Angelus ipſi verbis dicit: verſ. 17. *quatuor reges ſurrecturos ex terra*. Cum vero viſum anno 1mo Beltzazaris, ultimi regis Babyloniorum, Danieli fuerit factum, regno Babylonico, quod diu ante viguerat, & nunc ad interitum vergebat, nullus videtur locus eſſe. Sed hæc difficultas tanti non eſt, ut ad eam obhæreſcatur, cum quod ſimilia non deſint exempla, tum quod *ratio*, quæ difficultati omnes nervos incidit, ad manus ſit. 1. Exempla, quæ regni, vel caſus præteriti ac præſentis in viſis propheticis rationem nonnunquam haberi, evincunt, *tria* illuſtriora protuliſſe ſuffecerit. *Primum* ipſe Daniel ſuppeditat, quippe qui, cum c. II: 28. Deum regi prænunciasſe, quæ *poſtea futura* ſunt, dixiſſet, caput aureum ſtatuæ eſſe ipſum *Nebucadnezarem* adfirmat. *Secundum* a viſo *quatuor quadrigarum* Zach. VI. peto. Prima enim expeditiones bellicas *Babyloniorum*, vel *Medorum*, manifeſte ab oculos ponit, ut ſuo tempore, ſi Deo placet, in Commentario ad Zach. demonſtrabo; quæ tamen diu ante factæ fuerant; ut ex anno II. Darii, regis Perſarum, quo viſa Zachariæ

con-

contigerunt, conſtat. *Tertium* in primo *tubicinio* Apoc. VIII. quæro, quod ex mea opinione omnium illuſtriſſimum Dei judicium in Judæos, cujus prior epocha ipſam Apocalypſin præcedit, ob oculos ponit: de quo etiam, ubi *Periodos* V. & N. T. exponam, alias.

§. XVI. 2. *Rationes*, quæ hanc opinionem ab omni difficultate liberant, duas habeo: quarum *α.* altera eſt *generalis*, in recepta interpretandi regula fundata; quæ habet, de *omnibus* quid pronunciari, quod, uno, alterove excepto, iis convenit: ut cum LXX animæ in Aegyptum veniſſe dicantur, licet Joſephus Filiique, ad eum numerum pertinentes, ibi eſſent: cujus plura ſunt exempla, quæ, in re nota, prætereo. Eundem in modum *quatuor regna* dicuntur *futura*, quia *tria* poſtea ſuſcitarentur. *β.* Altera eſt *ſpecialis*, ex *natura* & *ſcopo* viſi, ſponte ſua ſeſe offerens. *Scopus* eſt, regna ob oculos ponere, quæ regnum Dei in terra præcederent. Hæc cum quatuor ſint in univerſum; Angelus in genere adſerit, *quatuor reges* in *terra prodituros*, *antequam regnum adipiscantur ſancti.* verſ. 17. absque ut dicat, ad unum omnes in poſterum eſſe orituros. Quod ut uberiore luce donetur, notari velim, non dici abſolute, *quatuor ſurgent reges*, ſed, relate ad regnum ſanctorum, *quatuor exſurgent reges*, & *ſancti conſequentur regnum*, id eſt, quatuor reges præibunt, &, quartum cum fuerit regnum, *ſancti* regnabunt. Quod vero ad *naturam* emblematis adtinet; ex ſuperioribus velim repeti, primum regnum hic non tam, ut in principio fuit, quam ut partim erat, partim foret, in ſcenam produci. Hinc dicit Daniel, ſe *Leonem*, *alis aquilinis inſtructum*, ut aliquandiu fuerat, vidiſſe *alis avulſis* ſtantem *cum corde hominis*, qualis nunc erat, & magis fieret. Differt itaque a *capite aureo* coloſſi in eo, quod, cum regnum Babylonicum ibi in ſummo flore & vigore expingatur, cui Leo, alis aquilinis præditus, reſpondet, hic idem illud regnum in ſtatu inglorio & infir-

mo

mo exhibeatur, ſicut Leo, pedibus inſtar hominis inſiſtens, cui *cor*, non leoninum, ſed *humanum* erat.

§. XVII. Acquieſcimus itaque in vulgata opinione, & unum idemque regnum Babylonicum utroque viſo proponi exiſtimamus, ita tamen, ut poſterius non tantum confirmet, ſed & nova luce perfundat prius, & regnum illud, quod in ſplendore ac potentia ſua in priore, cui prior pars poſterioris emblematis concinit, occurrit, hic in conditione deteriore, in quam haud diu poſt Nebucadnezarem delapſum eſt, delineetur. Quod per partes explicare, & demonſtrare adgredior.

§. XVIII. *Cum duplex regni Chaldaici periodus* in hisce imaginibus refulgeat, altera glorioſa & terribilis, altera obſcura & abjecta, a *priore* initium ſumamus. Prioris, quam caput aureum & Leo, aquilinis alis inſignis, repræſentant, lineæ ſunt ſequentes. *Primum*, quod ſeſe offert, habet, Monarchiam Babylonicam eſſe in ordine Monarchiarum Orientis *primam*. Quo, ut *caput* in ſtatua manifeſte, ſic *Leo* & *aquila*, cujus alæ hic viſuntur, occultius, licet non longe quæſite, ducunt. *Leo* enim & *aquila* primas tenent tanquam *reges*, ille inter *animantia*, hæc inter *aves:* quod de *leone* obſervat Bochart. H. p. I. l. III. cap. 2, & 6. de *aquila* Id. ibid. p. II. l. II. c. I. cujus eruditioni & diligentiæ vanum foret quid addere. In ſpecie hic de *Nebucadnezare* eſt cogitandum, ut diſerte Daniel adſerit. Verum quidem eſt, Aſſyriacam Monarchiam præceſſiſſe, & Nabopolaſſarem, patrem Nebucadnezaris, primum jeciſſe regni Babylonici, tanquam Monarchici, fundamenta. Sed illud non impedit, quominus & regnum Babylonicum pro *prima* Monarchia, & Nebucadnezar pro *primo* Monarcha habeatur, ſive *ſcopus* horum viſorum, ſive *res ipſa* ſpectetur. *Scopus* eſt, *futura* præmonſtrare, quæ poſt Nebucadnezarem acciderent, ut ex c. II: 28, 45. patet; adeoque, ſi vel antea ejusmodi fuiſſent Monarchiæ & Monarchæ, *Nebucadnezar*, unde epocha Prophetica ducitur,

primus maneret, utpote primus ordine Monarcharum ſequentium. Sed nec *res* ipſa nos deſtituit. Licet enim regnum Aſſyriacum, Babylonico antiquius, ampliſſimum fuerit & potentiſſimum, ut ex hiſtoria regum Aſſyriæ in Scriptura conſtat: nullus tamen dubito, quin multis modis ceſſerit Babylonico, ſive gloriam & ſplendorem, ſive robur, ſive imperii amplitudinem ad animum revoces. Prope a vero abeſt, quod de antiquo regno Aſſyriaco habet Dionyſ. Halic. *Ant. Rom.* l. 1. p. 2. illud *modicam Aſiæ partem obtinuiſſe*, vel quod Herodot. l. 1. tradit, *Aſiæ ſuperioris* dominium penes Aſſyrios fuiſſe. De quo multis diſſerere poſſem, ſi opus foret. Babylonicum itaque, & non Aſſyriacum, *Monarchiæ* Orientis ſpeciem prætulit. Quod vero ad *Nabopolaſſarem* adtinet; etſi is regni Babylonici pomoeria valde dilataverit, viamque ad Monarchiam ſtraverit, de quo in ſequentibus, Nebucadnezar tamen, Filius ejus, fundamentis a Patre jactis imperium Monarchicum ſuperædificavit, & longe plures populos ſubegit, regnoque ſuo adjunxit, ut Syros, Phœnicios, Judæos, Aegyptios, Arabes, & alios Aſiæ populos. Quare priores Chaldæorum reges univerſos rebus præclare geſtis *ſuperaſſe* dicitur Beroſo apud Joſeph. contra Ap. 1. §. 19. Quid? quod Megaſthenes eum ipſo Hercule, ἀνδρείᾳ καὶ μεγέθει πράξεων, *virtute* heroïca & *magnitudine geſtorum* l. c., ſuperiorem faciat, apud Joſ. §. 20. & Ant. x: 11.

§. XIX. 2. Splendor, opes & ſuperbia, qua ſe extulit, jactavitque Nebucadnezar, *ſecundum* ejus, regnique Babylonici ſub ipſo, caracterem conſtituunt, quem metalli ſpecies directe exhibet, & leonis ac aquilæ emblemata confirmant. Caput ſtatuæ erat ex *auro bono*, id eſt, præſtantiſſimo, 2 Chron. III: 5, 8. Gen. II: 12. Vox Hebr. טוב ut Gr. ἀγαθὸς & Lat. *bonus*, quicquid in ſuo genere perfectum eſt ſignat, unde *bona ſenectus* pro valde magna, Gen. XXV: 8. quod ibi recte advertit Cl. Dieu. Inde, quum adverbiaſcit, pro *valde* ſumitur, ut Lat. *bene*, in illo Ennii:

Quom

Quom tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.

ubi conf. H. Columna p. 27. Quo etiam pertinet, quod *bonus* pro *forti*, *nobili*, & *magno*, pro diverſitate ſubjecti, uſurpetur. Græcus Interpres, ſive Theodotion, (ejus enim eſt verſio Græca, quæ ſupereſt) vertit, χρηστοῦ, vel, ut alia lectio habet, καθαροῦ, quod prioris eſt gloſſema. Græcis autem χρηστὸς latioris quoque eſt uſus, ut vel ex Lexicis notum eſt: imo χρηστὸν τραῦμα apud Lucianum in *Symp. p.* 623. pro *graviſſimo* vulnere; plane ut Hebr. טוב Mich. I: 12. *quia* לטוב *vehementer adtrita eſt habitatrix Maroth.* in quo Interpretes paſſim hallucinati ſunt. Sic & verbum הטיב uſurpatur Mich. VII: 3. Hoſ. X: 2. In rem eſt, LXX אבן יקרה Ez. XXVIII: 13. reddidiſſe λίθον χρηστὸν *lapidem pretioſum*, ut hic χρυσίου χρηστοῦ. nec non, pro *aere* טובה bono Ezr. VIII: 27. occurrere ἀπὸ χρηστοῦ χαλκοῦ Esd. VIII: 57.

§. XX. Aurum, ut eſt pretioſum, præſtans & ſolidum metallum; ſic in genere quicquid eſt pretioſum, & in ſpecie *aurum bonum* quicquid eſt excellentiſſimum, & ſplendidiſſimum expingit, quod vulgatiſſimum eſt; adeoque ad divitias, gloriam, &, quæ inde oriri ſolet, *elationem* animi recte refertur. Quo facit, quod ad *lucem* ſolis *ſereniſſimam*, *liquidiſſimam*, & aureo *fulgore rutilantem* exprimendam adhiberi ſoleat, ut obſervavit vir in literatura Orientali magnus Cl. Schultens ad Job. XXXVII: 12. Caput *auri boni* itaque apte depingit Majeſtatem fulgidiſſimam, quæ oculos præſtringit; ut in loco *Jobi* citato. Nec abs re fuerit coronas auri ſolidi huc adtuliſſe, quibus regum ſplendidiorum capita ornabantur. ut Pſ. XXI: 4. *impones capiti ejus coronam auream*, regnum & firmum, &ininterrupted glorioſiſſimum in ipſum conferes: ſic *aureum illud*, cum adluſione ad *ſceptrum* adpellatur Jeſ. XIV: 4. regnum Babylonicum, quod tetigiſſe ſuffecerit. Doctus Scripturæ Interpres, Sanctius, *aureum* cenſet hoc regnum in primis adpellari, quod relate ad ſequentia regna ſit *diuturnius*, *pacatius* & magis *unitum*. Sed tan-

tum abeſt ut magis in regnum Nebucadnezaris ea conveniant, ut ab iis plane non fuerit celebre. Aptius forte huc quadrat, quod tamen non urſerim, aureum dici regnum, quod, comparatione cum ſequentibus regnis inſtituta, minus fuerit *tyrannicum*, & durum; ut Græcis eſt proverbium, quo mala quæcunque, ſi ad longe deteriora, quæ ſequuntur, conferantur, purum putum *aurum* videri, adfirmant. Sic, ſi Tyranno ſuccedat longe pejor, hic ſuperiorem tyrannidem *aurum* declarare dicitur. Quod multis exemplis illuſtratum dedit, vir in ſtudiis ſummus T. Hemſterhuis ad Lucian. Necyom. pag. 460. de quo etiam quædam habet vir Doctiſſ. H. Valeſius Emendat. l. III. c. 17. Quam eandem cogitationem ſuggerit *Leonis* emblema, ſi cum ſequentibus feris, *urſo*, *pardo*, & truculentiſſima bellua *quarta*, comparetur. Fuit quidem Nebucadnezaris regnum ferum & immane, etiam reſpectu populi Judæi, ut tum alibi, tum Jeſ. XLVII: 6. ipſis verbis adſeritur: attamen non ex crudeliſſimis, ſive gentium devictarum, quibus reges & regimen, ſed ſubjectum, vel tributarium reliquit, ſive ipſius populi Judæi, in exilium, poſt haud unam rebellionem, a perfidia non abſolvendam, abducti, & in loca *commodiſſima* transportati, mitiusque tractati, teſte Beroſo, & Scriptura S. Jer. XXXIX: 34. XXVII: 12. & Ezechiele, ratio habeatur.

§. XXI. Reliqua emblemata *Leonis* & *Aquilæ* ab eo, quem dedi, intellectu non abhorrent. Leonis utique illud in pincipe ſuperbo, cujus prægravis eſt majeſtas & inacceſſa, teri ſolet. Sic inter ea, quæ *magnifice incedunt*, locum tenent *Leo* & *rex* Prov. XXX: 31. qui apte junguntur, ut regum ſuperbia tacite perſtringatur, & reges cum leonibus comparentur. Eodem tendit *vox ferocis leonis*, ſeu *murmur leoninum*, Job. IV: 10. ut Doctiſſ. Commentator ſcite notavit. Aquila vero ὑψιπέτης *altivolans*, quæ ſublimiſſime volat, ita ut cœlum usque ſeſe efferre videatur, quam apta ſit hominis arrogantis, faſtoſi & ſeſe ſupra reli-

quos

quos homines extollentis imago; nemo non videt. *Si extuleris tanquam aquila*, dicit Deus ad Idumæos Obadj. 4. *& inter ſtellas poſueris nidum tuum, inde deturbabo te.* De qua ſublimitate ut cogitaremus, *alae*, quibus tam alte volat, in ſpecie memorantur. Quare *aquila grandis*, *grandium alarum*, ipſe ille Nebucadnezar adpellatur Ez. XVII: 3. Quod ſublimi Prophetæ etiam in animo fuit, cum arrogantiam, & intolerandam Regis ſuperbiam his verbis Jeſ. XIV: 13. tanquam vividiſſimis coloribus depingit. *Tu vero dixeras animo tuo: conſcendam cœlos, ſupra ſtellas Dei omnipotentis efferam ſolium meum, & ſedebo in monte conventus ad latera Aquilonis, adſcendam ſupra celſa nubis, adſimilabor Altiſſimo.* Eundum inflatum animum redolent verba, quæ Babyloni in ore dantur Jeſ. XLVII: 7, 8. *in ſeculum ero Regina: Ego & nulla amplius: ego, & præter me nulla.* quæque Nebucadnezar *gloriabundus*, ſive ſortis humanæ oblitus, *majoresque pennas nido extendens*, ut verba Horatii huc adplicem l. I. ep. 20. jactavit, Dan. IV: 27. *Nonne hæc eſt magna illa Babylon, quam ego ſumma mea potentia condidi, ut ſit ſedes regia, & magnificentiae meæ decus.* Ecce *leonem* ſuperbe incedentem! ecce *aquilam* ad cœlum usque ſe elevantem! Accederet major ſuperbiæ gradus, ſi verum eſſet, quod Hieronymus obſervat, *ſtatuam* a Nebucadnezare fuiſſe erectam, Dan. III. ut *ipſe* in ea *adoraretur*: quod non putem, cum ejus rei nullum ſit in libro Danielis indicium; nec moris hoc tempore fuerit, ut reges ſibi *divinitatem* adrogarent, cujus primum exemplum dedit Alexander M. Quid? quod Dan. III: 14, 18. Dii, quibus ſtatuam dicavit Nebucadnezar, ab ipſo diſtinguantur. Nec illud ex Jeſ. XIV: 13. colligere licet, acſi Babylonius ſe loco Dei Israëlis coli voluerit: cum oratio ſit hyperbolica, quæ hanc veram habet hypotheſin ſubſtratam, regem ſe ita improbe, & petulanter gesſiſſe, acſi ſe Deo vero & ſupremo vellet prælatum. De quo Jeſaiæ Commentator, Vir laude mea ſuperior, conſulendus eſt. Rectius huc referas, quo ſe Deo

æquavit, utique divina ſibi vindicavit, quod ſibi ſoli Divinum cultum inſtituere, & aliis imperioſe præſcribere, ſumſerit, tantamque ſuæ potentiæ fiduciam jactitaverit, ut in hæc verba proruperit: *quis ille Deus, qui vos meis manibus eripuerit?* Dan. III: 15.

§. XXII. Ceterum, quæ de regno Nebucadnezaris *opulentiſſimo*, & *ſplendidiſſimo* ex hoc emblemate ſupra erui; illa in hoc regnum tam exacte quadrant, ut nihil magis. Daniel, hanc imaginem explicans, Deum ipſi conceſſiſſe *potentiam opesque*, & *robur* & *gloriam*, teſtatur c. II: 37. ſic *Babel* ſuperbo titulo *decoris regnorum*, & *ornamenti excellentiæ Chaldæorum* inſignitur Jeſ. XIII: 19. Quo ipſo indicatur, urbem fuiſſe omnium ditisſimam, ſplendidiſſimam, ampliſſimam & munitiſſimam; adeoque *caput* imperii vere *aureum*. Quod enim de Metropoli vere dicitur, illud ad univerſum regnum extendi poteſt, quippe de qua, quod Herodian. VIII: 7. de Roma, adſeri poteſt, ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἡ τῆς βασιλείας ἵδρυται τύχη, *in illa urbe vertitur imperii fortuna*. Urbem hanc *ſic fuiſſe exornatam, ut aliud nullum ex oppidis, quæ nos novimus*, adſerit Herodot. I: 178. Cui concinit Plinius H. N. VI: 26. ubi dicit: *Babylon, Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe*. Teſtantur etiam ea de re magnifica & ſplendida opera, quibus Nebucadnezar hanc urbem exornavit, ut ſunt *Templa*, palatia, horti penſiles, muri, & quæ ſunt alia, quorum clara exſtat mentio apud *Beroſum* & *Abydenum* in fragmentis a Joſepho conſervatis Ant. X: 11. & contra Ap. I: 19. nec non Euſeb. Præp. Euangel. IX: 41.

§. XXIII. *Tertius* denique regni Babylonici character, in ſumma ejus *amplitudine* & *potentia* ſitus eſt, qua omnia alia regna Orientis ſuperavit. Caput *aureum* ſupremam depingit Majeſtatem, quæ pondere & auctoritate, ſplendore & gloria, omnium oculos præſtringit. *Leonis* qualitates præcipuæ ſunt *fortitudo*, *intrepiditas* & *ferocia*, adeoque virorum bellicoſorum, nec non potentiſſimorum tyrannorum, qui

qui omnes invadunt, ſubigunt & opprimunt, emblema eſſe ſolet: de quo videndus eſt Doctiſſimus Bochart. H. p. I. l. III. c. 5. Eodem etiam *Aquilæ* emblema collineat, cum ea inter *aves* ſit, quod *leo* inter animantia: ruit etiam cum impetu, & perniciſſime in prædam, quam acri viſu e longinquo perſpicit; eſtque avis robore & intrepiditate inſignis: de quo Idem vir Maximus eſt conſulendus H. p. II. l. II. c. 2. 5.

§. XXIV. Hæc antequam Nebucadnezari, ejusque regno, adplicem: *verbo notandum eſt*, & alibi apud Prophetas iisdem imaginibus potentiſſimum hunc regem expingi. Cum leonibus & leænis comparantur Chaldæi, Judæorum invaſores & deſtructores Jeſ. v: 2—9. *Rugitus illi, ut leæna, & rugit ut leones juvenes, & fremet & præbendet prædam, & non erit, qui eripiat.* Non ſine ratione *leaena*, quam vox לביא denotat, cum ea apud Græcos & Barbaros haberi ſoleat pro *robuſtiſſimo* & *oppugnatu* difficillimo animali, ut obſervavit Cl. Boch. H. p. I. l. III. c. I. quo Græcus Danielis interpres reſpexiſſe videtur, qui c. VII: 3. pro אריה *leo* habet λέαινα *leæna.* Jer. IV. 7. *adſcendit Leo ex vepreto ſuo* h. e. *rex*, ut vertit Chald., *ex arce ſua.* ſcilicet Nebucadnezar. De *aquilae* & *alarum ejus* emblemate, Nebucadnezari aptato, ex multis locis conſtat, ut Jer. IV. 13. XLVIII: 40. XLIX: 20. Thren. IV: 19. in primis Ez. XVII: 3. Hab. I: 6. imo Deut. XXVIII: 49. qui locus ad Chaldæos omnino pertinet.

§. XXV. Sed quemadmodum iisdem imaginibus uſi ſunt Prophetæ, ſic *rem* expictam haud uno loco explicuerunt, & prænunciarunt. Quam in rem nihil eſt luculentius parabolâ, Jeſ. XIV: 4. &c. quæ tota legenda eſt. ubi verſ. 16, 17. *Vir* adpellatur rex Babyloniæ, *qui tremefaciebat terram, concutiebat regna, orbem habitatum ponebat ut deſertum, & urbes ejus ſubvertebat.* Cui plane convenit, quod Jer. LI. 25. imperium Chaldæorum ſimile dicatur *monti perdenti, qui totam perdit terram.* In primis huc referenda eſt nuda

nuda Prophetia Jer. xxv: 18. &c. ubi longus gentium & regnorum propinquorum, & longinquorum, quibus Nebucadnezar imperaret, texitur catalogus: qui phraſi generali *omnium regnorum ſuper terra* concluditur; quare Babylon adpellatur *Domina*, *hera regnorum* Jeſ. XLVII: 5. cui reſpondet, ut id ἐν παρόδῳ obſervem, illud *Dionis* l. LXXV. pag. 850. quo Romam adpellat *βασιλίδα καὶ ἀθάνατον reginam* & *aeternam*.

§. XXVI. Videamus nunc, num has lineas præſtiterit regnum Babylonicum ſub Nebucadnezare, initio a Scriptoribus ſacris, non jam Prophetarum, ſed hiſtoricorum partibus fungentibus, facto. Ubi primum merito locum ipſi *Danieli*, teſti oculato, damus. Ipſe, emblema *capitis aurei* Nebucadnezari aptans cap. II: 37, 38. cum dixiſſet, *tu ipſum caput auri*, mox explicationis ergo addit, *Deum cœli ipſi dediſſe regnum*, *robur* vel *opes*, *fortitudinem* & *gloriam*, id eſt, regnum opulentum, validum & ſplendidum; nec illud arctis conſtrictum limitibus, ſed per orbem longe lateque extenſum; cum Deus ipſius imperio ſubjecerit *omnia*, quæ inhabitant *filii hominum*, *& beſtiae agri*, & *volucres cœli:* quo ſignificatur. 1. loca *culta* & *inculta*, illa hominum, hæc ferarum, depreſſa & alta, quæ ſunt *avium*, ipſius in ditione fuiſſe, ut recte exponit, vir in omni fere ſtudiorum genere Maximus, Ill. H. Grotius. 2. loca, non *vicina* ſolum, ſed & remotiora, usque ad *fines terrae*, ſcilicet, tum maxime in Oriente *notae*. Phraſis enim non eſt ultra ſcopum & ſenſum, hominibus ejus loci & temporis uſitatum, extendenda; acſi totius orbis, qua late patet, Monarchia deſignaretur: qualis nunquam fuit. Phraſis illa occurrit in imagine *arboris*, quæ Nebucadnezaris Monarchiam repræſentavit, & Danielis expoſitione cap. IV. ubi arbor illa, in *medio terræ poſita*, deſcribitur tanquam ad *cœlum* usque excelſa, & ad *terminos* usque *terræ* porrecta; quam picturam Daniel interpretaturus dicit verſ. 19. *Tu es rex ille*, *qui magnificatus es*, *& prævaluiſti*, *& magnitudo*

tua

tua crevit, & pervenit usque ad cœlum, & dominium tuum ad finem terræ. Phraſis eſt popularis ad popularem adcommodata opinionem, quæ remotiſſima loca, cujuscunque etiam cœli climatis, in genere ſignificat, ut a Cl. Vitringa ad Jeſ. v: 26. viii: 5. xxiv: 16. jam eſt obſervatum, & ex ſcriptorum exoticorum ſcriptis illuſtratum. vid. etiam vir eruditisſimus Ch. Cellarius in Diſſert. ad calcem *compendii Geographiæ* Antiquæ; ubi novum δημοπάθειας nomen huic figuræ Rhetoricæ haud inſcite impoſuit. Nobis ſuffecerit notaſſe, terras, quæ Agypto ſubjacent, vel vicinæ ſunt, hic omnino intelligi, cum quod remotiſſima fuerint loca a terra Chaldæa, tum quod *finium terræ* nomine Arabia, Agyptus vel Æthiopia veniat in Scriptura. Sic Zach. ix. 10. *dominium ejus erit a mari ad mare, & fluvio usque ad fines terræ*, ſcilicet, ab Euphrate ad Ægyptum, vel Æthiopiam usque. Jeſ. xliii: 6. *dicens Septentrioni da; & Auſtro, ne cobibeas, adduc filios meos a longinquo; & filias meas a fine terræ; videlicet*, Ægypto & Æthiopia, ſicut a *longinquo*, eſt *Babylonia.* Denique de potentia & latiſſimo dominio Nebucadnezaris teſtatur Daniel c. v: 19. ubi inter alia dicit, *omnes populos, nationes & linguas*, Ipſum fuiſſe *reveritas*, & timuiſſe; imo tanta fulſiſſe majeſtate & auctoritate, ut pro numine ſuo de vita & morte hominum diſpoſuerit.

§. XXVII. Præter *Danielem*, ut non tantum de *Judaeis*, ſed & aliis populis ab ipſo ſubactis, *teſtimonium* qua hiſtorici dicant, citari poſſunt *Ezechiel*, *Jeremias* & *Habakuk.* Ex *Jeremia* id colligere licet, Nebucadnezarem, exercitu Pharaonis juxta fluvium Euphraten profligato, Ægyptum petiiſſe; Jer. xlvi: 1, 13. quo tempore Regi Ægypti omnia loca inter Euphraten & fluvium Ægypti eripuit, 2 Reg. xxiv: 7. *Ezechiel* vero de Tyro, a Nebucadnezare obſeſſa, teſtatur Ez. xxix: 17. Verum multo luculentius de gentium devaſtatione per Chaldæos loquitur Habakuk cap. 1. De cujus ſcopo & ſenſu, nec non de ipſius Prophetæ ætate, a vero nimium aberrant Interpretes, cum Prophetam,

D ſive

ſive ſub Manaſſe, ſive Joſia, ſaltem ante exilium Babylonicum, vixiſſe & Prophetaſſe, & hoc capite Chaldæorum graſſationes, tanquam futuras ob oculos poni, autumant. Quod utrumque ſecus ſeſe habere, Prophetamque fuiſſe Danieli æqualem, & violentas populorum oppreſſiones a Chaldæis tanquam factas enarrari, ſuo tempore in *Commentario* ad Prophetas minores demonſtrabo. In præſentia ſuffecerit, viam ad primi capitis intellectum verbo aperuisſe, & *partes* ejus generales recenſuiſſe. *Tres* ſunt capitis partes; quarum *prima* continet piam cum Deo expoſtulationem de violentia Chaldæorum nimium *diuturna*, verſ. 1—4. *Secunda*, per modum objectionis, Prophetias ſuperioris temporis de Chaldæis, tanquam *juſtitiae* Dei inſtrumentis, ad impios puniendos, repetit verſ. 5—10. oratio verſ. 5. eſt conciſa & ellyptica, ut prophetarum, in primis, qui ſublimi ſtylo, ut Noſter, utuntur, quæ facile ſuppletur per *dixiſti Jehova per Prophetas* &c. cujus indicium eſt in eo, quod *Jehova* loqui introducatur verſ. 5, 6. *Tertia* continuat *querelas*, & non obſtante illa prophetia, illoque Chaldæorum conſpectu, eorum violentias, & oppreſſiones diutius a Deo, ſcelerum vindice, ferendas non eſſe demonſtrat, verſ. 11—17. Hac hypotheſi admiſſa, emblematum *leonis* & *aquilae* lineas pleniſſime præſtitiſſe Chaldæos, luculenter elucet. Caput prolixius eſt, quam ut hic legi poſſit.

§. XXVIII. Accedamus nunc ad monumenta exotica, ut quid ea ad amplitudinem & potentiam regni Babylonici ſub Nebucadnezare adſtruendam habeant, proferamus. Antiquiſſimi Hiſtorici ſi ad manus noſtras perveniſſent, *Beroſus*, qui tempore Alexandri M. floruit, & *Abydenus*, paulo recentior, ille *Chaldaicarum*, hic *Aſſyriacarum* rerum conditor, quorum fragmenta a Joſepho, Euſebio, Syncello conſervata ſunt pauciſſima, (quæ, ut magnum in litteris impoſtorem *Annium Viterbienſem*, qui fictitio ſuo *Beroſo*, & *Metaſthene* olim multis, nunc nemini, niſi indoctis

in-

indoctiori, imponit, mittam; Ill. J. Scaliger collegit, & illuſtravit ad calcem librorum de Emend. Temp. ſed *Beroſi* longe plenius vir eruditiſſimus & diligentiſſimus, J. A. Fabricius Bibl. Gr. vol. XIV. pag. 175.) de veritate hujus rei, nec non plurimarum prophetiarum implemento, plenius & certius ſine dubio conſtaret. Sed inanibus querelis de hac tanta jactura miſſis; ſpecimina, ex quibus de reliquis erit judicandum, quæ hic illic ſuperſunt, in medium adducamus. Ex Beroſi fragmento apud Joſeph. Ant. x: 11. & contra Ap. 19. elucet, Nebucadnezarem, præter Israëlitarum & Judæorum terras, tenuiſſe *Syriam*, *Phœniciam*, *Arabiam & Ægyptum*; ipſumque Chaldæorum, & Babyloniorum reges præcedentes univerſos rebus geſtis longo poſt ſe reliquiſſe intervallo. Cum his convenire, quæ in Archivis Phœnicum ſcripta reperiuntur, quæque Philoſtratus in *hiſtoriis* tradidit, adſerit Joſ. contra Apion. 1: 20. nec non Syncell. Chronog. p. 177. Judæorum in exilium Babylonicum abductionem per Nebucadnezarem quoque retuliſſe *Demetrium*, qui *Scepſius* Grammaticus Ariſtarchi æqualis eſſe putatur, teſtatur Clemens Alex. Str. 1. p. 403. Illuſtrius eſt, quod ex Megaſthene, *Indicarum rerum* ſcriptore, ſub *Seleuco Nicatore*, teſte Clem. Alex. Str. 1. p. 360. referunt Joſ. l. c. & Euſeb. Præp. Eu. IX: 41. Nebucadnezarem ipſo Hercule fuiſſe, & *virtute* heroïca, & *magnitudine* geſtorum ſuperiorem; eumque *Lybiae* bonam partem, & *Iberiam* penetraſſe, & *ſubjugaſſe;* indeque coloniam *in dextram Ponti plagam deportaſſe.* Cui concinit, quod ex eodem Megaſthene tradit Strabo Geogr. l. XV. pag. 1007. *Navocodroſorum*, rectius *Nabucodroſorum*, ut eſt in Excerptis Megaſthenis apud Euſeb. l. c.) *apud Chaldaeos celebrari prae Hercule, & usque ad Columnas perveniſſe*, imo ex *Iberia* in *Thraciam & Pontum duxiſſe exercitum.*

§. XXIX. Hac de Nebucadnezaris expeditione quid habendum ſit, non convenit inter Doctos. Ill. Marshamus in Can. Chron. Sec. XVIII. p. 592. Iberiam Aſiaticam, &

 non

non Europæam ſeu Hiſpaniam, intelligit, & *columnas* eaſdem eſſe putat, quæ in Sarmatia ſub Alexandri M. nomine erectæ ſunt. Quam opinionem ſolide confutavit Cl. Perizon. Orig. Æg. cap. XXIV. & Iberiam Europæam h. e. Hiſpaniam intelligi demonſtravit: quo nihil eſt certius. Nec tamen veritas facti in ſalvo eſt. In *Lybiam tranſiiſſe non inviti credimus*, inquit Ill. Scaliger in not. ad fragm. p. 19. *ſed de Iberia dubitamus, niſi ſit Iberia ad partes Ponti Euxini*, quod a vero non putat alienum. De expeditione in Hiſpaniam dubitant & alii, in his ſtudiis verſatiſſimi, ut H. Conringius in Adv. Chron. cap. 11. J. Perizonius l. c. nec non A. Vignolius Chron. V. T. par. II. l. V. c. 9. p. 420. ſed ſententiam dixiſſe contenti: quare mihi, in eandem eunti, rationes dandæ ſunt. Quarum *prima* eſt, eam in hiſtoria geſtorum Nebucadnezaris vix commodum locum habere: accidere enim non potuit, niſi poſt annum regni ejus 35tum quo Ægyptum occupavit, ut ex Ez. XXIX: 17. recte colligitur, ubi annus 27mus eſt deportationis *Jechoniæ*, cui reſpondet Nebucadnezaris annus 34tus, quo tempore tantam expeditionem non videtur ſuſcepturus; in *primis* cum ab eo tempore per ſeptennium deliraverit Dan. IV. de quo mox. 2. Unius *Megaſthenis* auctoritate, quæ tanti non eſt facienda, nititur. Etſi enim Arriano Exped. Alex. l. V. p. 201. vir *probatus* dicatur; male tamen audit aliis, ut Strab. Geogr. l. II. p. 121. nec a fabuloſis narrationibus abſolvi poteſt. Accedit. 3. translationem coloniarum ex Iberia Europæa in Aſiaticam, ut creditam originem forte dediſſe huic expeditioni fingendæ, ſic ab aliis auctoribus non ſine ratione rejici. Appianus in Mithrid p. 398. diverſas veterum ſententias recenſens, ait, quosdam putare Iberos Aſiaticos eſſe Europæorum ἀποίκους *colonos*, ſed ſecundum alios e contra eſſe eorum προγόνους, denique ſecundum alios neutrum eſſe verum, ſed eſſe utrosque tantum ὁμωνύμους *cognomines*, addita ratione, quod *nec* in *Lingua* nec *moribus* quid ſimile habeant: a qua ſententia non abhorret Strabo Geogr.

l. XI.

l. XI. p. 763. 4. Quod ſi de expeditione navali, cum claſſe a Phœniciis inſtructa, ſi non ab ipſo Nebucadnezare, ſaltem auſpiciis ejus facta, poſt ſubactam Syrum & Ægyptum, cogitare cum Cl. Commentatore Jeſaiæ c. XXIII. p. 703. fas fuerit; origo narrationis Megaſthenis quidem longe probabiliſſima ſeſe offerret, nec tamen de veritate conſtaret. Certum etiam ex verbis Megaſthenis eſt, non de *navali*, ſed *terreſtri* ipſius Regis expeditione agi. Quod tum ex Strabone, ubi ex Iberia in Thraciam & Pontum narratur Nebucadnezar exercitum duxiſſe, dubio caret, tum ex verbis apud Joſ. confirmatur, quibus dicitur, καταςρέψασθαι Λιβύης τὴν πολλὴν *vaſtaſſe Lybyæ multam partem.* Vertit quidem vir Magnus *inſignem quandam Africæ urbem*, & de Utica, vel *Carthagine* interpretatur; ſed pravæ lectioni τὴν πόλιν *in editis aliisque* nimium fidens, cum vera lectio ſit τὴν πολλὴν, quam Joſ. contra Ap. I. 19. habet, & Syncellus p. 177. ubi Λιβύης τὰ πλεῖςα occurrit. Ceterum τὴν πολλὴν eſſe pro πολλὴν, vel μερίδα, vel μοῖραν, vel γῆν tralatitium eſt. Vulgata denique lectio, τὴν πόλιν, ſi cui adrideat, equidem non cum Cl. Vitringa *urbem*, ſed cum Cl. Perizonio Orig. Aeg. c. XXIII. p. 420. gentem intellexerim. Vox enim πόλις, ut de *tota inſula* uſurpatur, anſa ab inſulis, quæ unam *urbem* habent cognominem, arrepta, quod, inſigne orbis litterati lumen, Cl. P. Weſſeling ad Antonin. p. 523. egregie obſervavit, ſic pro tota *gente* venit; ut ἑλλὰς πόλις pro Græcia apud Euripid. περσῶν πόλις apud Aeſchyl. de quo vid. Ill. Ez. Spanhem. ad Jul. p. 148.

§. XXX. Illud tamen ex Megaſthenis teſtimonio lucramur, Nebucadnezarem in Ægyptum & Lybiam penetraſſe, illam occupaſſe, hujus *multam partem* tenuiſſe, ut verba Megaſthenis habent; quod & aliunde confirmatur: de quo jam neceſſaria protulerunt Duumviri Doctiſſimi, Cl. Perizon. Orig. Aeg. c. XXI. & C. Vitringa ad Jeſ. XIX. p. 532. & in vindiciis templi Ezech. cap. 8. Quare, ne prolixior ſim, hic nihil addo, niſi de *Phœnicibus*, aliisque vicinis

 Cana-

Cananææ populis, a Nebucadnezare deviĉtis, Annales quoque teſtari. De Phœniciis, & Tyro poſt 13. annorum obſeſſionem, id ex eorum Annalibus & Philoſtrato obſervat Joſ. Ant. x. 11. & contra App. I: 21. de reliquis populis vicinis, ut *Ammonitis*, *Moabitis* &c. Id. Ant. x: 9. Nimis ergo coarĉtarunt Nebucadnezaris dominationem, qui Lybiam eum tenuiſſe negant, quorum meminit Hieronymus ad Dan. IV. nec improbat, niſi de tota Lybia intelligendum ſit, quam Nebucadnezar non poſſedit; ſicut Megaſthenes nimis extendit, ut modo vidimus.

§. XXXI. At enim quod de *Aſia*, Nebucadnezari ſubjeĉta, habet Hieronymus, ſi univerſa, quam late patet, intelligatur, vereor ut ſe tueri poſſit. Ne de *Indis*, ad quos neminem, præter Bacchum & *Herculem*, perveniſſe ante Alexandrum M., ex Megaſthene tradunt *Strabo* Geogr. l. XV. p. 1007. & Arrian. Hiſt. Ind. p. 318. dicam, *Lydos* & *Medos* ab hoc rege fuiſſe ſubaĉtos, non ſine ratione dubitatur. Tenuerunt hi populi Aſiam cis & ultra Halyn, *Medici Lydique imperii terminum* diĉtum Herodot. I. c. 72. qui ib. c. 130. diſerte tradit, Medos Aſiæ *ſuper Halyn fuiſſe dominatos per annos* 128. *excepto tempore, quo Scythæ ibi primas tenuerunt* per annos 28.; *donec Aſtyages a Cyro victus eſt.* Hiſtoria Cyaxaris Medorum, & Nebucadnezaris, quorum tempora magnam partem ſibi reſpondent, Cyaxare, qui 40 annos regnavit, anno Nebucadnezaris 22do mortuo, multa, quibus eos ſocios & non ſubditos fuiſſe evincitur, ſuppeditat. Nebucadnezari in Hieroſolyma, tempore Jehojachini, expugnanda ſocias manus præbuiſſe Aſtibarem Medorum regem, qui eſt Cyaxares, ad belli ſocietatem ab ipſo Nebucadnezare invitatum, tradit Eupolemus apud Euſeb. Præp. Eu. IX: 39. Deinde easdem vices Cyaxari rependiſſe Nebucadnezarem in bello cum Aſſyriis, & Nino exſcindenda, ex Tob. XIV: 15. reĉte colligitur; quod ex Joſ. Ant. x: 5. ubi Medos & Babylonios regnum Medorum deſtruxiſſe dicitur, robur acquirit. Addit Herodot.

1: 106. Cyaxarem, Nino occupata, regnum Aſſyriacum deleviſſe, *excepta Babylonica portione;* qua regnum Babylonicum, ab Aſſyriaco jam ante avulſum, & hoc tempore a Nebucadnezare rectum, intelligitur, adeoque Medicum ei non fuiſſe ſubjectum clariſſime elucet. Præterea, bello inter Cyaxarem Medorum & Alyattem Lydorum reges exorto, quod 5 annos duravit, & paulo ante Cyaxaris mortem finitum eſt, pax inter eos narratur ab Herodot. 1: 74. conciliata ope Syenneſis regis Ciliciæ, & Labyneti, qui eſt Nebucadnezar, regis Babyloniæ: quo utique tempore hi populi Nebucadnezari nondum fuerunt obnoxii. Ad hæc accedit, reges illos, per Filiam regis Medorum a Nebucadnezare ductam, adfinitate fuiſſe junctos, ut fide Polyhiſtoris tradit Syncellus p. 168; quod Beroſus, qui *Medicam* fuiſſe Nebucadnezaris uxorem refert, haud parum confirmat; nec non Philoſtratus in vita Apollon. 1: 25. Denique poſt mortem Nebucadnezaris cum *Nitocris* regina animadverteret, τὴν Μήδων ἀρχὴν μεγάλην τε καὶ οὐκ ἀτρεμίζουσαν ἄλλα τε ἀραιρημένα ἄστεα αὐτοῖσι, *Medorum imperium magnum & irrequietum, ſubactaque ab his alia oppida*, & inter hæc Ninum, præmunivit ſe quam potuit maxime: ut habet Herodot. l. 1. cap. 185. *Lydos* a regibus Chaldæorum fuiſſe ſubjugatos ex nullo erui poteſt auctore; contra, Lydos imperium cis Halyn usque ad *Croeſum*, a Cyro devictum, poſſediſſe omnes tradunt; & Croeſum fuiſſe *ſocium* Chaldæorum in bello inter Perſas ac Chaldæos conſtat: de quo poſtea.

§. XXXIII. Hisce vehementer obſtat, non tantum Chaldæorum ambitio & potentia, quæ, cum nullos novit limites, alicubi in vicinia regnum aliquod ſi non æmulum ſaltem non ſubjectum, vix ferre potuiſſe videtur: ſed, quod fortius ſtringit, vaticinium Jer. xxv: 25. de *Medis* eandem ſortem cum reliquis populis ſubituris per Nebucadnezarem: cujus ſalva manere nequit fides, niſi Medos ſub jugum fuiſſe a Nebucadnezare miſſos, vel inſigni ſaltem cla-

de

de adfectos Nebucadnezaris Majeſtatem cominus veneratos fuiſſe, ſtatuatur. Quod poſterius quominus admittatur, nihil impedit. Etſi enim de eo nihil habeant Hiſtorici, inde manifeſtæ Prophetiæ, quæ ſententiam fori cœleſtis pronunciat, ut hic ſit, præjudicium creari nequit; cum plena deſit populorum illorum hiſtoria; & ſimilia dentur exempla Prophetiarum, quarum inplementum ex hiſtoria demonſtrari nequit: ut egregie evicit Cl. Vitringa in Vind. Templi Ezech. cap. 8. Sufficit, nihil ex indubia hiſtoria proferri poſſe, quod implemento nullum relinquit locum; quale hic nihil occurrit. Licet enim Medi & Babylonii longo tempore *ſocietatis* vinculo ſecum fuerint conjuncti, & terras, quas ſinguli poſſidebant, ſibi invicem reliquerint intactas: fieri tamen potuit, ut ſub exitum regni Nebucadnezaris, Aſtyage rege ignavo regnante, Medorum potentia fuerit labefactata, & Babylonii eos ad aliquod tempus habuerint obnoxios, quod Medis antea etiam per *Scythas* evenerat, quibus per 28 annos cedere debuerunt; ut ex Herodot. l. I. c. 106. & VII: 20. notum eſt. Accedit, poſt mortem Nebucadnezaris, ejusque filii Evilmerodachi, mox bellum fuiſſe inter Medos & Babylonios geſtum; inde forte ortum, quod Medi Babyloniorum dominium, quo premebantur, pati amplius non potuerint. Quo etiam facit, quod vivo Nebucadnezare Medi varie fuerint a Chaldæis adflicti, ut liquet ex Xenoph. κυρ. π. l. I. p. 17. & l. II. p. 39. de quo mox. Nec forte discordiarum inter Nebucadnezarem & Aſtyagem occaſio prorſus in obſcuro latet; modo verum ſit, quod ex Ez. XXVII. 10. probabiliter colligitur, *Perſas*, qui Medis hoc tempore erant ſubjecti, *Tyriis*, cum a Nebucadnezare obſiderentur, ſubſidia miſisſe. Videtur itaque Nebucadnezar, bello Tyrio confecto, auxiliares populos adgreſſus, de Perſis etiam & Medis, ea occaſione arrepta, vindictam ſumſiſſe. Quo pertinet, quod, *Suſianam* regno Babylonico fuisſe ſubjectam, ex Dan. VIII. aliisque indiciis plusquam probabile ſit: de quo vid. Cl. Vitringa Obſ. S. VI: 5.

§. XXXIII. In-

§. XXXIII. Interea quicquid hac de re ſit, ſive Medi Lydique partem regni Nebucadnezaris fecerint, nec ne; hinc *emblematibus*, eorumque expoſitioni & adplicationi ad regnum Chaldæorum, parum decedit; modo notetur, 1. *Monarchias* totius orbis per ſtatuam & beſtias non repræſentari, ſed dominantia in Oriente imperia, & quibuscum Judæo populo res fuit: quod ex *ſcopo* viſorum, & in genere Prophetiarum de fatis gentium, nullo negotio evinci poſſet, ſi opus foret. Sufficit itaque, ſi regna, quorum *aliqua fuit ad populum Dei relatio*, *amplitudine & potentia fuerint præ reliquis omnibus illuſtria, ut nullum aliud cum iis in Oriente comparari potuerit, nullum etiam, quod Majeſtatem & potentiam eorum non debuerit venerari.* Hoc niſi admittas, verbum Propheticum cum indubiis hiſtoriis continuo committes, & riſui expones; latus utique præbebis apertum adverſariis, quibus in facili fuerit ineptam opinionem de quatuor Orbis Monarchiis deſtruere. Satis eſt, ut verbo abſolvam, ſi verum ſit, quod de Babylone adſeverat Plinius Hiſt. Nat. VI: 26. *Babylon, Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe:* quod ex dictis veriſſimum eſſe, clare patet.

§. XXXIV. 2. *Eadem benigna* interpretatione ſuccurrendum eſt univerſalibus phraſibus Dan. II: 38. & IV: 19. quæ ſtylum Orientis, multis hyperbolis refertum, redolent, 1 Reg. XVIII: 10. Ez. XXXI: 6. nec non aliquo modo ad ſuperbas Nebucadnezaris opiniones, quibus alte de ſuæ dominationis amplitudine præſumebat, adcommodatæ ſunt; adeo ut ἄυξησιν *Amplificationem* adhibuerit, vel ſtylo vulgari, ſive, ſi dicere liceat, *aulæ* Regis regum, uſus fuerit Daniel; cujus forma eſt cap. III: 31. *Nebucadnezar Rex omnibus populis, gentibus & linguis per totam terram, pax veſtra augeatur.* Quem eundem ſtylum ſapit, cum titulus *regis regum*, quo Daniel regem ornat. c. II: 37. tum ſolennis ſalutandi formula, *rex æternum vive* c. VI: 22. coll. II: 4. III: 9. V: 10. VI: 7. tum denique formula illa ἀπευκτικὴ,

c. IV: 16. *hoſtibus eveniat, quod portendit ſomnium*, frequens averſantibus loquendi genus, ut recte advertit Ill. H. Grotius, nec ulterius extendendum. Quibus phraſibus ſatisfit, ſi dominium ejus 1. ſeſe ad longe maximam orbis, tum temporis in vulgus noti, partem porrexerit, adeoque vicina regna quaquaverſum maximam partem fuerit complexum. 2. Omnibus regnis ejus temporis in Oriente fuerit illuſtrius longe & potentius. 3. Nullum fuerit aliud, cui, ſi vellet, leges nequeat ponere, vel quod ſibi ab eo non metuerit, adeoque ſubmiſſe agere non debuerit; nullum, cui impotentiæ confeſſio non fuerit expreſſa, quodque ex æquo cum Chaldæis agere fuerit auſum: vid. c. V: 19. Plane eodem loquendi genere, quo πᾶσαν οἰκουμένην *totum orbem* adpellant Romanum Imperium, & Sacri, & Profani auctores: de quo notæ Philologorum ad Luc. II: 2. in primis omnium accuratiſſimi Raphelii, conſuli poſſunt. vid. etiam Rupert. ad *Flori Prologum*. Sic & Alexandro ἡ ἀρχὴ τῆς οἰκουμένης *Imperium Orbis* adtribuitur ab Ael. V. H. III: 29. & Perſas olim τῆς Ἀσίας ἁπάσης, *univerſæ Aſiæ* dominos fuiſſe, tradit Julianus Orat. I. p. 17. ſic & Alexandri ſucceſſores *totam* Aſiam inter ſe diviſiſſe, habet Herodian. l. VI. 2. Præterea, nota *univerſitatis omnis* neutiquam excludit exceptionem; ſed *multitudinem* & longe maximam partem ſæpe dicit, ut a Doctis abunde eſt adfirmatum; vid. Noldius in Concord. Particularum. Obſervavit jam hoc ſuo tempore & exemplis confirmavit *D. Raymundus* in pug. fid. p. II. cap. 12.

§. XXXIV. Hæc licet duplici emblemati *capitis aurei* & *Leonis* explicando & illuſtrando, quod hic unice intendo, ſufficiant, adeoque ad alteram periodum regni Babylonici pedem promovere liceret: aliquid moræ injiciunt *duæ alæ aquilinæ*, leoni adhærentes: maxime cum hinc nonnulli argumentum contra vulgatam ſententiam, quam noſtram fecimus, petant, *alas* illas, quas de regno *bifido*, vel duobus regibus illuſtrioribus interpretantur, in regno Babyloni-

co

cô oſtendi non poſſe contendentes. Cl Coccejus Romanum Imperium in *Orientale & Occidentale* diviſum, Jungmannus duos reges, Cyaxarem & Cambyſen, illum Medorum, hunc Perſarum, intelligit. Quam hypotheſin ſupra refelli. Mihi, ut de *alis* mentem clarius expromam, I. hoc emblema ſine ratione alio referri videtur, ac ad *qualitates* regni; celerem puta Nebucadnezaris impetum, quo in prædam irruit, regni amplitudinem, & gloriam ac elationem. Hæ enim alarum aquilinarum ſunt virtutes, quibus hæc *volucrum regina*, ὑψιπετης, ϗ ὠκυπέτης, ϗ τανύπτερος, quibus Epithetis inſigniri ſolet, *perniciſſime*, & *ſublimiſſime* volat, quasque *longisſime* expandit: ut multis docuit Cl. Bochartus H. p. III. l. II. c. 2. licet non ſit ignotum. Hunc vero intellectum præbere *alas* in Scriptura, ex claris conſtat locis, quæ brevitatis ergo ſignaſſe contentus ero. Pſ. CIV: 3. CXXXIX: 9. ubi *alæ* venti & auroræ memorantur: 2 Sam. I: 23. Thren. IV: 19. Job. IX: 26. Prov. XXIII: 5. ubi ad *celeritatem* reſpicitur. Obadj. IV. Job. XXXIX: 30. ubi *ſublimitatis* ratio habetur. Nec illud negligendum eſt, Nebucadnezari hoc ipſum emblema eo ſcopo & ſenſu aptari in verbo Prophetico. Jer. XLVIII: 40. *Ecce ſimilis aquilae involabit, pandetque alas ſuas in Moabum*, ſic & Jeſ. XLIX: 22. Celeritatis reſpectu de hoc rege dicitur Jer. IV: 13. *veloces ſunt prae aquilis equi ejus*. Hab. I: 8. *volabunt*, ſc. equites ejus, *inſtar aquilae feſtinantis ad praedam* Thren. IV: 19. *veloces fuerunt inſectatores noſtri prae aquilis cœlorum*. Denique eandem Chaldæorum, ſeu militum Nebucadnezaris, qualitatem his coloribus pingit Jeſ. V: 26, 27——. *ecce cito velociter veniet; nullus in eo laſſus aut labans; non qui dormitet, aut dormiat; nec cingulum lumborum ejus ſolvitur, aut corrigia calceamentorum ejus rumpitur.*

§. XXXV. Hæc qui adverterit, nec de *alarum* ſignificatu, nec de *qualitatibus* Chaldæorum profecto dubitaverit. Hiſtoria quoque eas in Nebucadnezare, ejusque regno & expeditionibus, fuiſſe conſpicuas evincit; ut ex rebus ge-

ſtis, & teſtimoniis ſupra prolatis, ſponte ſua elucet. Sed *agilitas* & celerrimus curſus hic in primis videtur in cenſum venire. Alæ enim *aquilinae* leoni additæ, etſi aquilinam indolem in ipſo fore indicent, directe tamen non tam ad *volatum*, quam perniciſſimum curſum nos ducunt; plane ut in *ſtruthionibus*, alarum ope non volantibus, natura vetante, ſed quam citiſſime currentibus: de quo vid. Bochart. A. p. II. l. II. c. 16. Celeritatis etiam ratio praecipue habetur in *ſimulacris alatis* Veterum Gentilium, ut docet Macrob. Sat. I: 19. & Suid. in πρίαπος: id quod multiplices Nebucadnezaris expeditiones in Judæam, Phœniciam, Arabiam, Ægyptum & Lybiam, de quibus ex auctoribus, ſupra citatis, conſtat, extra dubium collocant. Nusquam hæſit, niſi in munitisſimis urbibus duabus, Hieroſolyma & Tyro, expugnandis; nec tam in *illa* quam in *hac*; cum illam 18. menſium, hanc 13. annorum ſpatio ceperit. Hieroſolymæ obſidio cœpit ann. IX. Zedeciæ M. X. d. X. & finita eſt ann. XI. ejusdem regis M. IV. d. IX. ut colligitur ex 2 Reg. XXV. Jer. LII. & Joſ. Ant. X: 10, 11. Tyrum tot annis fuiſſe obſeſſam teſtantur Tyriorum annales & Philoſtratus apud Joſ. X: 11. & contra Ap. I: 21. Atenim prætérquam quod munitisſimarum urbium, quarum nulla cum Tyro comparanda, difficilior ſit, maxime antiquisſimis fuerit temporibus, expugnatio, illam Hieroſolymæ intercepit bellum cum rege Ægypti, qui, ut Judæis ſuppetias ferret, cum exercitu, durante obſidione, movit contra Nebucadnezarem, Ezech. XXIX: 1—. Jer. XXXVII: 5.

§. XXXVI. Quid cauſæ fuerit, quare Tyrus citius non fuerit in Nebucadnezaris poteſtatem redacta, *difficilius* panditur. Si vera eſſet Viri eruditi, qui, quantivis pretii opus Doctisſimi Prideaux in Ling. Belg. vertit, & eruditisſimis notis illuſtravit, Cl. Driebergen conjectura, quæ in notis ad Prid. Hiſt. Jud. l. II. p. 120. reperitur, de ſingulari morbo, qui eum beſtiis adſociavit, in tempus obſidionis Tyri incidente, aliquid lucis exoriretur. Cum enim per

ſeptem

ſeptem annos eo in ſtatu fuerit Rex, Dan. IV: 22. moliminibus ejus non potuit non magna injici mora. Sed vereor, ut hæc conjectura, licet ingenioſa, & Auctore ſuo digna, ſe tueri poſſit, accuratius explorata. 1. Quo tempore triſte hoc viſum contigit, ſumma tranquillitate gaudebat, & otio ac genio indulgebat c. IV. 1. *Ego Nebucadnezar quietus eram domi meae, & virens florensque in palatio.* Quod qua ratione in Eum conveniat, quo tempore in medio victoriarum curſu erat, equidem vix perſpicio? 2. Tempore viſi iſtius regnum ejus ſummum gloriæ & amplitudinis culmen adtigerat, ut patet ex verſ. 19. & c. III: 31. ſed, cum in Tyro oppugnanda erat, modo deſtruxerat Hieroſolymam; nec populos Cananææ vicinos, multo minus Ægyptum, ſuæ ditioni adjunxerat. 3. Accedit, Babylonem jam tum fuiſſe munitam & exornatam omni parte c. IV: 27. ſed huic operi manus non niſi poſt geſta bellica admovit; ut ex *Beroſi* fragmento manifeſtum eſt. 4. Denique nihil non eſt, Beroſi & Megaſthenis fragmenta, etſi hujus caſus mentionem directe non faciant, aliquid tamen habere, quod Nebucadnezari ſub vitæ finem accidit, ex quo, qui Danielem legit, facile collegerit, caſum illum ab ipſis intendi. Beroſus dicit, Regem, *poſteaquam* muros Babylonis conſtruxiſſet, incidiſſe in morbum, (*ἀῤῥωστίαν infirmitatem*) *unde mortuus eſt.* Megaſthenes tradit, *eum palatium ſuum conſcendiſſe, & divino furore fuiſſe arreptum*, quo fata regni ſui prædixit; quando evanuit. Hiſtoricos ad caſum Nebucadnezaris digitum intendiſſe, eumque alio vertiſſe, quod Ill. Scaligerum in not. ad fragm. non præteriit, quis non videt? Cum autem fatum illud cum exitu ejus connectant, de tempore caſus hinc colligere liceat.

§. XXXVII. Deſcendimus itaque in eorum opinionem, qui caſum hunc in ultimum vitæ Nebucadnezaris tempus conjiciunt: a qua non discesſiſſent Docti, ſi tantum temporis poſt bellum Ægyptiacum confectum, quantum in libro Danielis exſtat, ſupereſſe, hypotheſes eorum permiſiſſent.

Sed nobis hic aqua non hæret. Tyro expugnata Nebucadnezar mox Aegyptum petiit, & nullo negotio occupavit, anno regni 34to, ut ex Ezech. XXIX: 17. colligitur. Annus enim deportati Jechoniæ 27^{mus}, quo Ezechiel de Ægypto ſubigenda vaticinatus eſt proxime ante Nebucadnezaris invaſionem, respondet anno regni ejus 34to: quo admiſſo potuit anno 35to Babylonem repetiiſſe; & operibus confectis morbo illo per 7 annos laboraſſe, cum 43 annos regnaverit. Quæ latius ut exſequar ſcopus non patitur.

§. XXXVIII. Quid itaque adferri poterit, quo tanta mora in Tyro expugnanda excuſetur? mihi ratio a bello cum Moabitis, Ammonitis & Arabibus videtur repetenda, quod in hoc ipſum tempus incurriſſe plusquam probabile videtur. Utique Joſ. Ant. x: 9. tradit, anno 5to a vaſtata Hieroſolyma populos illos fuiſſe a Nebucadnezare impetitos: quod in tempus obſeſſæ Tyri convenit. Deſtructa enim eſt anno Jechoniæ 26mo, ut ex Ez. XXIX. modo obſervavi, qui eſt Nebucadnezaris 33^{tius}: duravit obſidio 13 annos, ut ſupra vidimus, ergo incepit anno regni ejus 20mo; ut recte obſervavit D. Vignol. Chron. S. p. 11. l. v. c. 9. Hieroſolyma vero deſtructa eſt anno imperii ejus 18vo Jer. XXXII: 1. LII: 29. Cum itaque *biennium* inſumſiſſet Tyro vincendæ, ne fama ejus quid detrimenti caperet, videtur, relicta parte exercitus circa Tyrum, cum reliquis copiis expeditionem in gentes vicinas modo memoratas ſuscepiſſe; & alia egiſſe, ab Hiſtoria, cujus hic magno laboramus defectu, non tradita.

§. XXXIX. 2. In hac *alarum* interpretatione licet acquiescere poſſem, ne tamen alicui videatur, *alas*, alio translatas, ut viri Docti inſtituunt, ex noſtra ſententia explicari non poſſe; non abs re fuerit hisce brevibus occurrere. *a.* Si *alæ* duos reges illuſtriores expinxiſſe cenſeantur, quid propius eſt, quam tales intelligi, qui, alarum inſtar, regnum Babyloniæ in altum extulerunt, & quam ampliſſimum reddiderunt? Cui itaque, harum rerum non plane imperito, non

non mox in mentem veniunt duo hujus Monarchiæ conditores, *Nabopolaſſar*, & *Nabocolaſſar* vel Nebucadnezar, Pater & Filius, ex Canone Ptolemæi & aliunde notiſſimi? Nabopolaſſarem enim, patrem Nebucadnezaris, viam ſilio ad Monarchiam Orientis aperuiſſe; & prima jeciſſe fundamenta, ex Alex. Polyhiſtore apud Syncel. Chronogr. p. 168. & Beroſi fragmento, ſæpius laudato, demonſtravit Cl. Vitringa ad Jeſ. XIII. in notitia Imperii Babylonici §. 14.

§. XL. Quod etſi in genere admittam; in eo tamen, quod Nabopolaſſarem pro *deſtructore* Nineves cum rege Medorum Cyaxare habendum eſſe hinc cogitur, diſſentire liceat: cum eo tempore, quo Cyaxares Ninum occupavit, non Nabopolaſſar, ſed Nebucadnezar clavum imperii tenuerit, ut facile foret demonſtratu, ſi hujus esſet loci. Alexander Polyhiſtor, qui non unum hic commiſit errorem, ſive ſua, ſive librarii culpa, ut ipſe Cl. Commentator recte advertit, duas Cyaxaris expeditiones contra Nineven, alteram ante Schytharum irruptiones, alteram poſt Scythas ſuperatos & expulſos, illam interruptam, hanc cum Nineves excidio conjunctam; inter quas 28 fere anni fuerunt, ſecum confudit, & in unam conflavit: priori Nabopolaſſar, *poſteriori* Nebucadnezar adfuit. Illud itaque hinc recte colligas, Nabopolaſſarem ab Aſſyriis defeciſſe, regnum Babylonicum liberum & ſui juris feciſſe; ut ipſis verbis in hoc fragmento adfirmatur. De quo pluribus non licet diſſerere. Similem diverſarum expeditionum confuſionem niſi in Beroſi fragmento de Nebucadnezare ſtatuas, difficultates, quas in principio, ubi Nebucadnezar a Patre ad Satrapam Ægypti, Cœleſyriæ & Phœniciæ, rebellem in ordinem redigendum miſſus dicitur, offendis, ſuperare non poteris ſalva Beroſi fide. Rex enim Ægypti, quod a Doctis jam eſt obſervatum, qui hoc tempore fuit Pharao Necho, nec Satrapa a Rege Chaldæorum conſtitutus, nec ab eo, cui nunquam fuit ſubjectus, defeciſſe ullo modo dici poteſt. Interea diffiteri nolim, aliam viam Beroſum cum

cum veritate hiſtoriæ conciliandi, ſi qua levi mutatione vocum inveniri poſſit, non diſplicituram. Quam donec in re critica verſatiſſimi aperiant; nobis quid tentaſſe nocuerit? Videant Docti, num hac vel ſimili ratione locus emendatius legi poſſit. *Audiens Pater ipſius*, (Nebucadnezaris) *Nabopolaſſarus*, ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἐν τοῖς περὶ τὴν Συρίαν τὴν κοίλην καὶ τὴν Φοινίκην τόποις τὸν τῶν Αἰγυπτίων προστάτην ἔνεμεν, vel ἐνεῖμεν, *quod conſtitutus Satrapes in locis Cæleſyriæ & Phœniciæ illum Ægyptiorum* (Regem) *defenſorem, & Patronum adoptaverit; laborum impatiens — miſit filium Nebucadnezarem contra ipſum;* συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ προστάτῃ *congreſſus vero Nabucadnezar cum defenſore & patrono illo, eum vicit*, καὶ τὴν χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἐποίησε *& regionem in regni ſui ditionem redegit*, ἐξ ἀρχῆς vel ab *hoc initio*, ut ſit pro ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς, quemadmodum legitur apud Joſ. Ant. x: 11. vel *omnino*, *prorſus*, quo ſenſu venit Eccleſ. XXXIX: 32. & τὴν ἀρχὴν frequenter. Hunc in modum ſi locus legatur. 1. regiones Cæleſyriæ & Phœniciæ Nabopolaſſari jam ante fuerint ſubjectæ, nunc defecerint ad regem Ægypti; 2. Pharao-Necho, illarum regionum patrocinio ſuſcepto, ſeſe eo contulerit, & inde in Babylonios moverit, oportet. Quæ lucem mutuantur, & robur acquirunt tum ex Joſ. Ant. x: 6. ubi totam Syriam ὑπὸ τούτῳ *ſub eo*, nim. *Nechone*, fuiſſe, quando Nebucadnezar ei bellum intulit, narratur, tum ex Herodot. II: 159. qui Pharaonem navibus Phœniciis exercitum transportaſſe in Syriam, ut Babylonium oppugnaret, haud obſcure indicat. Videntur itaque, quantum hinc colligi poteſt, Babylonii ſub Nabopolaſſare & Ægyptii ſecum de Syria & Phœnicia contendiſſe; quemadmodum ſequentibus temporibus Seleucidæ & Lagidæ fecerunt, eæque regiones a Nabopolaſſare occupatæ poſtea ad Ægyptios ſpectaſſe, iiſque ſe in clientelam dediſſe, ut Iſraëlitæ & Judæi quoque inſtituerunt, unde frequens bellum inter Babylonios & Ægyptios exarſit. Quo, ni fallor, quod paſſim minus

minus eſt obſervatum, reſpicit rex Pharao-Necho, cum Babylonicum regnum, & non Aſſyriacum, ut vulgo, adpellat 2 Chron. XXXV: 21. *domum belli ſui*, id eſt, populum, cum quo ſibi continuum bellum erat. Ceterum cum in loci emendatione nihil, ad quod his litteris innutritus obhæreſcat, ſeſe offerat, moras non nectam in præſentia, ſed uno alterove obſervato defungar. I. τὸν τῶν Αἰγυπτίων *regem* Ægyptiorum deſignare, nihil habet alieni. Sic Joſeph. Ant. IX: 6. Nebucadnezarem dicit bellum intuliſſe, τῷ τῶν Αἰγυπτίων Νεχαῷ 2. προστάτην νέμειν pro *Patronum* eligere, & ſe alicui in clientelam dare, bene Græca phraſis eſt, Attico quidem foro propria, & inde nata, de quo vid. Petitus ad Leg. Att. l. II. tit. v. p. 248. & amiciſſimus P. Weſſeling Obſ. l. II. 6. ſed latius ſeſe porrigens. Sic Lacedæmonii πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται, *totius Græciæ patroni & defenſores*, ſeu Duces; adpellantur a Xenoph. Hiſt. Gr. l. III. p. 480. Quod voces τὸ τῶν Αἰγυπτίων, levi mutatione pro ἔν τε Αἰγύπτῳ, ut nunc legitur, loco ſuo eſſe motas ſtatuam, in eo nihil commiſi, quod multis exemplis firmari nequeat, ſi dubium foret.

§. XLI. b. Supereſt alia *alarum* interpretatio, qua non ad regnum *bifidum*, ut Romanum in Orientale & Occidentale diviſum, ſed ad copias auxiliares, referuntur. Cum emblemate enim longe eſt conjunctius, ut *copiæ* militares repræſententur: quemadmodum *alæ* Jeſ. VIII: 8. copias Senacheribi, & Ezech. XII: 14, 17. & vulgatiſſima phraſi militiam equeſtrem, ſive a *velocitate*, ſive quod exercitum ab utraque parte *tegat*, ut obſervat Veget. II: 2., ſignant. Poſſem, ſi cogitationibus frænum vellem laxare, de *Babyloniis* & *Medis* duas alas interpretari; cum, ut ab Aſſyriis utrique defecerunt, & ſeparata regna condiderunt, ſic junctis copiis ſibi in rebus ſuis firmandis adfuerint: de quo ſupra dixi. Hic non poſſum quin addam, quod abs re non fuerit, Medos, ſi lectioni ſtandum ſit, in prædictione, Nebucadnezari attributa apud Euſeb. Præp. Eu. IX: 41. ex

Abydeno, adpellari Ἀσσύριον ἄυχημα h. e. *gloriationem*, ſeu præcipuum firmamentum Aſſyriacum, vel Babylonicum, quæ nomina paſſim confunduntur; illud enim phraſis denotat, ut Jeſ. xx: 5. Αἰγύπτυ ἄυχημα; quod a Doct. N. Abramo in Pharo p. 321. occupatum poſtea vidi.

§. XLII. Atenim, licet excurſus vitare nihilque anticipare velim, non poſſum quin conjecturæ, ut de ea periti judicent, hic locum dem. Vox Μήδης, quæ eruditis crucem fixit, & varias peperit opiniones, mihi haud uno nomine de mendo eſt ſuſpecta, cum quod nullam, quæ ſe tueri poteſt, ferat interpretationem, quod facile demonſtrari poſſet, tum quod Μήδης pro Medo prorſus ſit inſolitum, nec ferendum. Ill. Scaliger Em. temp. p. 583. *Medum* & *Meden* pro eodem *Veteribus accipi* unius *Auſonii* loco adfirmat, qui ſub finem Ep. XXII. in editione Scaligerana habet.

Hoc ſi impetratum munus abs te accepero,
Prior colere quam Ceres,
Triptolemon olim, ſive Meden, *quem vocant*,
Aut Tullianum Buzygen,
Tuo locabo poſtferendos nomini.

Verum Doctiſſ. Cl. Vinetus edidit:

Triptolemon olim, ſive Epimenidem *vocant.*

ex conjectura A. Schotti in loco Heſ. in βυζύγης fundata. Mihi itaque Μήδης το in locum μὴ δῆτα, levi mutatione irrepſiſſe videtur, & locus in hunc modum legendus. *Cujus* (Cyri) *coadjutor erit*, μὴ δῆτα, Ἀσσύριον ἄυχημα, *Dii avertant! Aſſyriorum gloriatio.* id eſt, præcipua & glorioſiſſima Aſſyriorum, vel Babyloniorum, *nobilitas*, viri principes, & firmiſſimum populi robur; puta, Gadatæi & Gobriani, qui a rege Babyloniorum ad Cyrum defecerunt, teſte Xenophon-

nophonte, ut notum eſt, & *cives ſuos prodiderunt*; quod ipſis in hoc Nebucadnezaris ſomnio mox imputatur. Phraſin Ἀσσύριον ἄνχημα in eos recte quadrare neminem fugit, qui, quæ ὁ πάνυ Caſaubonus ad Athen. l. 1. c. 9. de ea adtulit, in promtu habet. Sic Principum virorum, qui civitatis ſunt columina, titulus eſt ἔρεισμα; ut obſervavit, amicorum ſummus, T. Hemſterhuis ad Lucian. Tim. p. 163. Ceterum μὴ δῆτα eſſe ἀπευκτικὸν, *abſit! Dii avertant!* tralatitium eſt.

§. XLIII. Sequitur altera regni Babylonici periodus, qua 1. alæ ſunt avulſæ 2. *pedibus inſtitit inſtar hominis*, cum corde humano 1. *Alæ* ſunt ipſi ereptæ, cum *amplitudo* ejus eſt coarctata, copiæ imminutæ, potentia labefactata, gloria obſcurata, & denique potentes ejus & bellicoſi Principes in obſcurum iverunt. Quod mox poſt mortem Nebucadnezaris accidit. Filius ejus Evilmerodach in regnum quidem ſed non in virtutem Paternam ſucceſſit; regnavit enim ἀνόμως, καὶ ἀσελγῶς, *nefarie* & *petulanter*, ut verba habent *Beroſi:* quare poſt duos regni annos a ſororis marito Neriglioſſoro eſt ſublatus, eodem teſte. Mirum itaque non eſt, populos, a patre devictos, hac occaſione arrepta undiquaque defeciſſe, maxime cum Nebucadnezar ultimo vitæ ſeptennio, quod inter beſtias degit verius quam homines, inpar tanto imperio fuerit. Defectio quidem populorum etſi nusquam clare memoratur, quia nihil de hoc rege nobis relictum eſt, ob monumentorum jacturam; attamen indicia quædam, ex quibus id colligi poteſt, exhibet Xenoph. Inſt. Cyri l. 1. p. 22. ubi narrat Neriglioſſorum, (eum enim, licet non nominet, intelligit per Aſſyriorum regem,) *Syros univerſos ſubegiſſe, Arabum regem imperio ſuo ſubjeciſſe, & Bactrios oppugnaſſe:* quod niſi de rebellium, qui ab obedientia receſſerant, ſubjectione intelligas, cum geſtis Nebucadnezaris conciliari non poteſt. Medi vero & Perſæ, qui antea vel adtriti fuerant, vel ſibi a Nebucadnezare metuentes, ejus numen adorare debuerant, aperto

to marte in Babylonios inſurrexerunt; ut ex Xenoph. l. c. p. 17. &c. patet. Præterea viribus ſuis, quibus antea nemo auſus erat caput objicere, nunc diffiſi Medorum metu perculſi fuerunt, & ad vicinos populos auxilii ergo confugere debuerunt: quod ex Xenoph. l. c. p. 22. & l. v. p. 123. dubio caret, ex quo etiam, quod modo obſervavi, confirmatur, Medos adhuc vivo Nebucadnezare, ſed in alium mutato, incepiſſe Babyloniis reſiſtere. Cum enim Evilmerodach, Filius Nebucadnezaris, uxorem ducturus, in Medorum agros ſub ſpecie venationis excurreret, & eos deprædaretur: Medi, duce Cyro, qui tunc 15 annos natus erat, in eos impetum fecerunt, & magna cum clade abegerunt, ut narrat Xenoph. l. I. p. 17. Quod quæ ſupra ex Herod. de Nitocri, ſe contra Medorum ingraveſcentem potentiam præmuniente, protuli quoque confirmant. Babyloniis itaque jure aptaveris illud Cic. l. IV. ep. 2. ad Atticum: *qui mihi pennas inciderant nolunt easdem renaſci.*

§. XLIV. Necdum tamen *Leo* ceſſaverat eſſe, alis licet revulſis: quod paulo poſt demum contigit. Evilmerodachum in regno Babylonico excepit *Nerigliſſorus*, gener Nebucadnezaris, qui per *quadriennium*, quo ad clavum imperii ſedit, *Leonem* de virtute ſua nondum penitus remiſiſſe demonſtravit. Ipſe enim, quemadmodum ſub Nebucadnezare fortiſſimi ducis laudes meruit, ſi, quod plusquam probabile eſt, ſit *Nergol-Scharezer*, cujus mentio occurrit Jer. XXXIX: 3. quare regis filiâ, quam ducat, dignus habitus eſt: ita rex factus *ſeſe virum fortem & ſtrenuum præſtitit;* quod de ipſo teſtatus eſt Xenoph. l. IV. p. III. & geſta confirmant. Ipſe enim regnum collapſum tuitus eſt, & ad priſtinam conditionem revocare inſtituit, ſubactis *Syris*, *Arabibus*, aliisque; de quo Idem l. I. p. 22. Alius enim ac Nerigliſſorus eſſe nequit, de quo Xenoph. locis citatis agit; ut ex Hiſtoria Cyri & belli cum Babyloniis manifeſtum eſt. Sed & hoc Rege ſummo ſuo damno poſt tres annos orbatum eſt regnum Babyloniorum. Prælio enim inter

inter Medos & Babylonios habito, hi ingente clade adfecti ſunt, & rex cecidit. Xenoph. l. III. fin. & l. IV. init.

§. XLV. Hoc funeſtum prælium mox ſecuta eſt conditio, quam Leo, duobus anterioribus pedibus erectis inſtar hominis ſtans, & corde hominis præditus, repræſentavit. 1. Regem in *Beltzazare*, ultimo Rege, qui ſuperiori ſucceſſerat, *ignavum*, *meticuloſum*, & imbecillem accepit; cui præter *temulentiam*, *ſuperbiam*, & *crudelitatem*, nihil de Leone ſupererat: ut ex Dan. V: 22, 23. notum eſt, & ex Xenoph. *l. v. p.* 123. & 139. ubi diſerte πονηρὸς *ignavus* adpellatur: qualem ſe exhibuit toto hoc belli tempore: donec Gadatæi & Gobriani, Babylone capta, ad regiam penetrantes, ipſum *erectum cum acinace*, *quem ſtrictum tenebat*, *ſtantem* deprehenderint, & trucidarint. Xenoph. l. VII. p. 192. Ecce leonem pedibus inſiſtentem, ignavum & inbellem: quod Danielis hiſtoriæ cap. V. egregie convenit.

§. XLVI. 2. Deſerti præterea erant a Principibus viris, & ſociis præcipuis, qui partim defecerant, ut Gadatæi & Gobriani, & populi fortiſſimi, Hyrcani, aliique, Xenoph. l. V. p. 123. partim ſubacti, vel abſterriti erant per Cyrum, ut *Lydi*, aliique. 3. Denique ipſi Babylonii metu perculſi, vel munimentis urbis fiſi, ac luxuriæ devoti, *fæminarum inſtar* ſeſe intra muros urbis continebant, omni virtute bellica depoſita. Jer. LI: 30. *Ceſſarunt fortes viri Babyloniæ pugnare*, *ſedent in munitionibus*, *defecit robur eorum*, *facti ſunt mulieres.* Tradit enim Herodot. l. I. c. 190. eos, multorum annorum commeatu in urbem comportato, ſeſe muris incluſiſſe, *nihili facientes obſidionem.* Imo otio & luxui ſeſe dabant, leonem immotum & omni virtute orbum ſeſe præſtantes. Quo in ſtatu oppreſſi ſunt cum hilariter agerent, ut ex Dan. V. & Herodot. ac Xenoph. nemini non conſtat. Inſtituti enim ratio, ut hæc latius exſequar, non patitur, qui non hiſtoriam ſcribo, ſed emblemata Danielis expono.

§. XLVII. Hoc a ſtatu parum abfuerunt Babylonii, quo

tempore Danieli viſum obtigit cap. vii. & manſerunt in poſterum, niſi quod a priſtina virtute magis magisque receſſerint. Edixit enim Cyrus teſte Xenoph. κ. π. l. vii. p. 193. ut *Babylonii agros colerent*, *tributum penderent*, & *ad omne obſequium*, præfectis præſtandum, eſſent parati: imo, ut quam *humillimi* & *abjectiſſimi* eſſent, voluit, ut ib. Xenoph. p. 194. Quod Xerxes poſtea præſtitit. Ipſe enim, ut narrat Plut. Apophregm. p. 173. juſſit *eos fidibus & fiſtulis canere*, *lenocinium & cauponam exercere*, *ac tunicas geſtare ſinuoſas*; ſimul *interdixiſſe armorum geſtatione*. In quo Cyri videtur imitatus exemplum: refert enim Herodot. 1: 155. Cyrum ſimili fere ratione cum Lydis ſubactis egiſſe eo conſilio, a Croeſo ipſi ſuppeditato, ut *viri in mulieres degenerarent*. Quod idem Babylonico *Leoni*, qui *cor hominis* accepit, contigit.

DISSERTATIO SECUNDA

DE PECTORE ET BRACHIIS ARGENTEIS STATUÆ ET SECUNDA BESTIA

CAP. II: 34. VII: 5.

SECUNDUM REGNUM.

§. I. Secundum Regnum in Statua per *pectus* & *brachia* ex *argento* depictum eſt cap. II: 32.

Pectus & brachia ejus ex argento.

ſed in viſo Danielis per *urſum carnivorum* cap. VII: 5.

Et ecce feram aliam ſecundam ſimilem urſo, quaeque in uno latere conſtitit: cui tres in ore coſtae erant inter dentes: etenim dixerant ei; ſurge & multam carnem vora.

§. II. *Prius* emblema cum luce ſua fulgeat; *poſteriori* ante quid luminis adſpergendum eſt, quam *regnum*, quod hic repraeſentari exiſtimo, definiam, & imagines ei adplicem. De Urſo dicit propheta, 1. eum *in uno latere ſtetiſſe*, ſive *Leonis*, ſive *terræ*; de quo poſtea. Plures quidem Interpretes vertunt, *& dominatum unum erexit*, voce שטר cum puncto in cornu litteræ ש dextro, & verbo הקימת in Aphel, inducti: ſed, ne ad variantem codicum Hebr. lectionem, quæ pro שטר habet, סטר, & pro הקימת præfert הֳקָמַת in Hophal, *erecta*, *conſtituta eſt*; provocem; vox שטר æque ac סטר *latus* ſignificat, ut ad eum locum amiciſ-

ſimus

ſimus Schultens obſervavit: & verbum in Aphel recte vertitur, *conſtitit firmiter*, vel *ſedem fixit.* quam poteſtatem ſubinde habet conjug. *Hiphil;* ut in vulgus notum eſt. Obſtat vero interpretationi, quam oppugno, tum quod שטר nusquam *dominium ſupremum* denotet, tum quod *unum dominium erigere*, nec ferenda ſit phraſis, nec huc quadret.

§. III. 2. De ambiguo trahit ſequens membrum, *& tres coſtæ in ore ejus inter dentes;* quod vel de *majoribus* & molaribus, dentium ordini inſertis, vel de *bolis*, ab urſo devorandis, intelligi poteſt: ne de *tribus* dentium *ordinibus*, ad quos nonnulli referunt, quid memorem. Etſi enim animalia, triplici dentium ordine utrinque inſtructa, veteribus fuerint nota, ut de *draconibus* obſervat Boch. H. *part.* II. *lib.* III. *cap.* 14. & de mirabili fera apud Indos ex Cteſia refert Plinius *Hiſt. Nat.* VIII. 21. & ante ipſum Ariſtoteles Hiſt. Anim. II: I. qui tamen addidit, *ſi Cteſiæ credendum ſit:* nec vox עלעים dentium *ordines*, nec phraſis, *tres dentium ordines inter dentes*, illud admittit. Num vero dentes *molares*, an *bolos*, denotet vox עלעים, dubium eſt? licet mihi de *coſtis*, carne veſtitis, cogitandum eſſe verius videatur. Vox enim Hebr. צלע cui Chald. reſpondet, in *coſta* & latere teritur: cui Græcus Interpres concinit, qui reddidit, τρία πλεῦρα, vel, ut editio Rom. habet, τρεῖς πλευραί. Quod enim Theodoret. τρία πτερὰ hic habet, vitioſum eſt, pro πλεῦρα. Ceterum *coſtæ* ſi intelligantur, earum, tanquam *reliquiarum* carnis devoratæ, hic mentio fieri videtur, in ſignum *voracitatis* urſi, qui tres *coſtas* inter dentes tenebat, tanquam totidem corporum abſumtorum argumenta.

§. IV. 3. Quem coſtarum in ore urſi conſpectum egregie firmant ultima verba, *& ſic dixerunt ei; ſurge, vora multam carnem:* modo illud ante, & non poſtquam *tres coſtas* ore præferret urſus, ei hoc dictum, & ab eo factum eſſe obſervetur; hoc ſenſu: *tenebat tres coſtas, dictum enim ei erat ut multum comederet, quod* & fecit, tenens adhuc ejus

ejus reliquias, ſive *tres coſtas*, inter dentes. Quem ſenſum ut res ipſa requirit, tum quod *coſtæ* inter dentes ſint carnium devoratarum reliquiæ & ſigna, tum quod in urſum, dum *coſtas* tenet, *carnes* comedere minus conveniat: ſic phraſis optime fert. *Dixerunt* enim pro *dixerant*, ſeu præteritum pro *plusquam perfecto*, quo Hebræi carent, ſatis tritum eſt. Ceterum, ut leviora, vel ab Interpretibus abunde illuſtrata, tranſiliam; emphaſin, quam verbum *ſurgere* præfert, neglectam nolim. *Surgere* enim ad aliquid agendum eſt *cum ſtudio & impetu aliquid adgredi*, ut 2 Sam. XIII: 31. Num. XXIII: 18. Exod. XXXII: 1.

§. V. Via ad emblematicum intellectum ſtrata, in *regnum*, quod has lineas præſtitit, inquiramus. Regnum Perſarum, quod a Cyro conditum in Dario Codomanno poſt duo ſecula extinctum eſt, per *pectus* & *brachia* Statuæ expingi, convenit fere inter omnes cujuscunque ætatis & ſtudii Interpretes. Sed, licet *ejusdem* regni imaginem eſſe Urſum carnivorum vulgata habeat opinio: non deſunt tamen inter Recentiores, ne de Cl. Coccejo dicam, qui diſſentiunt. Ex quorum enim opinione primum Regnum in emblematibus *quatuor animantium* eſt *Medo-Perſicum*, illi *ſecundum* vel ad *Perſicum* poſt Cyrum, ſive a Cambyſe, ſive a Dario Hyſtaspis vel Xerxe ſumto initio, referunt, quam opinionem Cl. Vitringa ad Apoc. XIII: 2. verbo propoſuit; vel ad *Macedonicum* ſub Alexandro M., quæ Jungmanni eſt hypotheſis, adplicant. Noſtra vero cogitata, quæ ab omnibus diſcedunt, antequam in medium proferam; rationes, quare in ſuperioribus non acquieſcam, dandae ſunt, ne temere viam communem deſeruiſſe, & ſemitam feciſſe videar.

§. VI. In Doctiſſimi Jungmanni ſententia refellenda non eſt quod multum operae ponam, tum quod ex ſuperiore diſputatione, qua Leonis emblemate regnum Babylonicum repraeſentari adfirmavi, ſponte ſua evaneſcat, cum regnum *Perſicum* ordine ſecundum negligi nequeat; tum quod

quae, quominus in regnum Perſarum concedam, impediunt, haud minorem vim & hic habeant: id quod ex ſequentibus luce meridiana clarius fiet. Eodem levidenſi brachio perſtringere licet opinionem de Regno Perſico poſt Cyrum, & Cambyſen. Si enim ne regno quidem Perſarum locus ſit in duplici hoc emblemate, & hæc hypotheſis corruat neceſſe eſt. Diſplicet praeterea in utraque, & Jungmanni & hac, quod partes *imaginis* & *beſtiæ* diverſimode adplicentur, & ad diverſa regna transferantur. Praeterquam enim, quod ſibi haec viſa manifeſte reſpondeant, ut ſupra obſervavi, in ſecunda hac utriusque viſi parte ſeſe aliquid offert, quo convenientia confirmatur: quod mirum eſt Interpretes non advertiſſe. Utroque in viſo de *tertio Regno*, *dominium* ipſi per univerſam terram fuiſſe datum, expreſſe adſeritur cap. II: 39. VII: 6. quod de *ſecundo* in *neutro* non tantum non additur; ſed haud obſcure contrarium ſignificatur; cum *ſecundum* regnum in priore viſo fuisſe *primo humilius*, & in poſteriore *in uno latere conſtitiſſe* dicatur. De quo mox.

§. VII. Præterea minime ad palatum eſt, regni Perſici duas ſtatui ex hac hypotheſi *periodos*, alteram a *Cyro*, alteram a Cambyſe vel rectius a *Dario Hyſtaspis*, quæ per duo diſtincta animalia figurari poſſint. Quæ hypotheſis in eo vertitur, quod Cyri & Cambyſis regnum fuerit Medico-Perſicum, & Darii Hyſtaspis ejusque ſucceſſorum *Perſicum* proprie dictum, audire debeat. Cui haud unum obſtat. 1. Quia regna Darii Medi & Cyri tanquam diverſa, alterum *Medorum*, alterum *Perſarum*, clare diſtinguuntur: Dan. VI: 29. IX: 1. coll. X: 1. XI: 1, 2. de quo poſtea. 2. Quia Cyrus, ſi vel ex matre Medica, & uxoris Medicæ maritus, utroque, ſi vis, de quo ſuo loco diſputabo, etiam nomine hæres regni Medici, originitus tamen *Perſa* & Perſarum rex fuit; nec non ad Perſas Monarchiam Orientis transtulit: cujus rei luculentum præbet teſtimonium inſcriptio monumenti Cyri apud Strab. Geogr. l. XV. p. 1082. *Ego Cy-*

rus

rus ſum, Aſiæ rex, qui Perſis imperium paravi, & rex Aſiæ fui, cujus regnum ad omnes ſucceſſores eſt devolutum. Idem itaque, eodemque nomine inſigniendum, & Cyri & reliquorum Regum Perſarum regnum. Quod omnes firmant Hiſtorici, qui de regibus Perſiæ, tanquam Cyri ſucceſſoribus, quique ejus *throno* inſident, vid. Plut. *in Vit. Alex. pag.* 682. & de fortuna *Alex. pag.* 327, 338. loquuntur. 3. Quid? quod non tantum in orationibus Cambyſis & Principum Perſarum apud Herodot. *lib.* III. *cap.* 31. &c. præſupponatur, regnum eſſe *Perſicum*: ſed, quo nihil eſt hanc in rem clarius, Cambyſes a morte proximus, regios Deos obteſtatus, præcepit cum omnibus, tum Achæmenidis, μὴ περιϊδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖθις ἐς Μήδους περιελθοῦσαν, *ne negligant imperium reverti ad Medos*. ibid. cap. 65. 4. Nihil me cauſæ videre fateor, quare regnum Cyri non *Perſicum* ſed Medo-Perſicum, a Perſico diverſum, adpellandum ſit; multo minus ea cum emphaſi, quæ *diſtincta* regna, per diverſa animalia expingenda, efficere valet. Animalium enim emblemata non diverſas ejusdem ſucceſſionis regiæ *familias*, ſed longe *alia*, & diverſæ gentis ſeu populi, regna requirunt; maxime cum *alia* regna diſerte dicantur. cap. II: 39. & VII: 5. Accedit, non *duas*, ſed *tres* quatuorve regni Perſici epochas, ſi diverſarum familiarum foret ratio habenda, orituras. Præter Magos enim Darius Codomannus ex alia fuit familia. Fuit quidem Cyrus cognationis & adfinitatis vinculo cum Medis per matrem, ut vulgo putatur, & uxorem colligatus: ſed Dario Hyſtaspis fuit quoque cum Cyro neceſſitudo. Fuiſſe enim Darium *Achæmenidem*, *Arſamis* filium, unde Cyrus genus paternum duxit, tradit Herodot. l. I: 209. nec non duas Cyri filias habuiſſe uxores, *Atoſſam* & *Artyſtonam*, notum eſt. Creverit etiam Cyrus regni Medici hæreditatem, nec armis occupaverit, quod tamen dubium eſt, de quo mox: pro acceſſione regni Perſici haberi debet, adeoque regni *Perſici* conſpectus inde nihil mutationis accepit, non magis,

gis, quam cum Darius libera electione ad idem regnum pervenit. Fuit itaque, manſitque idem Regnum Perſicum ſub Cyro, & ſucceſſoribus.

§. VIII. Sed quid præcipue anſam præbuit regni Perſici, ſic proprie dicti, epocham a Dario vel Xerxe ducendi? a Cambyſe enim id faciendi ne fingi quidem poteſt ratio, quæ vel animadverſionem meretur. Nihil aliud ſeſe mihi obtulit, ac quod Medi, ſub Dario Hyſtaspis a Perſis deficientes, ſubacti fuerint a Xerxe; ut narrat Herodot. l. I: 130. a quo demum tempore *Medi*, qui Cyro ſponte ceſſerant & cum Perſis ſub Cyro regnaverant, *ſubacti*, & ſorte imperii excidiſſe cenſeri, ut videtur, queant. Quo referri poſſe videtur, quod Perſas *Medis* eripuiſſe imperium refert Arrian. Exp. Alex. l. II: 6. Sed, ne Medos hoc demum tempore, & non antea fuiſſe a Cyro ſubjectos, dubium, imo ex mente Herodoti & Arriani falſum eſſe regeram, quare eorum teſtimonia parum hanc cauſam juvant: illud utique ex ipſa Medorum rebellione vel defectione a Perſis colligitur, eos, quocunque etiam modo, ſive per hæreditatis ſive belli jus, in ditionem Cyri venerint, non cum Perſis imperium participaſſe, ſed iis fuiſſe ſubjectos. Quid? quod ipſe Xenophon de Exped. Cyri l. III. p. 308, 309. *Medis* fuiſſe imperium a Perſis ſub Cyro *ereptum* tradat. De Arriano ſi quis forte dubitet, num Cyrum l. c. in oculis habuerit, is l. V. c. 4. inſpiciat, ubi Cyrum *Medis Aſiæ imperium abſtuliſſe* diſerte tradit.

§. IX. Atenim, ut arcem cauſæ invadam, Regni Perſarum, unde etiam origo repetatur, nullam hic eſſe habendam rationem, & communem Interpretum opinionem ſtare non poſſe; operæ prætium fuerit ejusmodi adfirmaſſe rationibus, quæ nos a vulgata, & Interpretum conſenſu firmata, ſententia haud temere discesſiſſe evincunt. I. Primum argumentum, quod ad *ſecundum* in Statua regnum pertinet, ex indubio & præcipuo ejus *caractere*, in ipſo textu conſignato, deſumtum eſt, quo nihil poteſt eſſe luculen-

culentius. Qui caracter diſtinguens habet, regnum ſecundum eſſe primo humilius, depreſſius, & tum opum, tum potentiæ, tum amplitudinis reſpectu inferius. Quod criterium non tantum metalli ſpecies, ſed ejus explicatio, a Daniele data, inprimis exhibet cap. II: 39. Argentum ut eſt auro longe inferius, ſic de regno, per pectus & brachia ex argento expicto, adſerit Propheta: *poſt Te exorietur regnum aliud, Te vel Tuo humilius.* Vox ארעא, quæ in textu occurrit, reſpondet Hebr. ארץ, & in origine ſua quicquid eſt depreſſum & *inferum* ſignat: unde *terræ* fluxit ſignificatio, oppoſite ad *cœlum* שמים a radice, quæ *ſublimitatis* intellectum comprehendit. Imo pro *infimo* & *fundo putei* ſumitur Dan. VI: 25. Græcus interpres hic habet, ἥττων σου *minor, deterior Te*; rem recte exprimens. Qua vero in re humilior & deterior illa conditio ſit quærenda, nullum relinquit dubium comparatio argenti cum auro, & aurei capitis explicatio, quam Daniel præbuit. Ipſe enim cum *auri* emblema ad opes, potentiam & ſplendorem retulit: *argentum*, auro deterius, earundem rerum reſpectu depreſſiorem ſtatum ob oculos ponere extra controverſiam ſit neceſſe eſt.

§. X. Ad hoe qui adverterit criterium, nec in Babyloniorum & Perſarum hiſtoria plane hoſpes ſit: is profecto, comparatione utriusque regni inſtituta, tantum abeſſe nullo negotio deprehendet, ut Perſarum fuerit hac parte Chaldæorum regno inferius, ut potius ſuperius dicendum ſit. Divitiis, robore, amplitudine nullo modo Chaldæorum imperio impar fuit illud Perſarum: ὅτι μὲν δὴ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἡ τοῦ κύρου βασιλεία ἐγένετο, αὐτὴ ἑαυτῇ μαρτυρεῖ, *fuiſſe quidem inter ea, quæ Aſia vidit, longe præclariſſimum & maximum Cyri regnum, vel ipſum de ſe teſtatur*: ut habet Xenoph. κ. π. l. VIII. p. 238. qui etiam tum ibi, tum alibi, ut p. 233. & de Exp. Cyri l. 1. p. 261. de amplitudine regni Perſici legendus eſt. In primis κ. π. l. 1. p. 2. ubi enumerat populos ſubjectos, præter Medos & Hyrca-

nios quibus non invitis imperavit, *Syros*, *Aſſyrios*, *Arabes*, *Cappadoces*, *Phrygas* utroſque, *Lydos*, *Cares*, *Phœnices*, *Babylonios*; *Bactrios*, *Indos*, *Cilices*, *Sacas*, *Paphlagonas*, *Megadinos*, aliasque gentes complures; item *Græcos* incolentes Aſiam, & *Cyprios* & *Ægyptios*. Ariſtoteles de *Mundo* cap. 6. ſeu quisquis libri illius autor, utique vetuſtisſimus, Perſas τὴν σύμπασαν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας, *totum Aſiæ imperium ab Helleſponte ad Indos tenuiſſe* adſerit. Cui concinit Plato in Menex. p. 239. *totam Aſiam Perſis ſubjectam*, & *Europam* quoque fere *ad ſervitutem fuiſſe compulſam*, tradens. Quod Dionyſ. Halicarn. p. 2. quoque confirmat, Perſas τῆς μὲν Ἀσίας πάσης *totius Aſiæ Dominos fuiſſe* tradens. Polybius quoque l. 1. c. 2. μεγάλην ἀρχὴν καὶ δυναστείαν *magnum imperium* & *dominationem* iis attribuit. Ariſtid. in Panathen. p. 121. Perſis ſub Dario Hyſtaspis dat πλῆθος τῶν δεδουλωμένων ἐθνῶν. ἃ καὶ ὀνόματι γνωρίσαι φιλοτιμίαν εἶχε καὶ ψιλῇ πορείᾳ διελθεῖν ἐλπίδος κρεῖττον ἦν: *multitudinem gentium ſubjectarum, quæ hic nominari, nec vel obiter peragrari, niſi cum laude magna, & præter ſpem poſſent.* Sed quid in re nota moras necto? Totam Aſiam, quam late fere patet, Ægyptum, imo aliquot Thraciæ urbes, Perſarum ſub dominio fuiſſe, inter omnes conſtat. De opibus, divitiis, pompa, ſplendore & luxu, quid dicere adtinet? cum hac parte ſi non ſuperaverit, utique æquaverit regnum Babylonicum, omnium conſenſu. Confer quæ protulit Briſſon. de Regno Perſ. l. 1. §. 73. Boch. H. p. 11. c. 8. Sed de eo ſuo loco plura.

§. XI. Argumento haud parum roboris addunt multiplices & diſſonæ viæ, quibus Interpretes irrito conatu ſeſe hac difficultate expedire laborarunt; quas recenſuiſſe & verbo refutaſſe non abs re fuerit. Hieronymus, qui Porphyrii aliorumque commentarios ante oculos habuit, nihil adferre potuit: ſed lectorem dimittens an deſtituens, regnum Medorum & Perſarum *argenti ſimilitudinem* habere, *minus priore & majus ſequente*, ſine ulla aut explicatione

ne aut demonſtratione dictitat. Theodoretus, ſimilibus preſſus anguſtiis, ea via elabi conatus eſt, quæ noſtram hypotheſin firmat; *Perſicum*, ait, *minus* vocat, *non ut imbecillius*, ſed *ſecundum*; eo ipſo Perſicum pro *inferiore* haberi non poſſe agnoſcens. *Inferius* vero & *ſecundum* qui ſecum commutat, & in eo regni ſequentis criterium ponit, deſperatam cauſam prodit. Nec alio dignum eſt nomine, quod nonnulli Recentiores, ipſe etiam Jungmannus, ad regnum Medorum & Perſarum, antiquis Mediæ & Perſiæ finibus adhuc concluſum, antequam Babylonicum ſubjugaſſet, & Monarchiam Orientis condidiſſet, *inferioritatis* epitheton adplicant. Regna, Babylonicum & Perſicum, qui ſecum comparaturus, illud Monarchicum, hoc antiquis finibus conſtrictum, conſideraverit & intellexerit, & eo ſenſu Perſicum eſſe Babylonico inferius dixerit, riſui ſeſe exponeret. In Statua præterea regna exhibentur tanquam Monarchica & ſucceſſiva; adeoque eo conſpectu inter ſe conferenda. *Poſt Te*, inquit Daniel, *ſurget regnum aliud*, *Tuo inferius*; utique poſteaquam fuerit in locum Babylonici exortum. Nihilo pluris eſt faciendum, quod *durationis* utriusque regni rationem hic habendam eſſe alii *cenſeant*. Quid enim hoc ad ſublimius vel depreſſius, ſuperius vel inferius? ne dicam, gloriæ & amplitudinis reſpectu ab ipſo Propheta metallorum, auri & argenti, ſpecies exponi. Quid? quod Babylonicum & *duratione* longe ceſſerit Perſico; niſi quis Aſſyriacum cum Babylonico commiſcendum contra viſorum ſcopum & rei veritatem velit. Primus enim in hocce viſo Monarcha eſt Nebucadnezar; de quo in ſuperiore Diſſertatione egi. Regnum Babylonicum majore quoque jure cum Aſſyriaco confundi nequit, quam Medicum; utrumque quippe ruinis Aſſyriaci ſuperſtructum.

§. XII. Majore ſpecie ſe Ill. Grotii opinio commendaret, qui *ſuperiorem* Babylonici regni conditionem in Nebucadnezaris expeditionibus in *Africam* & *Hiſpaniam* quærit; ſi de

de earum veritate conſtaret, vel ad hiſtoriæ propius quam *fabulæ* ſpeciem accederet. De quo ſupra disputavi. Deinde, ſi quis ab illa opinione ſe divelli non patiatur, *tranſitoria* expeditio, ut hæc fuit, qui *Imperii caracterem* fixerit? Et hoc qui concoquere poterit, quid Cyri, Darii & Xerxis faciet expeditionibus? *illius* in Indiam, teſte Strabone l. xv. p. 1007. & mortis Cyri narratione, licet ficta, apud Maſſagetas, *horum* in Græciam; ante quos nemo eorum, qui Aſiæ imperarunt, in Græcos habuit dominium, ut Strabo l. xv. p. 1068. obſervat. Hæ regum Perſiæ expeditiones ſi famoſam Nebucadnezaris non æquent, utique quominus regnum Perſicum *depreſſius* dicatur, eoque caractere inſigniatur, faciunt.

§. XIII. Qua eadem premuntur difficultate, qui *durabilem* & non *interruptam* regni Nebucadnezaris proſperitatem infelicibus nonnullis regum Perſiæ expeditionibus, ut Cyri in Scythas, Cambyſis in Æthyopas, Darii & Xerxis in Græcos, & quæ ſunt aliæ ſimiles, opponunt, & in eo tanquam criterio diſtinguente acquieſcunt. Expeditiones enim illæ minus proſperæ ſi gloriam regni Perſici aliquo modo obſcurarint, de potentia & amplitudine regni ſi aliquid detraxerint; utique non, ut regnum Perſarum hac *inferioritatis* nota propterea adfici mereatur. Curtius, hisce non obſtantibus, Perſarum imperium *ſecundo curſu* per 230. annos ad ſummum faſtigium a Diis fuiſſe evectum, adſerere non veretur. l. iv. c. 14. De quo ut rectius judicetur, regni Nebucadnezaris & Cyri, dein utriusque ſucceſſorum, inſtituamus comparationem. Regnum ſolius Nebucadnezaris ſi per caput *aureum* intelligatur, æquum eſt ut regnum Cyri per pectus expictum ſtatuatur, cum uterque fuerit *primus* in ſua ſerie Monarcha, & regni conditor. Cui primas daturus ſis ſi ſorte hæreas, equidem Cyrum inferiorem a quoquam, qui ad utriusque facta & fata adverterit, habendum eſſe non autumaverim: quin ſecundum Cyrum, ſi de majore proſperitate & geſtorum magnitudine quæſtio movea-

moveatur, pronunciandum eſſe, vix eſt quod dubitem. Nebucadnezaris gloria per ſeptennii moram inter feras aliquid detrimenti cepit, & proſper belli curſus per diuturnam Tyri obſeſſionem aliquo modo interceptus eſt, ut ex Ez. XXIX: 18. colligitur. Nihil ſimile in Cyro ſeſe offert, niſi *Scythica* huc trahatur expeditio: ſed cui nemo, qui discrepantes veterum de Cyri exitu narrationes ad animum revocaverit, & rei improbabilitatem conſideraverit, multum fidat. Quanta vero Cyri fuerit per omne vitæ tempus proſperitas, ex luculento Dei promiſſo Jeſ. XLV: 1—3. elucet, & ab Hiſtoricis confirmatur. Quod, ne de Xenophonte dicam, Herodoti, teſtis hac parte non ſuſpecti, auctoritate firmaſſe ſuffecerit. Is de Cyro tradit l. II. c. 204. *ejus ſummam fuiſſe in bellis felicitatem, & quocunque ſe ad bellum convertebat eam gentem nullo modo potuiſſe evadere.* Quare Juſtino l. I. c. 8. *non initio tantum regni, ſed continuo totius temporis ſucceſſu admirabiliter inſignis* dicitur. Quo vetus quoque dictum facit, Cyro *terram* & *mare ceſſiſſe, ſuamque naturam mutaſſe* apud Lucian. Jud. voc. pag. 44. quo ejus heroicam virtutem & *proſperitatem* ſignificari obſervat ad eum locum Vir Summus T. Hemſterhuis. De amplitudine vero utriusque regni modo dixi. Poſteaquam duo utriusque Monarchiae conditores ad plures abiiſſent, quid quaeſo regno Babylonico fuit abjectius? quid regno Perſico per longum tempus glorioſius? Reges Babylonici nihil præclare, Perſarum vero multa praeclariſſima, & omnium ore celebratiſſima, egerunt. Regnum Babylonicum mox ad ruinam ſpectavit, ſed Perſarum latius adhuc ſeſe extendit, ut ſub Cambyſe ad *Lybiam*, ſub Dario ad *Scythiam* usque, *mari* ejusque *inſulis* quoque adjectis, teſte Platone in Menexen. p. 239. & Thucyd. l. I. §. 16.

§. XV. Reſtant Interpretes, qui in regni Perſici minore potentia, gloria & latitudine, ubi quaerere debebant, ſe hoc criterium invenire poſſe deſperantes, vel in genere ad morales qualitates aequitatis & juſtitiae adtendunt, ut

Launæus, optimis Interpretibus adnumerandus, vel relationis regni Perſici ad populum Dei rationem eſſe habendam cenſent, ſive populum Judæum ſub Perſis velint magis fuiſſe adflictum, ut Vignier in *Theatro Antichriſti* p. 1. cap. 12. conjicit, ſive, ut Viro alicui Docto viſum, majorem regni Babylonici gloriam in eo conſtituant, quod Judæos in medio ſui habuerit exules, eorumque opibus & ſplendore fuerit mactatum; cum Judæi ſub Perſis res ſuas inſtauraverint, & ſua rurſus fulſerint gloria. Quæ duæ poſteriores opiniones, præterquam quod ſe mutuo evertant, in rem præſentem parum vel nihil faciunt; & ſingulæ ſua laborant difficultate. Tenues licet Judæorum res fuerint, & ſervilis eorum conditio continuaverit: rep. tamen inſtaurata, & religionis exercitio reddito, qua ratione *adflictior* adpellari mereatur Judæorum ſors ſub Perſis, quam Babyloniis, equidem non perſpicio. Sed, cum Judæi manſerint ſubjecti, & quicquid habuerunt Perſarum beneficio acceptum ferre debuerint, *gloriam* regni Perſici inde quid detrimenti cepiſſe, temere & falſo ſtatuitur: niſi quis quo clementius cum ſubditis agitur, eo *deteriorem* regni eſſe ſtatum abſurde opinetur. Sed quid aliunde abjectiorem conditionem ac ab ipſius regni opibus, ſplendore, & amplitudine, arceſſimus? ubi ipſe Propheta nos pedem figere juſſit. *Æquitatis* vero & *juſtitiæ* ſi aliqua ſit habenda ratio, quod non plane abnuerim, de quo poſtea; primum aut præcipuum locum tueri ea nec poteſt, multo minus in ea acquieſcendum eſt, diſerta Danielis expoſitione vetante, nec tanti eſt facienda, ut utriuſque regni criterium inde repeti queat. Has enim qualitates, in uno licet magis quam in alio, in utroque requiras.

§. XVI. 2. Succedat ſecundum *criterium*, æque in *ſecundam* ſtatuæ partem, ac *animal* ſecundum conveniens, adeoque utriusque emblematis eundem ſignificatum egregie ſtabiliens; ex eo eductum, quod de ſolo *tertio*, & non hoc *ſecundo*, regno utrobique diſertis verbis adſeratur, *orbis*

bis imperium ipſi eſſe conceſſum. Sic enim de ſecundo & tertio regno Propheta fatur c. II: 39. *Et poſt Te exorietur regnum aliud Te inferius: & regnum tertium aliud æneum, quod toti orbi dominabitur.* Eundem ad modum, cum de ſecundo animante dixiſſet Propheta illud *in uno latere conſtitiſſe*, c. VII: 5. mox de *tertio* adfirmat, *illi dominium* (ſc. per orbem;) *eſſe datum* verſ. 6. Interpretes hæc *ſecundi* & *tertii* regni diverſa deſcriptio fugere, vel alto ab ipſis ſilentio involvi non debuiſſet, acſi *caſu*, & ſine *ratione* ac emphaſi contigiſſet: præſertim cum de regno *ſecundo* non tantum nihil ſimile dicatur; ſed regnum illud fore *primo inferius*, & *urſum* in *uno latere* ſtetiſſe, ſimul adſeratur. Quid itaque hinc aliud cogas, quam *ſecundum* regnum in ſucceſſione Monarchiarum Orientis eum conſpectum longe minore emphaſi prælaturum, & eo titulo minus dignum fore? ita ut cum reliquis, ſive præcedente, ſive ſequentibus hac parte comparandum nullo modo ſit. Quod ſi locum in *ſtatua* & inter *animalia* tenere non poſſe putes regnum, Monarchiis Orientis non accenſendum; & propterea hæreas; hæc duo ad animum revoces velim; 1. nullum aliud tunc temporis in Oriente fuiſſe potentius, & latius diffuſum. 2. ipſum imperium Babylonicum ab eo fuiſſe occupatum & poſſeſſum; adeoque & Chaldæorum regno in ſerie imperiorum ſucceſſiſſe, & Judæum populum in ejus fuiſſe ditione. Quod *ſcopo* viſorum unice convenit: de quo ſupra dixi, & poſtea pluribus agam. Fuit itaque Spiritui S. vel Prophetæ in animo, *criterium* ſecundi regni conſignare; & manu quaſi a regno Perſico & Macedonico nos abducere, noſtraſque cogitationes in regnum aliquod intermedium, reliquis minus & inferius, defigere. In regnum enim Perſarum hoc nullo modo quadrare, ne imperitiores latere poteſt.

§ XVII. 3. Ingens momentum ſuperioribus addet, & lucem inde ſimul mutuabitur, *tertium* criterium, quod *ſtatio* Urſi *in uno latere* ſuppeditat. Dicitur enim cap. VII: 5. *in*

uno latere conſtitiſſe; ut ſupra obſervavi. Quod commodius, niſi *relate* ad Leonem explicari nequit. Cum enim *Leonis* modo facta fuerat mentio, & mox *Urſus* in *uno latere* ſtationem habuiſſe dicatur, abſque ut a cujus latere ſteterit adjungatur: nihil propius eſt, quam ut de *Leone* cogitemus, ejusque *latus* clauſiſſe Urſum teneamus: licet, quominus de latere *terræ* vel *orbis* capiatur, nullus intercedam; cum eodem recidat; ut mox patebit. Ceterum, cum & *ante* & *poſt* regnum Leonis occupatum, *urſus* hunc locum cenſeri poſſit tenuiſſe; nihilque in textu ſit, quod ſenſum reſtringat, *utrumque* conjungendum, & duplex regni *ſecundi* criterium, hinc eruendum eſt: *alterum*, quo regnum ſecundum primo fuit ordine temporis æquale; *alterum*, quo in *partem* regni primi, & non in totum imperium ſucceſſit. *Prius* omnium primo & ſua ſponte animum lectoris ferit. Cum enim *urſum* in uno latere ſe vidiſſe dicat propheta, & tunc ipſi poteſtatem eſſe datam multam carnem vorandi ſubjungat: urſum in eo latere conſiſtentem hoc perfeciſſe haud obſcure indicat. Caracter itaque regni ſecundi eſt, quod una cum Leone prodierit, & locum juxta ipſum obtinuerit, adeoque *regnum* fuerit cum Babylonico ortum, & ad *latus* ejus eodem tempore ſeſe oſtentaverit. Quod ex eo confirmatur, quod Propheta non dicat: *poſt hæc videbam*, ut in ſequentibus, ſed ſimpliciter, *beſtia ſecunda erat* &c. *Poſterius* quemadmodum ſine ulla ratione excluderetur, ut modo notavi: ſic collatio cum ſecundo regno Statuæ, & ordo regnorum ſibi ſuccedentium requirit. Utrumque *criterium* nos a regno Perſarum abſtrahit. Quippe quod nec tempore æquale fuerit Babylonico, antea Medis ſubjectum; nec partem regni Babylonici, ſed univerſum, quam late patuit, & ultra, poſſederit.

§ XVIII. Interpretes, ut hunc nodum ſolvant & hæc verba cum opinione ſua de regno Perſico concilient, varie rurſus, ut in re dubia fieri adſolet, inſtituerunt: nonnulli

nulli etiam ad abſurda, quæ vel ſpecie probabilitatis carent, nec, quæ proferam, merentur, delapſi ſunt: ſed nihil, quod vel in regnum Perſarum, vel in illud *ſolum*, ut oportebat, quadrat, in medium adferre valuerunt. Qui intra regni Perſici conſpectum ſeſe continent; partim de eo, ut in *ortu* ſuo fuit, partim de ſitu Metropolios regni, cogitant. Secundum *illos*, ex quorum numero eſt Magnus Calvinus, prima regni Perſici *Origo*, quando *tenue* fuit & intra montes concluſum, deſcriberetur. Sed ſine ratione, & ulla emphaſi: nec id privum habuit Perſarum regnum, verum cum Babylonico & Macedonico commune. Præterea regna hic, tanquam quæ primas tenent, ſimul in cenſum veniunt, ut ſupra obſervavimus. In eaſdem incurrit difficultates opinio, quæ ad Metropolin regni *Suſas*, ad latus *Ecbatanarum* regiæ Medorum, refert: cum idem de *Babylone* adfirmari poſſit; nec ratio ulla ſit ad *Metropolin* reſtringendi, ubi de ipſo imperio, per beſtias depicto, agitur, multo minus *latus* ad *Ecbatanas* referendi. Regia ſive hac ſive illa fuerit in regni parte, quid refert? quid memoraſſe in viſo prophetico adtinet? Alii itaque regnum Perſicum, alio relatum, ſibi ob oculos ponunt. Ill. H. Grotius interpretatur *ſeorſum*, ſcilicet a *Judæa*, & ſenſum conſtituit, illud *non nocuiſſe Judææ*: quæ antiqua jam fuit Judæorum opinio, teſte Hieronymo. Sed quam remote? in *uno latere* ſtare, quo quæſo fundamento erit a Judæa abſtinere? deinde, quid in *uno* latere erit? denique, qua fide hiſtoriæ Judæis nihil detrimenti per regnum Perſicum fuiſſe adlatum dicetur? cum multis modis eos fuiſſe durante hoc regno oppreſſos conſtet: ne dicam, illud in regnum Alexandri M. verius convenire. Doctus Interpres Sanctius totius regni Babylonici *portionem* a Perſis occupatam & poſſeſſam intelligit, *latus* pro hæreditate capiens. Rectius pro *parte aliqua* regni Babylonici ſumſiſſet: *latus* enim ubi *hæreditatem* ſignat? & quid *unum* latus dicet? quo ſenſu hoc regno Perſarum tanquam quid proprium adſignabitur?

Ingenioſa eſt, quidni fatear? D. Crinſoz, auctoris *Elucidationum* Danielis, conjectura, qua vertit, *ſe elevabat ad unum latus*, & ad Perſas Medis elatiores factos adplicat, collato poſteriore *cornu* arietis, ſupra *prius* ſe elevante Dan. VIII. de quo ſuo tempore. Hic ſuffecerit notaſſe, illud emblemati urſi, quod *ſe ad unum latus elevaverit*, minus recte aptari poſſe; nec verbum Chald. hoc loco alium ac *ſtandi* ſignificatum pati. Theodoreti, licet ſingularem foveat opinionem, neglexi mentionem facere, quia nihil probabile præfert, & ſibi ipſe contrarius eſt. *Per tres alas* (habet enim πτερὰ pro πλευρὰ) intelligit tres orbis partes, Perſis ſubjectas, & *ſtare in uno latere* ad ſtatum regni Perſici refert, quo reliquis imperii partibus orbatum *unam* tantum retinuit, Perſidem Mediam & Aſſyriam. Quæ valde abſona ſunt, nec refelli merentur.

§. XIX. 4. Pedem itaque promoveamus ad *quartum* argumentum, a regno *Medorum*, ordine *ſecundo* in regnorum dominantium Orientis ſucceſſione. Quæ ſi vera ſit hypotheſis; regno Medorum ut locus in viſis Danielis, quæ Monarchias Orientis, populariter dictas, ſibi ordine ſuccedentes, repræſentant, negari nequit, ſic *ſecundus* ei adtribuendus eſt, & per *ſecundam* Imaginis partem, ac Urſum beſtiam *ſecundam*, delineatum ſtatuatur neceſſe plane eſt; cum ordine temporis fuerit *ſecundum*. Quod cum dubio procul ſit, de veritate hypotheſios nobis agendum, eaque indubiis erit ſuperſtruenda fundamentis. Quod ut ordine efficiam, a Scriptoribus ſacris, ſive prophetarum, ſive hiſtoricorum partibus fungantur, initium ſumam. Prophetæ, ut Jeſ. XIII: 17. Jer. LI: 11, 28. *Medos*, tanquam regni Babylonici deſtructores, diſerte adpellant, eoque haud obſcure indicant, regnum Babylonicum ad Medos eſſe devolvendum. Novi equidem Jeſ. XXII: 2. *Elamitas* & *Medos* conjungi, imo *Elamo*, qui præmittitur, primas tribui; nec *Perſas*, quod Doctis placet, intelligi nunc nego; ſed *Babylonis* alteram expugnationem & everſionem,

a

a Perſis, jam Orientis Dominis, faciendam, prænunciari contendo: cujus egregium indicium præbet *Idolorum* deſtructio, quæ ibi verſ. 9. præcipue memoratur, a Xerxe peracta, ut ex *Strabone* & *Arriano* patet, quæ loca a Cl. Commentatore ad Jeſ. XIII. p. 420. jam citata ſunt. Arrianus vero non illo tantum loco, quem Vir Cl. ſignavit, ſed & alio, ut l. III. c. 16. id adſerit. Quorum auctorum teſtimonio nihil præjudicat nullius auctoritatis libellus, *Bel* & *Draco*, ad calcem librorum ſacrorum; qui Idoli & *templi* Babylonici deſtructionem Danieli ſub Cyro adtribuit. Prodit enim autor ſe interpolatorem *Danielis*, & veteratorem. Cui *Ph.* Camerarium in hor. ſubciſiv. cent. II. c. 5 n. quid tribuiſſe in præjudicium Strab. & Arr. nollem. Hiſtoricum teſtimonium *Daniel* ſuppeditat, ex quo diſtincta fuiſſe Medorum & Perſarum regna, quæ ſe ordine exceperunt, clariſſime elucet. Cum enim c. V: 28. regnum Babylonicum *Medis* & *Perſis* eſſe tradendum prædixiſſet, ne quis pro uno eodemque haberet, ea in ſequentibus accurate diſtinxit. Narrat enim cap. VI. Darium Medum in regni Babylonici poſſeſſionem veniſſe, illudque inter 120. Satrapas, ſub tribus Præfectis, diviſiſſe, adeoque de eo, ut ſuo ſuique juris diſpoſuiſſe. Sic & cap. IX: 1. *Darii*, *filii Ahaſueri*, *ex ſemine Medorum*, injicitur mentio, qui *regnum* Babylonicum nactus eſt. Poſt hunc in ſcenam producitur *Cyrus* cap. X: 1. qui non *Medorum*, ſed diſerte *Perſarum* Rex audit. Denique, quo nihil eſt clarius, cap. XI: 1. *Darii Medi* mentione facta, mox verſ. 2. *regum Perſiæ* texitur catalogus, a Cyro facto initio, adeoque a regibus Mediæ diverſorum. Ex quibus, ni me omnia fallant, Medos, & non Perſas, Chaldæorum regibus ſucceſſiſſe luce meridiana clarius effulget.

§. XX. Eandem rem Scriptores Exotici, qua Græci, qua Latini, ut eorum teſtimonio mox ſubjungam, uno ore confirmant ad unum omnes. Præter Herodotum & Cteſiam, omnium antiquiſſimos, qui ab Aſſyriis ad Medos, & ab

ab iis ad Perſas, ſummam Orientis transiiſſe, ut in vulgus notum eſt, tradunt, eandem imperiorum ſucceſſionem reliqui hiſtorici conſtanter enarrarunt: quorum loca ſignaſſe contentus ero. Ita Polyb. in Fragment. Oper. Tom. II. pag. 1512. Strab l. XI. p. 795. XVI. p. 1071. Appianus in Præf. Arrianus Exp. Alex. l. II. c. 6. Dionyſ. Halicarn. Ant. Rom. l. I. p. 2. Athenæus Deipn. l. XII. p. 544. ex Ariſtoxeno Muſico in vita Archytæ. Ariſtides in Panathen. Orat Tom. I. p. 183. Tacitus Hiſt. l. V. c. 8. Vellejus Paterculus l. I. c. 6. ex Æmylio Sura. Hisce non poſſum quin vetuſtiſſimi poëtæ Æſchyli inſigne plane teſtimonium, quod in Tragoedia, quæ *Perſæ* inſcribitur, verſ. 765. &c. reperitur, addam. Ubi inter eos, qui totius Aſiæ dominium adfectarunt, primi memorantur Medorum duo reges, Pater & Filius, quos tertius, vere totius Orientis Monarcha factus, excipit Cyrus. Qui Medorum reges mihi ſunt duo *Cyaxares*, Pater & Filius, quorum alter regnum Aſſyriacum, Nino expugnata, deſtruxit, alter *Babylonicum* occupavit, qui Danielis eſt *Darius Medus*: de quo plura ſuo loco.

§. XXI. Non me latet ad hæc Veterum tam conſtantia teſtimonia enervanda excipi posſe, Medos ab illis pro Asſyriorum ſuccesſoribus haberi; cum tamen regnum Babylonicum poſt Asſyrios primas in Oriente obtinuisſe ex Scriptura certum ſit. Sed hæc non pugnant, modo a Babyloniis, quos veteres cum Asſyriis permiscuerunt, ad *Medos*, & non ad *Perſas* directe, translatum fuisſe imperium Orientis, non negetur. Hoc ſi falſum esſet, Hiſtoricos exoticos Scripturæ manifeſte repugnare ſtatuendum eſt; ſed admisſo, in concordiam redigi posſe non desperaverim. Tantum, quod de Medorum regno, in Oriente poſt Asſyriorum regnum imminutum primario, tradunt Hiſtorici, non de toto tempore, quo Medorum regnum duravit, ſed *principio* & *fini* intelligatur, medio temporis ſpatio maximam partem *regno Babylonico* dato: cujus cum obſcurior fuerit

fuerit Græcis & Latinis ſcriptoribus notitia; illud in catalogo regnorum, quæ ſpeciem Monarchiæ Orientis prætulerunt, prætermiſerunt, & Medorum imperium inter Aſſyrios & Perſas medium collocarunt. Quemadmodum itaque Hiſtoricorum relationi de imperio Medorum non obſtat, quod eo per 28 annos fuerint per *Scythas*, teſte Herodoto, privati: ſic Babylonios maximam Orientis partem per longum temporis ſpatium poſſediſſe dici, ſalva ea traditione, poteſt. Poſteaquam Medi ab Aſſyriis defeciſſent, & regnum *fundaſſent*, *idem* primo tentarunt, & aliquandiu poſt ſub Nabopolaſſare, & in primis Nebucadnezare fecerunt Babylonii, eo cum ſucceſſu, ut, licet Medorum & Babyloniorum regna aliquandiu ſtatum ſuum ſeorſim fuerint tuita, & ſocietate fuerint juncta; illud Babyloniorum progreſſu temporis caput extulerit, & Medos quoque ſuperaverit. Sed, fortuna ſeſe ad Medos denuo vertente, regnum Babyloniorum ab iis eſt ſubactum; & primæ Orientis penes eos fuerunt, donec ad Perſas tranſierint. Hiſtorici non quidem regnum Babylonicum ignorarunt, ut ex Herodoto patet; attamen ad illud culmen fuiſſe elevatum illos præteriit; quare Medorum in regnorum Monarchicorum ſucceſſione mentionem tantum fecerunt. Quem defectum ſupplet Scriptura: quam confirmant Hiſtorici Babylonici & Aſſyrii, Beroſus, & Abydenus, ut ſupra vidimus. In quo non tam ſe evertunt, quam verius illuſtrant veterum monumenta, ſacra & profana: maxime cum ſecum in eo conveniant, dominium Orientis a Babyloniis ad *Medos*, & ab iis ad *Perſas* tranſitum feciſſe: quod, niſi omnes Veterum hiſtorias falſi arguas, negari nequit.

§. XXII. Sed ſuppetunt mihi aliquæ auctoritates, quibus dicta corroborantur. 1. Hypotheſin noſtram, quam ad diſcrepantes veterum narrationes conciliandas protuli, cum ipſis verbis P. *Oroſius*, ſeculi V^ti ſcriptor Chriſtianus non contemnendus conſignaverit, ejus teſtimonium præmittere viſum eſt. Is, cum Medorum ab Aſſyriis defectionem

narraſſet, Hiſtor. l. 1. c. 19. ſic pergit; *Exin Regnum Aſſyriorum in Medos conceſſit. Deinde multis prœliis* undique *ſcateſcentibus, quæ per ordinem diſſerere nequaquam aptum videtur, per varios proventus* ad *Scythos Chaldæosque*, & *rurſus ad Medos parili via rediit.* 2. Strabo l. XVI: init. Scriptores, *qui de Syrorum imperio ſcribunt, cum dicunt Medos a Perſis everſos, Syros autem a Medis*, nullos alios Syros intelligere obſervat, quam eos; *qui Babylonem* ac *Nini regiam conſtituerunt;* adeoque & Aſſyriacum & Babylonicum regnum a Medis ſubactum fuiſſe Hiſtorici ex mente Strabonis tradiderunt. 3. Sed nemo majorem hic nobis uſum præſtat Xenophonte in *Cyri* majoris hiſtoria, quæ κύρου παιδεία ſeu *Cyri vitæ inſtitutum* inſcribitur; cujus auctoritas eo majoris eſt hac in re facienda, quod, cum Cyri geſta in majus extollere animo habuerit, eum in Babylonico regno expugnando, non ſuo ſed regis Medorum nomine egiſſe, nec ſibi ſed Cyaxari regnum acquiſiviſſe, non diffiteatur. Narrat enim, bellum inter Medos & Babylonios fuiſſe exortum; Medorum in hoc bello ſocios fuiſſe Perſas duce Cyro; hunc regis Medorum ſub auſpiciis bellum geſſiſſe; & terras Babyloniis ereptas ceſſiſſe Medis. Quod ipſis verbis tradit Xenoph. l. v. p. 145. ubi Cyro in ore dat verba, quibus Cyaxaris ditionem per bellum cum Babyloniis *ampliorem fieri*, dicitur. Dedit quoque Cyrus regi Medorum Cyaxari *domum* καὶ ἀρχεῖα *& curiam* Babylone, *ut, ſi eo veniret, tanquam* εἰς οἰκεῖα *in ſua divertere poſſet*, ibid. l. VIII. p. 227. Minus quam res eſt dicit, fateor, Xenoph. qui non exacti & accurati hiſtorici partes explevit, ut dudum eſt a Doctis evictum: attamen in illo ipſo, quod locis citatis occurrit, veri veſtigia ſuperſunt. Regem Medorum Babylonem cum ipſo regno Babylonico ope Cyri Ducis occupaſſe, & ſibi vindicaſſe, adeoque ſummæ rei præfuiſſe, veritas eſt hiſtorica, de qua Daniel, & omnes Hiſtorici teſtantur. Cujus rei indicia quidem non deſunt apud Xenophontem, nec tamen rem, ut fuit, narravit, verum in Cyri honores vertit;

tit; diverſa relatione, vel duplici Babylonis expugnatione, non diſtincta, de quo mox, deceptus. Novi equidem Doctos, qui Xenophontem exacti hiſtorici, in Cyri geſtis enarrandis, partes expleviſſe autumant, locum poſteriorem ita intelligere, acſi Cyaxari pleniſſima poteſtas in urbe & regno Babylonico fuerit conceſſa a Cyro. Sed illud ex eo refutatur. 1. quod Cyrus, Babylone capta, a Xenophonte introducitur, tanquam qui ſe regem geſſerit, & pro ſua auctoritate de omnibus diſpoſuerit: quod recte advertit *Doctiſſimus* vir, qui Chronologiæ S. ingens lumen nuper infudit, A. Vignolius tom. II. pag. 503. 2. quod domos & ἀρχεῖα ædificia publica Cyrus quoque dederit Babylone, & in provinciis, amicis ſuis aliis, ut eſt apud Xenoph. l. VII. p. 193. & l. VIII. p. 230. Fefellit itaque ratio Cl. L'Empereur ad Jacchiaid. in Dan. p. 114. qui οἶκον in loco Xenoph. non *domum* ſimpliciter, ſed *regiam*, quin *regnum* & *imperium* ſignificare cenſet: ne dicam οἶκον & ἀρχεῖα hic diſtingui, & phraſin neutiquam ejusmodi ſignificatum eo in loco ferre. Cetera οἶκον pro *familia*, pro *hæreditate* & *poſſeſſione*, imo principatu & regno, ut obſervavit ὁ πάνυ Caſaub. Exerc. XIII. in Baron. p. 214. ſumi inficias non eo; ſed illud non eſt hujus loci. 4. Denique Babyloniorum regnum a Medis, adjuvante Cyro Perſa, fuiſſe everſum & occupatum, adteſtatur quoque Joſ. Ant. X: 11. cui ſine ratione contradixit Theodoret. ad Dan. VI.

§. XXIII. Sed quid cum Xenophonte non tantum, verum reliquis Hiſtoricis; qua Græcis, ut Herodoto, & aliis, qua Chaldæis & Aſſyriis, ut Beroſo & Abydeno, faciemus, qui Babylonis captæ, & regni Babylonici everſi gloriam Cyro vindicant? quod in hypotheſin de regno Babylonico ad Medos translato adverſa fronte videtur arietare. Quem nodum operæ pretium fuerit ante ſolviſſe, quam ulterius pergamus. 1. In Xenophonte non eſt, quod laboremus, modo veritatem hiſtoricam ex indiciis, quæ hic illic elucent, inveſtigemus, & ab iis, quæ Xenophon, ut hypo-

theſi ſerviret, admiſcuit, prudenter ſeparemus. Hoc niſi oculo quis ejus hiſtoriam legerit, næ is a vero multum aberret neceſſe eſt. Ab hoc veterum judicio, quod luculenter Vignolius l. c. p. 529. nuper in lucem protraxit, quominus diſcedam, multa, quæ hujus loci non eſt proferre, faciunt. Hic illud unum adnotaſſe non abs re fuerit, Perſas, qui Medis in bello cum Babyloniis opem tulerunt, nusquam tanquam *ſubjectos*, ſed ſemper *ſocios* apud *Xenophontem* in ſcenam prodire; cum tamen de Perſarum ſubjectione ex Herodoto & aliis manifeſte conſtet. Phraortem, *ſecundum* Medorum regem apud Herodotum, Perſas adortum fuiſſe, & ſubegiſſe tradit Hiſtoricus l. I. c. 102. Qui Cambyſen quoque introducit Perſas adhortantem l. III. c. 65. operam dent, ne *imperium denuo ad Medos circumire ſinant.* Xenophon quidem hic illic quædam habet, ex quibus de ſubjectione Perſarum quid elici poteſt; ut cum ex gr. Cyaxarem de ſumma belli cum Babyloniis agentem, ſolum *throno* inſidentem, & rem bellicam in conſilium mittentem introducit l. VI. p. 149. & alibi: ſed nusquam Perſas fuiſſe Medis obnoxios tradit. Refert quidem huc verba Mandanæ, matris Cyri, vir Clar., eruditus juxta ac Theologus; quod noſtro ævo rarum, in Additam ad Dan. IX. p. II. c. 5. quibus ad Cyrum de Perſarum regibus in hæc verba loquitur apud Xenoph. l. I. p. 12. Pater Tuus *τεταγμένα μὲν ποιεῖ ἃ ποιεῖ τῇ πόλει, τεταγμένα δὲ λαμβάνει, præſcripta facit urbi quæ agit, ipſa vero præſcripta accipit.* Sed hic non de lege, a Medis præſcripta, verum forma regiminis regni Perſici, minus tyrannica, qua legem regni & non arbitrium pro norma habent Reges, agi, ex nexu orationis tam clarum eſt, ut quod clariſſimum. Apud Medos Regem eſſe, *πάντων δεσπότην omnium Dominum*, apud Perſas *æqualitatem juſtam duci*, in proxime præcedenti dixerat Mandana, & in ſequenti mox ſubjungit, modum agendi regibus Perſiæ non eſſe *animi libidinem*, *ſed legem.* Verba itaque noſtra, quæ intermedia ſunt, alium, ac quem dixi, ſenſum

ſenſum non ferunt. Xenophontem itaque, ut eo, unde digreſſus ſum, revertar, non habebimus adverſantem, licet Cyrum ſæpe pro auctoritate faciat agentem; quum Cyrum, tanquam copiarum Ducem Cyaxari ſubjectum, conſiderandum eſſe, obſervaverimus: cujus perſonæ, quam egit, haud obſcura indicia in ipſo Xenophonte lectori ſponte ſub manus venient, de quo modo quaedam monui. Bellum itaque fuit Medorum, duce Cyro; adeoque & Medis, & Cyro, ſed diverſo conſpectu, recte abtribuitur *Babelis* occupatio.

§. XXIV. 2. Eadem hac reſponſione licet reliquis Hiſtoricis, qui unius Cyri in hoc bello mentionem fecerunt, *Beroſo*, *Megaſtheni*, & aliis, ſatisfieri poſſe autumem: addam tamen, ſed, quia novum eſt, timidius, ut Docti de eo judicent; duplicem Babelis expugnationem, alteram a Medis, duce Cyro ſub Cyaxare, alteram a Perſis, rege & ſupremo jam duce Cyro, apud Hiſtoricos permisceri; & hinc confuſam multarum rerum narrationem eſſe repetendam. *Prior* expeditio facta eſt, cum regnum Babylonicum adhuc ſtabat, & rex eſſet Babylonius ex ſtirpe Nebucadnezaris, quæ regnum Babylonicum Medis ſubjecit. Sed *poſterior* contigit, quo tempore penes Medos erat ſumma Regni Babylonici & ipſius Orientis; quæ in Medorum ſubjugatione eſt terminata. Conjectura eſt, fateor, ſed quæ non tantum nihil inſoliti, cum ſimilis confuſionis non deſint apud Hiſtoricos exempla, quorum unum ſuperiore Diſſert. in Medorum duplice expeditione contra Nineven ſub Cyaxare I. notavi; ſed præterea eo ſeſe commendat, quod per hanc hypotheſin multæ contradictiones, quæ in hiſtoria expugnatæ Babelis a Medis & Perſis, ut apud Xenoph. & Herodot. ac Beroſum narratur, crucem figunt, e medio tolli poſſint. De quo prolixe diſſerere poſſem, ſi inſtituti ratio permitteret: nunc uno alterove ſpecimine defungar.

§. XXV. 1. Lydi num ante an poſt Babylonem occupatam fuerint a Cyro ſubacti? ſecum diſſentiunt Hiſtorici. Illud *ante* accidiſſe tradit Herodot. l. 1. c. 177. Beroſus apud Joſ. contra Ap. l. 1. §. 20. quod Xenophontis narratio confirmat. Sed Cyrum compoſitis in Babylonia rebus *bellum tranſtuliſſe in Lydiam* refert Juſtinus l. 1. c. 7. antiquos auctores ſecutus. Idem confirmat Oroſius hiſt. l. 11. c. 6. & Lucianus Contempl. §. 9. Hi poſteriores niſi vapulaturi ſint, quod non, niſi ſumma urgente neceſſitate, fas eſt, via eos cum aliis conciliandi, quam modo aperui, eſt quam commodiſſima. Babylone a Medis duce Cyro capta, & regno Medis ſubjecto: Cyrus adgreſſus eſt Lydos, aliosque Aſiæ populos; quibus debellatis, inimicitia inter eum & Medos concitata, denuo Babelem expugnavit, & regno Medorum exſtirpato Perſæ in Oriente ſunt dominati. 2. Eadem ratione, quod majoris eſt, diſcrepantes & oppoſitæ Veterum narrationes de regni Medorum ad Cyrum tranſitu expediendæ ſunt. Secundum Veterum conſtantem traditionem, a ſolo Xenophonte ſi diſceſſeris, Medi magis coacti quam ſponte in Cyri poteſtatem venerunt; ut ex Herodoto & aliis nemini non eſt notiſſimum. Sic Herodot. l. 1. c. 130. Diodor. Sic l. 11. p. 118, 120. ex Herodoto & Cteſia, Nicolaus, æqui juſtique ſtudioſus Orator inter Syracuſanos, apud Diodor. Sic l. XIII. p. 151. Iſocrat. in Evavor. p. 387. Maxim. Tyr. Diſſ. XIV. ad finem, & Athen. Deipn. XII. p. 546. aliique magno numero; quos Chriſtiani Scriptores, ut Euſeb. in Chron., Syncellus, Chron. Alex. & alii ſequuntur. Solus Xenophon regnum Medicum Cyro hæreditario jure ceſſiſſe nomine dotis cum filia Cyaxaris, ultimi regis, tradit l. VIII. p. 228. Cui, ne de teſtimoniis modo citatis amplius dicam, ipſe Xenophon in Exped. Cyri l. III. p. 301, 309. ubi *Medis* bello eſſe ereptum a Cyro regnum indicat, adverſatur; nec non ipſi æqualis Plato in Menexen. p. 239. ubi Cyrum *Perſas* in *libertatem vindicaſſe* & *Medos Dominos* in *ſervitutem redegiſſe* adſerit.

Quod

Quod ex Cambyſis ſolicitudine, ne regnum poſt mortem ad Medos rediret, de quo ſupra, nec non ex rebellione eorum ſub Dario Hyſtaspis, de qua ſupra quoque ex Herodoto, haud parum roboris acquirit. Cui concinit Ariſtoteles Politic. l. III. c. 8. ubi Medos & Babylonios a Perſis ſæpe fuiſſe adflictos refert; quod *aliquando rerum dominio esſent potiti.* Succurramus itaque Xenophonti, & Cyrum jus in regnum Medorum, quod filia Aſtyagis ducta acquiſiverat, vel prætendebat, armis fuiſſe perſecutum, &, cum Medi ſeſe eo tempore ſponte ſubjicere noluiſſent, vi eos ſubegiſſe dicamus. In quo nihil eſt, quod offendit; eo minus, quod ſimultatum inter Cyaxarem & Cyrum aliqua origo ex ipſo Xenophonte poſſit erui. Ex ipſo enim liquet, Cyaxarem *lividis oculis* prosperos Cyri ſucceſſus fuiſſe intuitum l. v. p. 146. Præterea, Babylone prima vice capta, Cyrus apud Xenophontem ſeſe non tam ducem amplius ſubjectum, quam *regem* geſſit, ut ſupra obſervavi: quod quin Cyaxari ægre fuerit, dubium non eſt. Ad hæc acceſſerunt fortunatæ Cyri expeditiones in Aſiæ minoris populos, Lydos, aliosque, quas poſt Babelem ſub poteſtatem Medorum redactam ſuscepit, de quo modo monui: unde non potuit non invidiæ ſtimulis agi Cyaxares. Sed de eo recurret occaſio adcuratius agendi.

§. XXVI. 3. Conſideremus *poſtremo* Babelis expugnatæ, & regni Babylonici everſi, circumſtantias quam diverſiſſimas ex Xenophontis & aliorum hiſtoricorum relationibus: quarum præcipuæ ſunt ſequentes. α. Urbem a Cyro, ſub auſpiciis Cyaxaris Medorum regis, fuiſſe ſuperatam Xenophon, ſed a Cyro rege poſt Medos jam debellatos id eſſe factum, reliqui hiſtorici. β. Regem Babylonis fuiſſe occiſum Xonophontis, ſed captum, humaniter tractatum, & Carmaniæ a Cyro præfectum, reliquorum, ut Herodoti, Beroſi & Megaſthenis, habet narratio. γ. Addi poteſt, Babylonem tempore feſti, quod *Saturnalium* ſpeciem referebat, captam fuiſſe ſecundum Herodot. l. I. c. 191.

c. 191. cui hac parte conſentit Xenoph. l. VII. p. 191. Sed, quo tempore Beltzazar, ultimus Babyloniorem rex, occiſus eſt: ipſe quidem inter pocula erat cum principibus, verum feſti nullum occurrit indicium Dan. v. multo minus ejusmodi, quale hiſtorici l. c. deſcribunt.

§. XXVII. Hisce, & harum ſimilibus difficultatibus qui quæſo te extricare poteris, ſalva fide hiſtoricorum, quam temere nemo prudens ſine ſumma neceſſitate negaverit, niſi duplicem Babelis expugnatæ epocham mecum admittas? poteris autem facillime ex hac hypotheſi. Prima vice Cyrus tanquam dux copiarum, nomine regis Medorum, Babelem non feſti, ſed epulorum, quæ Belzazar adparaverat, tempore cepit, & regem occidit per Gobrianos & Gadatæos; quando regnum illud ceſſit Dario Medo. Sed altera vice, bello inter Cyrum & Medos ſuscitato, de quo modo dixi, Cyrus denuo Babelem occupavit, ſed regem ſalvum reliquit, & Carmaniæ finibus cum *præfecti* titulo incluſit. Quando regno Medorum finis eſt impoſitus, & Perſarum ſuprema cœpit eſſe in Oriente poteſtas.

§. XXVIII. Unus ſupereſt eximendus ſcrupulus, qui, quominus quis in noſtram ſententiam de regno Medorum, ruinis Babylonici ſuperſtructo & ei ſuffecto, pedibus eat, impediat: quem injicit locus, 2 Chron. XXXVI: 20. ubi Iſraelitæ dicuntur Nebucadnezaris, ejusque filiorum *ſervi fuiſſe, donec regnaverit regnum Perſiæ*, id eſt, donec ſupremum in Oriente regnum fuerit penes Perſas. Eam enim emphaſin hic habet verbum מלך *regnare;* quemadmodum Dan. VII: 6. *dominium datum eſt ei*, ſcilicet, ſupremum & præ reliquis eminens, per totam Aſiam. Hic cum terminus ſervitutis ponatur regnum Perſiæ, & *ſervitus* ad Nebucadnezarem, ejusque filios referatur, Medorum regni, tanquam interjecti, nulla facta mentione: regnum *Babylonycum* usque ad Cyrum Monarcham duraſſe, hinc cogendum videtur. Ad quam difficultatem ſi cum Marshamo Chron. Sec. XVIII. p. 597. locum *intelligendum eſſe de ſer-*

vitutis

vitutis duratione, non de proſapiæ; respondeas; recte id quidem & in rem, ſed non ſatisfacies: quia non *ſervi* tantum, ſed *Nebucadnezaris, ejusque filiorum* usque ad regnum Perſiæ futuri dicuntur. Quare obſervandum eſt, regum Chaldæorum tantum meminiſſe Hiſtoricum ſacrum, cum quod ſervitus Babylonica & *præcipua* & *diuturnior* fuit, tum quod, regno Babylonico finito, *ſervitutis quoque ratio* & *jus* ceſſavit; adeo ut populus captivus dimitti debuiſſet, niſi aliud objectum fuiſſet obſtaculum usque ad regnum Cyri. Eſt *itaque* ſermo conciſus & ellypticus, quo Babylonica ſervitute ob rationes moddatas ſola memorata, *id*, quod dein usque ad Cyrum liberationem diſtulit, reticetur: quod impedimentum in regno Medorum eſt quærendum. Quales ellypſes non ſunt infrequentes etiam in ipſa Hiſtoria Sacra: quemadmodum ad illuſtrem locum Exod. XII: 40. *Habitatio Israelitarum, qua in Ægypto habitarunt, annorum eſt* 430. ſcilicet, *& in Cananæa;* demonſtrari ſolet, & exemplis illuſtrari. Quorum unum alterumve citabo. Gen. XLVI: 15. *Hi ſunt filii Leæ, quos peperit Jacobo in Meſopotamia*, ſcilicet, & *Cananæa;* nam nepotes etiam fuerant recenſiti. Gen. XIV: 15. *Audita captivitate fratris Abramus* 318. *vernas armatos eduxit*, nimirum cum *viris ſociis*, verſ. 24. Quod vero Jer. XXV: 12. Deus *regem Babelis viſitaturus* dicatur 70 *annis completis;* illud latitudinem admittit, & omnium conſenſu debet, cum ante deſtructum fuerit regnum Nebucadnezaris, quam 70 anni fuerint plene finiti. De quo ſe denuo offeret dicendi occaſio.

§. XXIX. Hactenus disputata eo redeunt, regno Babylonico, a Medis deſtructo & occupato, ſucceſſiſſe in ordine Monarchiarum Aſiæ regnum Medorum ſub rege *Dario* Medo, filio Ahaſueri, cujus in libro Danielis exſtat mentio, adeoque hoc regnum per *pectus* & *brachia* in Statua, & *urſum* in viſo Danielis fuiſſe expictum. Cujus duo ſunt certiſſima criteria, *alterum*, quod *ſecundum* fuerit imperium, in locum Babylonici immediate ſuffectum; *alterum*, quod cunctæ emblematum partes, in ſpecie quæ *caracteres* regni

 ducunt,

ducunt, in illud exacte & unice quadrent. Quam ſententiam mihi privam eſſe exiſtimavi. Sed auctoritatem circumſpicienti occurrit *primo* verſio Syriaca, cui Dan. VII: 5. inſerta eſt hæc rubrica: *Regnum Medicum*, ut vſ. 6. *Regnum Perſarum:* deinde ex Recentioribus Herm. *Wingendorpius* in Paraphr. Hiſt. Danielis, qui tamen nec explicuit, nec demonſtravit. At enim, ſive antiqua, ſive nova ſit, cum rationibus & non auctoritatibus innitatur veritas, & libertas ſentiendi in hisce utique materiis nemini ſit fraudi, & me eam ſumere, non temere, ſed claris convictum argumentis, quis, qui, ne dicam regiam & homine dignam inſiſtit in veritate indaganda viam, quod de paucis illis ſperes, qui

Adparent rari nantes in gurgite vaſto,

ſed ſtudiis animam agentibus ictum lethalem inflictum, & barbariem cum ſervitute revocatam non vult, ægre tulerit? Quod ſi quis fecerit, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

§. XXX. Demonſtremus itaque modo poſita criteria in Regno Medorum; & judicium æquo Lectori relinquamus integrum. *Prius* criterium eſt, regnum hoc fuiſſe ordine *ſecundum*, quod regno Babylonico, ordine *primo*, proxime ſucceſſit. Quod cum ex ſuperioribus ſit quam clariſſimum, hic nihil a nobis requiritur, quam ut difficultati, quæ ex brevi hujus regni qua Monarchici duratione Hiſtoriæ non plane imperito ſponte ſua ſubnaſcitur, ne quis in limine offendat, obviam eam. Regnum ſcilicet Medorum licet per ſesquiſæculum ſteterit, & ſui juris fuerit, excepto Scytharum & Babyloniorum dominio, ſed hoc brevioris temporis, cum non niſi ſub finem Nebucadnezaris Medi venerari cominus debuerint ad breve tempus Majeſtatem Nebucadnezaris, de quo in ſuperiore diſſertatione agi: attamen poſt Babelem occupatam vix *duorum* cenſetur fuiſſe annorum, tum quod *primi* anni Darii Medi tantum fiat mentio Dan. IX: 1. X: 1. ſed hoc nec aſſis faciendum, cum *plures* non negentur anni; tum quod LXX annorum exilium

a IIItio Jojakimi, & Imo Cyri terminatum, plures annos Dario non relinquat poſt deſtructum regnum Babylonicum. Regibus in Canone Ptolemæi, Nebucadnezari, Evilmerodacho, Nerigliſſaro, & Nabonadio, dantur anni 66; qui *duobus* annis poſt exilii initium incipiunt, & *duobus* annis ante Cyri initia finiuntur. De *initio*, anno IIItio Jojakimi, quo incipit exilium, ex Dan. I: I. conſtat. Nebucadnezaris autem primus anno Jojakimi vto, ſeu partim Ivto, partim vto reſpondet, Jer. xxv: I. 2 Reg. xxv: 27. Finis eſt annus Cyri IIItius in Canone, qui Imus eſt Cyri Monarchæ, nam in Canone *novem anni dantur Cyro*, qui teſte Xenophonte *ſeptem* tantum regnavit. Ergo Dario Medo *duo* anni competunt, quos Cyro adtribuere cenſetur Canon Ptolemæi. Quæ aliunde confirmari poſſent, ſi hujus eſſet loci.

§. XXXI. Ad hanc difficultatem ne quis obhæreſcat, obſervari velim I. majorem minoremve regni *durationem* in hisce viſis, quæ de ipſis regnis, eorumque qualitatibus, agunt, non adtendi. Modo regnum fuerit præcipuum in Oriente & dominans, ſive brevius, ſive longius, nihil refert. Duratio regni inter externa ejus *accidentia* locum habet, nihilque ad regnum ipſum, ejusque eſſentiales proprietates facit. Monarcha æque eſt, qui *unum*, ac qui *centum* annos in regno exegit. Alexandri Monarchiam quis numero Monarchiarum Aſiæ exemerit, quod non niſi 6 annorum, vel, ſi a victoria ad Iſſum repetas, 8 ſecundum Canonem Ptolemæi fuerit? 2. Regnum Medorum non tantum qua Monarchicum, poſt Babylonicum deſtructum, ſed & qua regnum ſeparatum, & ſui juris, quod diu ante fuit, conſiderari; in primis in viſo Danieli oblato cap. VII. ubi *urſus* ad latus Leonis ſtetiſſe dicitur; de quo ſupra monui, & mox plura. In ordine Monarchiarum Aſiæ *ſecundum* accepit locum, quia Babylonico ſucceſſit, quem conſpectum in *Statua* Nebucadnezaris præcipue præfert. Sed cum diu ante magnam Aſiæ partem occupatam tenuerit, & regno

Babylonico æquale ac æmulum fuerit; eo magis locum merebatur in hisce viſis; duplici quippe nomine dignum, & quod collaterale fuerit Babylonico, & quod in ejus locum ſucceſſerit; illud *longioris*, hoc licet *brevioris* temporis.

§. XXXII. 3. In hisce etſi acquieſcere poſſum, quid addere vetat, diutius forte duraſſe regnum Medorum Monarchicum? & Darium Medum Danielis eſſe ipſiſſimum *Nabonadium* in Canone Ptolomæi, ubi anni 17 ei attribuuntur. De quo, licet hypotheſin, modo jactam, ab eo ſuspenſam nolim, utpote quæſito dubio, multisque disputationibus vexato, mentem paulo accuratius exponam. Placuit mihi hactenus, fateor, eorum ſententia, qui Beltzazarem fuiſſe Nabonadium, & Darium Medum *Cyaxarem* Medum, ſive filium, ſive rectius fratrem Aſtyagis, ſtatuunt. Sed, re hac occaſione accuratius perpenſa, in has deſcendi hypotheſes 1. Beltzazarem eundem eſſe ac *Laboroſoarchodum*, & Darium Medum ac *Nabonadium*. 2. Hunc non fuiſſe Babylonium, nec Babylonici regni adhuc ſtantis, ſed jam everſi, & ad Medos translati, regem, adeoque eundem ac *Cyaxarem*, ex Xenophonte notum, non filium, ſed fratrem Aſtyagis, 3. Darium Medum, alias Cyaxarem, vivo fratre Aſtyage, Cyro copiarum ex Medis & Perſis unitarum duce uſum, & regnum Babylonicum occupaſſe, & conjuratorum conſenſu regem eſſe factum; regnumque Babylonicum per 17 annos tenuiſſe. 4. Donec ſimultate inter Cyrum & Medos exorta, Cyrus primo Aſtyagen regno privaverit, Medos ſibi ſubjecerit, & tandem, poſt reliquos Aſiæ populos ſubjectos, ipſum Darium invaſerit, ac ſuperaverit; regno Babylonico ſibi vindicato, & ad Perſas translato. In quibus capitibus vel probandis, vel magna probabilitatis ſpecie veſtiendis, ſi verſari vellem: prolixior fieret, quam fas eſt, diſſertatio. Quare in pauca contraham; neceſſaria protuliſſe contentus.

§. XXXIII. Prima hypotheſis mihi cum ſummis Viris, Scaligero & Petavio, aliisque Viris Doctis, eſt communis.

Quare

Quare hoc paucis tantum agam, ut, hiſtoria Danielis cum Beroſi & Megaſthenis fragmentis collata, eam ab una alterave difficultate, inde enata, liberem. 1. Prima, quæ in eo ſita eſt, quod Beltzazar in Danielis libro dicatur filius Nebucadnezaris, & Laboroſoarchodus in fragmentis citatis tanquam *filius* Nerigliſſoris, qui gener Nebucadnezaris fuit, deſcribi videatur, multum negotii non faceſſit; quia ex filia æque ac ex filio Nebucadnezaris natus *filii* ejus nomen gerere poteſt. Nec tamen negaverim, vaticinio Jer. XXVII: 7., ubi gentes *Nebucadnezari*, *filio*, & *filio filii ejus* ſervituræ dicuntur, accuratius reſpondere, ſi *Beltzazar* pro filio *Evilmerodachi*, filii Nebucadnezaris, habeatur. Quod Herodot. l. 1: 34. confirmat, *Labynitum*, ultimum regem Babylonicum, adpellans *filium* Labyniti primi; qui eſt *Nebucadnezar*. Quod ſi obtineat, Beroſum in genealogia levem errorem commiſiſſe, quod facile contingere poteſt, vel relativum in vocibus, τέτε υἱὸς *bujus filius Laboroſoarchodus*, non ad Nerigliſſorem, ſed Evilmerodachum ab eo occiſum, eſſe referendum, dicendum eſt: quod verba Megaſthenis, τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισάρης λεῖπε παῖδα Λαβασσοάρασκον, quoque ferunt, ſi vertantur, *quem ſororis maritus Nerigliſſares cum occidiſſet, ſuperſtitem reliquit puerum Labaſſoarascum*, ejus ſcilicet, quem occiderat, filium adhuc *puerum*; ut Beroſus habet. 2. Secunda, minoris adhuc facienda, ex ætate Laboroſoarchodi & Beltzazaris naſcitur. Beltzazari uxor, & concubinæ dantur apud Danielem: ſed *Laboroſoarchodus* ὁ παῖς *puer* dicitur Beroſo. Verum, ne ab hoc titulo, qui 16 annos comprehendit, illud alienum non eſſe, ut quis ſit *prætextatus adulter*, quæ phraſis eſt Juven. 1: 1., dicam: ille titulus tum de puerili indole, & juvenili temeritate ac laſcivia, quæ ex Daniele clare eluceſcit, intelligi poteſt. Quemadmodum Darius de Xerxe apud Æſchyl. Perſ. verſ. 784.

Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς νέος νέα φρονεῖ.

Verum Xerxes filius meus juvenis juvenilia ſapit.

tum latitudinem admittit, *puerumque majorem*, ut Lat. loquuntur, ſeu, ut Græci ἀνδρόπαιδα *virilem puerum*, denotat: ut taceam, hiſtoricos in *ætate* ſignanda ſaepe minus exactos eſſe, & *famam* ſequi. Æſchylo Sept. Theb. vſ. 539. ἀνδρόπαις ἀνὴρ *virilis puer*, eſt ὁ παῖς, ὁ νεωςὶ εἰς ἄνδρας τελῶν, ἢ ὁ ἐν τῇ παιδικῇ ἡλικίᾳ ἀνδρεῖος ὤν, ut exponit Scholiaſtes: qualis Callimacho in Cerer. verſ. 57. audit ὁ παῖς *puer*. Quo ſenſu Auguſtus, 20 fere annos natus, quoque *puer* vulgo Romæ adpellabatur, Sueton. in Aug. c. 12. ubi vid. *Caſaubonus*. 3. Tertia, ſolutu, ut videtur, difficilior, originem ex duratione regni repetit. Laboroſoarchodo enim *novem* tantum *menſes* a Beroſo dantur, ſed *tertius* Beltzazaris annus Dan. VIII: I. memoratur. Quem nodum Doctiſſimi Viri ita ſolvunt, ut Neriglíſſorum filii ſui Laboroſoarchodi, cujus, utpote ex filia Nebucadnezaris nati, regnum erat, *tutorem* egiſſe ſtatuant, eoque anno *quarto* adminiſtrationis mortuo, Laboroſoarchodum *ſolum* per 9 Menſes regnaſſe. Quod majore jure factum fuiſſe cenſeri poſſet, ſi, quod modo obſervavi, Laboroſoarchodus ipſius Evilmerodachi fuiſſet filius; cui Neriglíſſorus occiſor Patris regnum reliquiſſet, adminiſtratione contentus: quo Megaſthenis verba retuli. Sed quid addere vetat, Neriglíſſorum in regni ſocietatem adſumſiſſe filium; cujus moris plurima ſunt exempla: vel potius, cum Neriglíſſorus, vir bellicoſus, primum cum rebellibus, dein cum Medis continuo eſſet occupatus & implicitus bello, adeoque regni adminiſtrationi minus vacare poſſet, Laboroſoarchodum conſtituiſſe regem, eique res regni Babele commiſiſſe; pro more *Perſis* & aliis recepto. De Perſis id diſerte teſtatur Herodot. l. VII. c. 2. ubi dicit, *regem, ex lege Perſarum, ita oportere in expeditionem ire, quum regem declaraſſet.* De

aliis

aliis populis Thucyd. H. I. c. 9. ubi narrat, *Euryſtheum*, cum ad *expeditionem proficiſceretur*, *Atreo* commiſiſſe *Mycenas* & *imperium*, *κατὰ τὸ οἰκεῖον*, *ut conveniebat.*

§. XXXIV. De *ſecunda*, *tertia* & *quarta theſi* paulo uberius diſſerendum eſt, in primis de *ſecunda*, cui, quam privam habeo, aliquid lucis inſpergendum eſt; poſteaquam præmiſero Syncello Chronogr. p. 183. ſimile quid fuiſſe viſum; *Nabennidum* enim, *Darium* & *Aſtyagem*, eundem facit, & regnum Chaldæorum ab ipſo ſub *Nirigleſſaro*, quem *Beltzazarem* eſſe putat, occupatum & per 17 annos poſſeſſum fuiſſe tradit. W. Langius, vir Doctiſſimus, de *Annis Chriſti* l. II. c. 14. ut poſtea obſervavi, nonnulla mecum habet communia. Sed Aſtyagen vult eſſe *Darium* Medum, & *Nabonadium* ejus pro-regem, quamdiu Aſtyages vixit, dein regem, a Cyro devictum: Babylonios vero poſt Laboroſoarchodum, qui etiam *Beltzazar* eſt, ſeſe Medorum in ditionem tradidiſſe. 1. Primo itaque, ne quem nominum varietas offendat, notari velim, *nominum mutatione*, ut recte Rupertus ad Florum l. III. c. 5. p. 408. *nihil in Orientalium hiſtoria frequentius eſſe:* de quo vid. Ill. Scaliger Emend. Temp. p. 580, 582., nec non ad Chron. Euſeb. p. 91. ubi more ſuo *futilem de nomine controverſiam* pronunciat. Medorum quoque reges varia habuiſſe nomina, vel ex Herodoto & Cteſia ſecum collatis manifeſtum. Nabonadii, vel, ut Megaſthen., *Nabannidochi*, nomen eſt Chaldaicum נבונים, vel נבונישרך, utrumque ex nominibus Chaldaicis compoſitum; ut ex laterculo Ill. Scaligeri ib. p. 577. videre eſt. *Darii* & *Cyaxaris* nomina ſunt Medica vel Perſica. *Darii* videtur verum ejus fuiſſe nomen, quo Daniel eum inſignivit; & Græcis quoque innotuit, ut ex nummis *Daricis* ab ipſo repetitis, de quo poſtea, patet. Humani quid paſſus eſt Cl. L'Empereur in Præf. ad Jacch. Dan., ſeu *diſcurſu ad Lectorem*, noſtrum Darium apud Herodot. l. I. c. 130. ubi Medi, a Cyro victi, ſequente tempore a *Dario* defeciſſe narrantur, intelligi exiſtimans: cum Darium

Hyſtaſ-

Hyſtaspis indicari nihil ſit certius. Rectius huc pertinet, quod auctor argumenti Tragœdiæ Æſchyli, quæ Perſæ inſcribitur, tribus *Dariis* recenſitis ſubjiciat, *aliqui etiam quartum Darium fuiſſe perhibent*. *Cyaxaris* vero ex Patris nomine originem traxit apud Xenophontem. Fuit enim filius *Abaſueri*, quod nomen idem eſt ac *Cyaxaris*; ut a Doctis jam obſervatum. Nec ſignificatio nominum multum differt. אחשורוש eſt ὀξυάρης, & præpoſito קו eſt κυαξάρης, *Ku* autem in Ling. Perſica eſt δυνάστης. Vid. Ill. Scaliger Emend. Temp. p. 587. Nomina vero ὀξυάρης & Ξέρξης eadem ſunt, & ſignificant ἀρήϊον *martium*, *bellatorem*, teſte Herodot. l. VI. proprie, ut putat Cl. H. Relandus de Vet. Ling. Perſ., *Leonem regem*. Darius vero, eodem Herodoto teſte, eſt ἑρξείης *coërcitor*, proprie ſive *ferocem*, & *fortem*, ſive *Dominum* ſignat, ut Idem Vir Doctiſſ. Rel. l. c. obſervat. Quæ quam ſint adfinia, in oculos incurrit. Nominum *Cyaxaris* & *Darii* confuſio neſcio an *Hieronymo* in Epith. Fab. & *Suidæ* in Thalete impoſuerit, cum Scythicum bellum ſub *Cyaxare* I. adſcribunt *Dario*.

§. XXXV. 2. *Darius* adpellatur *Medus*, & quidem ex *ſemine Medorum*, *filius Abaſueri* Dan. IX: I. quo ſignificatur, ipſum non tantum a regio Medorum ſanguine fuiſſe cretum, quæ phraſios, *ex ſemine Medorum*, poteſtas eſt, ut recte notavit Doctiſſ. Vignolius Chron. S. l. V. c. 13. p. 521. ſed & *Cyaxaris*, qui Pater fuit Aſtyagis, filium; quod nomina *Cyaxaris* & *Abaſueri*, quæ eadem ſunt, facile evincunt. Xenophon in eo falſus eſt, quod *Cyaxarem* fecerit *filium Aſtyagis*, qui frater ejus fuit: quod tum ex Herodoto liquet, qui prole maſcula fuiſſe orbum Aſtyagem teſtatur, uti notum eſt, tum ex Daniele extra dubium collocatur. Is enim adſerit, Darium fuiſſe filium *Cyaxaris*, vel, quod idem eſt, *Abaſueri*; præterea annos 62 habuiſſe, cum ad regnum Babylonicum pervenit: quod, ſi Aſtyagis filius ſtatuatur, conſiſtere nequit. Uxorem enim duxit Aſtyages, quo tempore finitum eſt bellum Ly-

dorum

dorum & Medorum, anno P. J. 4129., ut egregie Idem Vignolius l. c. adſtruxit. Hinc ad finem Nabonadii, qui ultimus cenſetur Babyloniorum rex, anni ſunt 44: adeoque 62 annos natus non eſſe potuit Darius, ſi vel Nabonadio ſucceſſiſſet; nedum ſi ipſe ſit Nabonadius. Momenti quid addit locus *Æſchyli*, ſupra citatus, ubi duo celebrantur ante Cyrum reges, qui Aſiæ imperium fundarunt, alter Medus, alter ejus filius: qui alii eſſe nequeunt, ac qui ex Medorum regibus *Aſſyriacum* & *Babylonicum* regnum in obſcurum miſerunt; quo Aſiæ imperium unice fuit a Medis ante Cyrum erectum. Qui duo fuerunt *Cyaxares*, prior & poſterior, Pater & Filius; ut ibi diſerte Æſchylus, qui Aſtyagem, utpote ignavum, prætermiſit, de fundatoribus regni Aſiæ tantum loquens. De quo loco poſtea.

§. XXXVI. Error Xenophontis, quo ex *fratre* Aſtyagis ejus *filium* fecit, ſive ex lapſu memoriæ, ſive falſa relatione ortus, facile committitur, & Hiſtoricis, qui fratres & filios confuderunt, ſæpe obrepſit: quæ exempla ubique obvia ſunt. Sed ad *Nabonidum* Beroſi & Megaſthenis pergamus; ut, quod de Dario dixi, ab eo alienum non eſſe oſtendamus. Nabonadium *Laboroſoarchodo*, ultimo ex ſtirpe Nebucadnezaris Babyloniorum regi, nulla plane adfinitate fuiſſe junctum, προσήκοντος οἱ οὐδὲν, in genere tradit Megaſthenes, haud obſcure indicans, ipſum fuiſſe extraneum; quod in Darium Medum utique longe aptius, quam *Beltzazarem*, filium Nebucadnezaris Dan. v., quem per *Nabonadium* multi intelligunt, aut ullum alium Babyloniorum regem, quadrat. Accedit, ſtante regno Babylonico, familiam Nebucadnezaris ſecundum Prophetias regnare debuiſſe; ut colligitur ex Jeſ. XXIII: 15. ubi *unius regis tempus* adpellatur, quo exilium 70 annorum duravit. Vid. & Jer. XXVII: 7. quo viſum *capitis aurei*, quo *Nebucadnezar* fuit expictus, etiam tendit; ne, quod ignotum non eſt, dicam, in *Beltzazare* concidiſſe regnum Babylonicum, ſecundum Dan. v. Extraneo itaque locus non eſt in catalogo

logo regum Babyloniæ, quamdiu regnum illud ſui juris fuit; & Nabonadius, ſi vera dixit Megaſthenes, fuerit alienigena, qui regnum Babylonicum ad aliam gentem tranſtulit, neceſſe eſt. Sed qua ratione Beroſo opem feremus? qui *Nabonadium* unum ex *Babyloniis* fuisſe, cui communi ſuffragio regnum a conjuratoribus, qui Laboroſoarchodo næcem intulerunt, delatum eſt, narrare videtur. De modo, quo ad regnum pervenit, mox dicam, hic de *origine* ejus verbo abſolvam. Mihi, ſi Beroſus ab errore, qui in ſtemmate & origine regum facile committitur, ſit abſolvendus, nihil propius occurrit, quam ut, vel 1. voces, τῶν ἰκ βαβυλῶνος, loco ſuo motæ, poſt τῆς ἀυτῆς & ante ἐπισυστάσεος ponantur, hunc in modum: *communiter, rege trucidato, regnum tradiderunt* Ναβοννήδῳ τινί ὄντι ἐκ τῆς ἀυτῆς τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπισυστάσεως, *Nabonnedo alicui, qui ſocius fuerat ejusdem Babylonıorum conjurationis*, vel 2. voces, τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ὄντι ἐκ τῆς ἀυτῆς ἐπισυστάσεως, non ſignificent, eum fuiſſe unum ex gente Babylonica, ſed *unum eorum* ex Babylonia, qui conſpirarunt in regem Laboroſoarchodum; de quibus in proxime præcedente ſermo fuerat; imo non *unum*, ſed principem, & præcipuum, quæ vis eſt vocis τινός. Sic non ipſe erit *Babylonius*, quin potius a Babyloniis diverſus, verum eorum ex Babyloniis ſocius & princeps, qui regem trucidarunt. Quod *Dario Medo*, qui Babylonem occupavit, & manus præbuit Gadatæis & Gobrianis, amicis regis, ut dicuntur, qui regem violenta morte ſuſtulerunt, haud male convenit.

§. XXXVII. 3. Darius Medus, ut de *modo*, quo regnum Babylonicum capeſſivit, varios Hiſtoricorum relationes componamus; apud Danielem in genere dicitur *regnum conſecutus*, c. VI: 1. & *rex conſtitutus* c. IX: 1. Verbum קבל propria ſua poteſtate & emphaſi non violentam occupationem, ſed rei dono datæ acceptionem, imo cum geſtu reverentiam & requieſcentiam animi teſtante, exprimit: ut recte obſervavit Cl. Coccejus, & uberius ex Arab. lingua

gua illuſtravit ſummus Litteraturæ Orientalis ſtator ad Job. II: 10. adeoque Dario fuiſſe regnum oblatum, & ea ratione ab ipſo acceptum indicatur. Quod phraſis, *conſtitutus eſt rex* c. IX: 1., quoque inſinuat. Eundem uſum præfert verbum παραλαμβάνειν, quo Græcus Interpres utitur Dan. V: 31. quod & de ſucceſſione in regnum paternum uſurpatur apud Lucian. Dial. Mort. XI. p. 287. Xenoph. κ. π. I. 1. p. 22. & alibi, Herodian. l. VII: c. 1. Alia adtulit Doctiſſ. Raphelius ad Hebr. XII: 28. Nec tamen regni violentam ablationem, *quæ præceſſit, aut regni, cui quis præficitur*, in antiqua gente deſtructionem excludit: ut quam clariſſime ex Dan. VII: 18. elucet. Nec illud ab uſu verbi παραλαμβάνειν abhorret, ut ex Jer. XLIX: 2. patet. Prope accedit παραλαμβάνειν ἀρχὴν apud Lucian. in Toxar. p. 67. pro *arripere* vel ſibi vindicare regnum, nece regis turbatum. Ad hæc ſi animum advertiſſent Ill. Scaliger ejusque adverſarii, ille regnum Babylonicum manſiſſe integrum & intactum hinc non collegiſſet, nec hi ſpontaneam regni traditionem Dario negaſſent. Utrumque enim hic locum habere debet, ſi verbi קבל, & phraſios, *conſtitutus eſt rex*, uſus adtendatur. Utrumque de Dario ex noſtra hypotheſi recte adfirmatur. Regni Babylonici metropolis a Cyaxare cum Cyro duce fuit occupata, & ultimus rex Babylonius Beltzazar violenta morte adfectus; eaque ratione ſucceſſio Babylonica exſtincta eſt; quando Darius regnum Babylonicum eſt adeptus; quod ex cap. V. & VI. Danielis elucet, & a Doctis contra Scaligerum & alios recte eſt evictum. Nihilominus Dario fuit regnum *oblatum & datum*, tum quod, non tam a Cyro, qui *ducis* tantum perſonam in hoc bello geſſit, quam ab *Aſtyage*, rege Medorum, cujus copiis & auſpiciis res agebatur, rex fuerit conſtitutus; tum quod conjurati, qui regnum prodiderunt & regem occiderunt, Gadatæi puta & Gobriani, ex ſolo Xenophonte noti, regnum, Babylone capta & rege trucidato, ei detulerint; prout inter ipſos & Medos conve-

venerat, ut præſumere licet. Bellum enim Medorum non tam eo tendebat, ut regnum Babylonicum deſtrueretur, quam ut in familia Nebucadnezaris & gente Babylonica exſtingueretur, adeoque *conſpiratio* in familiam regiam & gentis regnum vero ſuo nomine eſt adpellandum. Quo recta ducit ſomnium Nebucadnezaris, in ſuperiore Diſſert. §. XLII. explicitum.

§. XXXVIII. Quod poſterius ut ex Beroſi fragmento confirmatur, ſic viam conciliationis inter Beroſum & Danielem pandit facilem, ſimul *Nabonnadium* eundem eſſe ac Darium Danielis adſtruit. De conjuratis in Laboroſoarchodum, ultimum ex ſtirpe Nebucadnezaris regem, habet Beroſus, eos, rege neci dato, regnum *communi conſenſu* obtuliſſe Nabonnadio, conjurationis præcipuo patrono & principe ſocio. Quo nihil eſt in hanc rem clarius. Verum quidem eſt, ſolius conjurationis, nullam belli cum Medis, aut captæ Babylonis mentionem facere Beroſum; ſed nec illud factum eſſe, aut præceſſiſſe negat. Defectus eſt in hiſtorico, fateor, ſed non inſolitus, aut infrequens hiſtoricis, in primis quum de antiquis rebus agitur, quarum obſcurior & incertior ſupereſt memoria. Quem aliunde ſupplere licet, tum ex Daniele, tum ex Xenophonte, qui *belli* juxta ac conſpirationis Gadatæorum & Gobrianorum diſerte meminit. Ipſe Daniel, etſi regnum cum morte Beltzazaris ad Medos fuiſſe devolutum haud obſcure innuat cap. V. nihil tamen de bello, aut capta *Babylone* habet, regem ultimum violenta morte cecidiſſe ſimpliciter narrans. Convenit vero inter Xenophontem & Beroſum ac Danielem, ab amicis & conjuratis regem occiſum fuiſſe: quod hic ſufficit. Beroſus de nece regis habet; ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. Abydenus ex Megaſthene tradit, eum mortuum eſſe, βιαίῳ μόρῳ. Daniel utitur verbo קטל proprie *ſuccidere*, *amputare*, ſive gladio, ſive alio inſtrumento mortifero. Secundum Xenoph. κ. π. l. VII. p. 192. Gadatæi & Gobriani in regiam ad regem penetrantis, *eum erectum*

erectum cum acinace, *quem ſtrictum tenebat*, *invenerunt* καὶ ἐχειρῶντο, & *oppreſſerunt* ac *interfecerunt*, ut ex ſeq. patet. ſic Heſ. χειρώσασθαι, ὑποτάξαι, φονεῦσαι. Quod a Beroſi narratione prope abeſt. Erant enim *Gadatæi* & *Gobriani* principes Babyloniorum viri, & regis intimi conſiliarii, qui inſigni ab eo adfecti injuria Medos incitarunt & adjuverunt, haud ſecus ac poſtea Harpagus Cyrum ad Medis imperium eripiendum, propriaque manu eum trucidarunt: quo peracto tanquam præclaro facinore lætati ſunt, & Cyro *gratias pro vindicta ab impio rege ſumta egerunt*; eodem ib. teſte. Ex quo quæ ipſorum in hoc bello partes fuerunt, facile elucet. Utitur *Beroſus* verbo ἀποτυμπανίζεσθαι, quod proprie quidem dicit, *fuſtibus ad mortem cædi*, ſed latius de quacunque violenta nece ſumitur, de quo vid. T. Gatakerus Adverſ. Miſc. cap. 46.

§. XXXIX. Regnum itaque Babylonicum, urbe a Medis occupata, Babyloniis ereptum conjuratorum ſuffragiis ad Darium Medum, qui eſt *Nabonadius* Beroſi, & Cyaxaris Xenophontis, tranſiit, qui illud 17 annos tenuit. De quo antequam agam, conjecturam de Dario Medo *Nabonadio* non poſſum quin ex laterculi regum, in Canone Ptolemæi, quod in *Nabonadio* finitur, inſcriptione uno verbo obſervem quid roboris acquirere. Habet enim titulus ex Petavii editione, *Aſſyriorum* & *Medorum regum*. Nullus autem *Medorum*, ſi a Nabonnadio diſceſſeris, ſeſe in toto laterculo offert; adeoque vel is *Medorum rex*, vel falſa ſit inſcriptio, neceſſe eſt. Quod a Doctis paſſim prætermiſſum, ab Ill. Marsham. Sec. XVIII. p. 597. ad Nerigliſſorem temere adplicitum, hic non erat negligendum.

§. XL. 4. Sex annos vix tranquille exegerat in regno Babylonico Darius; quum Cyrus, ſive rebus proſpere geſtis elatus, ſive ambitiouis œſtro percitus, ſive etiam a Medis pro opera ipſis in Babylonico regno occupando præſtita indigne tractatus, anſa ipſi per Harpagum aliosque Patriæ proditores data, Perſas ad defectionem a Medis &

bellum cum Aſtyage incitavit; unoque alterove prælio Aſtyagem in ipſa Media, haud procul Ecbatanis, devicit; multis Medorum præ regis crudelitate ad Cyrum deficientibus. Quæ ex Herodot. l. I. c. 127. &c. nota ſunt. Deinde cum Darius Medus, hisce Cyri facinoribus excitatus, exercitu collecto, contra Cyrum moviſſet, tribusque præliis feliciter habitis, ad Paſargadas usque in Perſiam penetraſſet, tandem ultimo prælio ibi a Cyro eſt ſuperatus, & a Cyro oppugnando remiſit, de regno ſuo tuendo ſolicitas agens curas. Quo pertinent quæ de variis prælils Medorum cum Cyro, & ultimo apud Paſargadas, narrant Hiſtorici. Vid. Polyæn. l. VI. c. 6. &c. Strab. Geogr. l. XV. p. 1062. Stephanus in πασσαργάδαι. De bello enim Cyri cum Aſtyage hæc, ſalva Herodoti & Cteſiæ fide, nullo modo intelligi queunt. Denique Dario intra proprii regni fines compulſo, cum Cyrus ab eo nihil amplius haberet metuendum; ad reliquas Aſiæ partes ſubjugandas ſe adcinxit. Babylone itaque ad tempus relicta movit ex Perſia juxta Tigrin fluvium, urbesque, a Medis poſſeſſas, aliam poſt aliam occupavit. Id quod ex iis, quæ Xenoph. Exp. Cyr. l. III. p. 308, 309. de *Lariſſa* & *Meſpila* a Perſis, quo tempore Medis regnum eripuerunt, captis habet, colligi poſſe autumo. Hac via ad Lydos progreſſus Croeſum debellavit, & totum ejus regnum in poteſtatem ſuam redegit. Quæ notiſſima eſt hiſtoria. Hisce peractis recta Babylonem tetendit, & regis Darii exercitu partim fuſo, partim in fugam conjecto, ipſo rege Borſippenorum urbe incluſo, *Babylonem* qua arte, qua marte cepit. Quando rege Dario ſeſe dedente; & humaniter tractato, & Carmaniæ præfecto finis regno ſimul Medorum, ſimul Babylonico impoſitus eſt, & Monarchia Orientis ad Cyrum tranſiit. Quæ ex Beroſo, Abydeno, & Herodoto neminem, niſi in hiſtoria hoſpitem, latent.

§. XLI. Nihil ſupereſt, quam ut hypotheſin, in qua probabili reddenda fuimus, ab una alteraque liberemus diffi-

difficultate. Ei enim haud parum obeſt 70 annorum exilium, quod regno Babyloniorum adligatur, tum Jer. xxv: 11, 12. tum Dan. ix: 1. ubi Daniel anno Imo Darii 70 annos exilii prope a fine ſuo abeſſe innuere videtur. Quod qua ratione, ſalva noſtra opinione de *Nabonadio* Dario Medo, verum ſit, difficulter, ut videtur, cernitur; quia ab initio exilii, anno IIItio Jojakimi, ad initium Nabonadii uſque non niſi 52 anni effluxerunt; ut ex annis regum Babyloniorum in Canone facile colligitur.

§. XLII. Difficultas, quam locus Jer. xxv: 11, 12. præbet, ut ab ea, quæ præcipua eſt, incipiam, non tam in eo ſita eſt, quod populi, a Nebucadnezare ſubacti, regi *Babylonis ſervituri* dicantur 70 *annos*, cui ſupra §. XXVIII. jam occurri, quam quod Deus, ſe *regem Babelis*, & *gentem eam viſitaturum*, adſerat, כמלאות שבעים שנה *quum impleti fuerint* 70 *anni:* quod in hypotheſin noſtram directe incurrit. Sed, quod ante omnia obſervari velim, non noſtra ſolum, verum & vulgata opinio, quæ initium 70 annorum in 4to Jojakimi ponit, eadem premitur difficultate; quia regnum Babylonicum jam ante exſpiraverat quam annorum illud ſpatium effluxit, & inter regnum Babylonicum exſtinctum ac Cyri annum primum, quo ſoluta eſt captivitas, regnum Darii Medi interceſſiſſe ſtatuatur. Quam ob cauſam in hoc loco explicando, & cum ea hypotheſi in concordiam redigendo, operam poſuit D. Jungman. ad Dan. l. II. Sect. I. c. 5. p. 51. qui כמלאת vertendum eſſe, *antequam impleti fuerint*, cenſet, & ab uſu voculæ כ non abhorrere demonſtrat. In quo acquieviſſem; niſi noſtra hypotheſis, quæ longe majus ſpatium inter regni Babylonici deſtructionem & finem 70 annorum ponit, peculiarem mereretur animadverſionem. Verto itaque, *donec complerantur* 70 *ann.*, *viſitabo regem Babelis* &c. ſenſumque conſtituo, viſitationem regis, ante quidem inceptam, tum, quum ſpatium illud finitum fuerit, conſummandam eſſe, & perfectam fore. Viſitatio ante quidem initium ſumeret,

ſed

ſed finitis illis annis compleretur, quantum ſcopo Dei erat congruum. *Viſitare* itaque non tam pro initio, quam fini viſitationis ſumitur, ita tamen ut initium quidem includat, & præſupponat, ſed complementum directe & proprie ſignificet. Quod ut clarius eniteſcat, notandum eſt, comparari hic ſecum annorum 70 & *viſitationis* Babelis periodos, cujus indicium in כ ſimilitudinis in כמלאות; & indicari, eas periodos ſibi in exitu reſponſuras, ita ut, cum 70 anni ad finem ſpectarent, inciperet viſitatio Babelis, cumque 70 anni impleti eſſent, viſitatio quoque complementum haberet. Ut itaque verbum *viſitare* & initium, & præcipue finem comprehendit, ſic *impletio* 70 annorum non tantum ultimum complementum, ſed & paulo præcedens tempus, quo 70 annorum periodus ad finem vergere inciperet, una includit. Quam duplicem poteſtatem verbum כמלאות recte complectitur; cum latitudinem admittat, & de tempore antecedente etiam ſumatur. Vid. Jer. XXV: 34. Luc. II. 21. Act. II: 1. quo axioma Theologicum LX Al. Mori pertinet: *Scriptura abſolutum dicit, quod abſolvi proximum eſt.*

§. XLIII. Hanc expoſitionem duplici exemplo illuſtraſſe haud abs re eſt, altero ex Ezec. V. 2. altero ex Jeſ. VII: 8. Prioris loci verba ſunt, *Tertiam partem* (ſcilicet crinium capitis & barbæ) *igne incendes in media urbe.* כמלאת *cum impleti fuerint dies obſidionis;* id eſt, donec inpleantur, & periodus dierum obſidionis fuerit exacta. Non enim finita, ſed durante obſidione, *fame* & *peſte* enecti ſunt; quam ignis & combuſtio crinium expinxit; ut ex verſ. 12. eluceſcit. Alterius loci verba ita habent: *& adhuc 65 anni & frangetur Ephraim, ut non ſit populus.* In quo loco Interpretes valde laborarunt. Cum enim Ephraim anno 20mo vel 21 ab eo tempore, quo Jeſaiæ hæc revelatio facta eſt, fuerit a Salmanaſſare oppreſſus & in exilium abductus; quod a Cl. Commentatore recte eſt obſervatum: quid 65 anni ſibi velint, difficiles habet explicatus. Optima licet eorum

ſit

ſit interpretatio, qui 65 annorum terminum in eo eventu & articulo temporis figunt, quo novi coloni per Aſarhaddonem, in Canone Ptolomæi *Aſſaradinum*, in terras Ephraimi ſunt transportati: non ſine ratione tamen Cl. Commentator objicit, minime probabile eſſe, Prophetam, deſtructionis regni Ephraimitici, & incolarum abductionis in exilium, nulla facta mentione, *extremum* judicii Dei in Epraimitas terminum ſolum voluiſſe notare. Ipſe ergo lectionem putat eſſe adfectam, & pro 65 ſubſtituit 21, ingenioſa, & magno Vitringa digna, nec a vocibus Hebræis longe diſcedente, nedum eorum more damnanda, qui majore ſuperſtitione quam reverentia erga S. Scripturæ textum Hebræum adfecti ſunt, conjectura. Equidem lectionem, ſumma tantum neceſſitate ſolicitandam, hic ſanam eſſe autumaverim, & ſenſum conſtituerim, intra 65 annorum ſpatium Ephraimum variis gradibus eo eſſe redigendum, ut *populus* in Cananæa ſummo ſenſu ceſſaturus ſit eſſe, novis colonis terram translatis. Judicia Dei in Ephraimum hic ſimul complectitur Propheta, & quem *terminum* habitura ſint, addita annorum epocha, prænunciat. Duas & *annorum* & *judiciorum* Dei epochas ſecum connectit, easque eundem *habituras terminum* adſeverat; ita ut 65 annorum ſpatio tum deſtruendum ſit regnum, tum novis colonis locus ſit cedendus. Plane ut Jeremiæ loco, cui illuſtrando hoc exemplum inſervit.

§. XLIV. Nondum nos dimittit Jeremiæ locus: novum enim injicit ſcrupulum, quod ultimus *viſitationis* terminus, qui a 70mo exilii anno proxime abeſt, in Babelis regem & gentem cadat: tum ex noſtra hypotheſi, non Babylonii, ſed Medi tunc regnaverint. Hunc ſcrupulum ut eximam, ad animum revocari velim, regnum Babylonicum, vere & proprie ſic dictum, cum ſtirpe Nebucadnezaris deletum, & ad Medos translatum, in novo licet & extraneo rege haud uno nomine dici poſſe revixiſſe, & reſuſcitatum fuiſſe; cum quod Metropolis regni manſerit *Babel*, tum quod

M gens

gens non fuerit in pleniſſimam ſervitutem redacta, tum denique quod exilium populi Dei ſub novo rege, Dario Medo, continuaverit, adeoque rex veſtigia Nebucadnezaris in populo Judæo opprimendo preſſerit. Regnum Babylonicum quidem evanuerat, ſed *Babelis* ſupererat, & regum Babyloniorum Spiritus Judæorum reſpectu revixerat. Hæc quamdiu locum obtinebant, vindicta a regno Babylonico nondum plene dici poterat ſumta; quod demum tum factum eſt, quando Babel & gens Babylonica magis ſervili, & abjectiori ſtatui eſt addicta ſub Perſis; ſede regni alio etiam tranſlata. De quo in ſuperiore *diſſertatione* dixiſſe memini. Prophetis vero, ubi in Regnum Babyloniorum divinitus acti declamant, hæc in primis fuiſſe ob oculos obverſata, ex ipſis Prophetis, quæ *Metropolin* Babelem, & gentem Babylonis ubique perſtringunt, & in eam detonant, manifeſtum eſt. Jeremias noſtro loco *viſitationem* Babelis de *æternis deſolationibus* explicat; & alio loco cap. XXIX: 10. 7. annorum, Babeli datorum, terminum cum *viſitatione* ipſius populi Dei, qua Patriæ redderetur, copulat. Id ipſum Jeſaias in luculento de Cyro vaticinio intendit cap. XLV: 28. XLV: 1. & alibi. Deus itaque, ut verbo concludam, primum in Nebucadnezaris regnum iram ſuam effudit, illud deſtruendo & Medis concedendo, deinde, cum hi magis renovarent Babelis regnum, & populo Dei nihilo faventiores eſſent, in Babele & regno ibi erecto judiciis ſuis proſternendo perrexit, donec per Cyrum ultimam manum operi imponere coeperit.

§. XLV. De altero loco, cujus ſupra memini, Dan. IX: 2. paucis abſolvam; qui rite intellectus, non labefactabit, ſed firmabit potius opinionem noſtram. Daniel enim ibi non dicit, 70 annos jam eo, quo preces fudit, anno 1mo Darii Medi fuiſſe finitos; ſed ſe poſt accuratam inveſtigationem *clare & diſtincte intellexiſſe*; (quam poteſtatem habet verbum בינותי) ex *Schedis* (vox ספר nonnunquam libellum unius folii, vel Epiſtolam ſignat Deut. XXIV: 1. 2 Sam. XI:

14.

14. Jer. XXXII: 11.) *numerum annorum, prout verbum factum eſt ad Jeremiam Prophetam* (אשר hic eſt pro כאשר) *ad implendas deſolationes Hieroſolymæ*, (tot enim illis erant deſtinati,) *ſeptuaginta annorum* eſſe. Senſus ergo eſt, Danielem ex Jeremiæ foliis perlectis exilium Babylonicum 70 annos duraturum perſpexiſſe. Cui inquiſitioni anſam, ni fallor, nova periodus regni Babelis in Nebucadnezare & Babyloniis exſtincti, & rege extraneo Medo erecti, ſuppeditaſſe videtur. Hæc enim tam notabilis mutatio animos exulum non poterat non in ſpem liberationis ſuæ erigere; cum *regno* Nebucadnezaris ſua videri poſſet adligata eſſe calamitas. Atenim, cum 70 annorum fore exilium animadvertiſſet Daniel; ad preces & jejunia ſeſe convertit, ut, ſi annorum illorum deminutionem a Deo impetrare non poſſet, quod pro abſurdo non eſſe habendum, *decurtatio annorum* Matth. XXIV: 22. & *quindecim* anni vitæ Hizkiæ poſt denunciationem propheticam additi, Jeſ. XXXVIII. evincunt; illud conſequeretur, ut res mundi, hac occaſione ſeſe offerente, eo dirigerentur: utique, ſi Darius Medus eam libertatem populo Dei denegaret, Perſarum, ſeu *Cyri*, res felici ſucceſſu gaudeant. Huc collineaſſe, & hinc ortæ videntur preces Danielis. Quæ itaque nihil habent noſtræ hypotheſi contrarium. Precibus fuſis, Angelus dicit verſ. 23. *verbum* fori coeleſtis *emanaſſe*, & *ſe miſſum eſſe* ad Danieli *hunc nuncium ferendum;* Deum ſcilicet Cyro in regnis Orientis ſubigendis adfuturum; & ſuo tempore curaturum, ut exulibus reditum in patriam concederet. Quod licet cap. IX. expreſſe non dicatur, ex c. XI: I. haud obſcure colligi poſſe videtur: ſi, quod Angelus ſe ab anno primo Darii Medi ſtetiſſe ad *confortandum eum* ibi adſerit, non ad Darium, ſed regem Perſarum Cyrum, ut plusquam probabile eſt, & a Doctiſſimo Interprete Launæo eſt obſervatum; referatur. Cui robur inſigne accedit ex vſ. 12. ubi Angelus ſe jam eo tempore, quo anno 1mo Darii ſe ad preces adcinxit Daniel cap. IX: I., exiiſſe ad viam regnum

num Babelis deſtruendi, & Judæos per Cyrum liberandi, præparandam, Cyri rebus ſuccurrendo, teſtatur: quod Launæum quoque non præteriit. Sed ex hoc capite x & illud firmatur 1. Intervallum temporis inter *primum* Darii Medi & *tertium* Cyri eſſe annorum 21. ut ex verſ. 13. recte jam collegit Launæus. Quod in noſtram hypotheſin apte quadrat. Darius enim 17 annos præfuit, quot Nabonadio dantur. Tertius vero Cyri eſt ab occupata Babylone & devicto Dario; qui *primus* eſt Monarchiæ Perſicæ, & Cyri Monarchæ; ut ex Dan. 1: 21. Ezr. 1: 1, 2. facile foret demonſtratu. 2. Toto hoc intervallo res Orientis eo fuiſſe per Providentiam Dei directas, ut regna terræ in Cyri poſſeſſionem venirent; populusque Dei per Cyrum, Monarcham factum, liberaretur. Quod Angelus haud obſcure indicat verſ. 13. ubi *principem regni Perſiæ coram ſe*, (tanquam patrono & adjutore) ſtetiſſe dicit *dies* 21, id eſt, totidem annos. Quæ latius nunc non licet exſequi.

§. XLVI. Ex diſputatis, ni fallor, elucet, regnum Babylonicum ceſſiſſe Medis, Medorumque regnum, Babele conditum, quod ibi 17 annos ſtetit, pro *ſecundo* regno in ordine regnorum Orientis, quæ Nebucadnezari & Danieli fuerunt oblata, jure merito haberi; adeoque *prius* criterium ſupra poſitum in eo fuiſſe conſpicuum. *Ad ſecundum* caracterem, ſive exactam inter duplex emblema propheticum & regnum Medorum convenientiam demonſtrandam, antequam pergam, notari velim, emblemata *pectoris* & *brachiorum* in *Statua*, & *Urſi* in viſo animantium, quæ ſe mutuo illuſtrant, id habere diſcriminis, quod, licet utrumque regni caracteres in genere ducat, *prius* tamen ad regnum Darii Medi, poſt Babylonicum loco motum, directius pertineat: in *poſteriore* vero idem regnum, quemadmodum ſeſe antea habuit, dum *Medi* magnam Aſiæ partem, ſtante Babylonico, tenuerunt, conſpiciendum quoque, & præcipue præbeatur. Regnum Medorum in viſo Neducadnezaris ſeſe tanquam Babylonico poſterius, quodque ei ſucceſſit,

ceſſit, offert. Sed *Urſum* in *uno latere* ſtantem vidit Daniel, *Leoni* itaque æqualem, & imminentem: qui Leonem, imbecillum factum, ſuperavit, ſibique ſubjecit. Ex quo claret, non tantum ad illud tempus, quo urſus Leoni ſucceſſit, ſed & quo ipſi fuit coævus, pertinere *urſi* deſcriptionem, adeoque lineas regni, per *Urſum* depicti, in genere duci, ſive eas ante regnum Babylonicum deſtructum præſtiterit, ſive poſtea; eo ſcopo, ut per hosce caracteres in notitiam regni iſtius veniremus.

§. XLVII. Hoc præmiſſo obſervato, utriusque emblematis intellectum pandere inſtituo. *Primus* regni caracter, prout in Statua Nebucadnezaris exhibetur, ex *pectore* & *duobus brachiis*, ſecundâ imaginis parte, eruendus, ut in regno Darii Medi faciles habet explicatus, ſic an in ullo alio regno oſtendi queat dubitaverim. Interpretes mentem hac de re vel non explicuerunt, acſi nullam mereretur animadverſionem, vel *Medos* & *Perſas* intelligi, in uno *Cyro* unitos, verbo dixiſſe contenti ſunt. Quod aptius quadraret, ſi regnum originale Cyri fuiſſet Babele, ut *pectoris* conſpectum ferre queat, & Medi æque ac Perſæ præcipuum robur regni Perſarum conſtituiſſent: quod ſecus ſe habet. Medi enim, ſi forte a Cyro non fuerint armis ſubacti, quod tamen veriſimilius eſt, tantum abeſt, ut regno Perſarum ſequente tempore, (non enim *unius* Cyri ratio hic habetur, ſed totius regni, & Cyri ſucceſſorum,) *brachio* fuerint, ut non niſi per *vim* in officio potuerint retineri, de quo eorum *rebelliones*, plures una, teſtantur. Rectius ſine dubio conſuluiſſent hypotheſi ſuæ, ſi per *pectus* ipſum regnum, & per *brachia duas* illuſtriſſimas regum Perſarum *familias*, in quas tanquam *brachia* ſe extendit regnum Perſicum, intellexiſſent; quarum altera fuit *Cyri*, altera *Darii* Hyſtaspis; *tertia*, quæ fuit Darii Codomanni, neglecta, quod in ea fractum fuerit regnum. Sed Interpretibus hoc in mentem non venit; nec per omnia ſatisfacit: tum quod Darium Codomannum prætereundi ratio

non ſit ſufficiens; tum quod diverſæ familiæ regiæ regni caracterem non abſolvant, tum quod *robur* regni, per *brachia* repræſentatum, in eo non ſit ſitum.

§. XLVIII. Flectamus itaque oculos ad regnum Darii Medi, Babylone erectum; *pectus* & *brachia* ſponte ſua in eos incurrent. *Pectus* enim quid aptius ac ipſum regni corpus, cujus propria ſedes eſt ipſa *Babel*, ſignabit? *brachia* quo commodius ac ad duos populos cum regno unitos, in quibus præcipuum ejus *robur* ſitum eſt, referri ſeſe patiuntur? *Pectus*, capiti immediate ſubjectum, ipſum Babyloniorum regnum, *Babele* ſedem habens, figurat quam aptiſſime; ut per ſe pateſcit. Duo brachia, quæ a lateribus adhærent, & *roboris* ac *firmitatis* ſolent eſſe emblemata; quibuscum regnum Darii fuit unitum, & quibus quicquid egit acceptum ferre, quorumque viribus ſeſe tueri debuit in regno; haud difficulter reperiuntur, ſi quis, hiſtoriæ non plane imperitus, quid Dario cum *Medis* & *Perſis* vinculi fuerit, in promtu habeat. Darius fuit ipſe *Medus*, & ex ſemine Medorum ſeu ſtirpe regia, habuitque hoc ipſo tempore fratrem *Aſtyagem* Medorum regem; ex cujus filia non quidem natus fuit *Cyrus* Perſa, quod erronee tradiderunt Herodotus & Xenophon, ut ex Cteſia & Chronologia Cyri recte evicit Vignolius Chr. S. l. v: 14. p. 543. attamen ejus filiam duxit uxorem, teſte etiam Cteſia. Quo tempore Darius regnum Babylonicum occupavit, ſupererat *Aſtyages*, ultimus Medorum rex in Media, in quo illud regnum concidit, ad Cyrum & Perſas tranſlatum. Aſtyagis enim initium in annum P. J. 4129. incidit, ut ab eodem Viro Eruditiſſimo eſt obſervatum l. IV. c. 5. §. 9. regnavitque annos 35, adeoque usque ad annum P. J. 3164. vel 4165, qui eſt annus Nabonadii, vel Darii Medi, 6tus vel 7mus; Cyri vero, regis aut Satrapæ Perſarum, 9nus vel 10mus. Ipſius enim initium, ex quo 30 annos regnavit, connecti ſolet Olymp. LV., qui omnium conſenſu eſt annus P. J. 4154. Cyrus vero Medis ſubjectus, & belli cum Chaldæis

non

non tantum ſocius, ſed dux fuit: ut ex Xenophonte patet.

§. XLIX. *Medi* itaque & *Perſæ*, quorum reges erant, illorum Aſtyages, horum Cyrus, qui Dario Medo in Babyloniorum regno occupando opem tulerunt, ipſique in eo tuendo robur præſtabant, *brachiorum* conſpectum recte ferunt. Brachium enim Orientalibus venit pro omni *robore* ac *præſidio*, præſertim pro *amicis* & ſociis, de quo vid. Cl. Schultens ad Job. XXII: 9. Sic & apud Harir. Confeſſ. IV. p. 62. *ô qui brachium mihi fuiſti*, & *adjutor* &c. Quo etiam facit, *brachia* de copiis militaribus robuſtis uſurpari, Dan. XI: 15. *brachia auſtri non conſiſtent*, & verſ. 31. de Antiocho Epiphane, *brachia ex ipſo ſtabunt*, ſcilicet in Judæa & Hieroſolymis, Judith. IX. 7. Nec abhorret, quod Deus populo ſuo dicitur *brachium* eſſe. Deut. XXXIII: 27. & alibi. Sed hæc ſunt tralatitia. Ceterum, cum brachia a lateribus adhæreant corpori, in Medos & Perſas, quorum illi a ſeptentrione, hi a meridie Babelem reſpiciebant, apte conveniunt.

§. L. Secundum regni criterium, quod metallum *argenti*, ex quo *pectus* & *brachia* conſtabant, exhibet, *opum*, *potentiæ* & *amplitudinis* reſpectu inferiorem conditionem comprehendens, de quo ſupra diſputavi, in regno Darii Medi, quod ſupra deſcripſi, ſeſe ſponte ſua conſpiciendum præbet. Etſi enim Darius in regni Babylonici ſat amplam venit poſſeſſionem, ita ut nulli in Oriente regno cedere neceſſe habuerit, ut vel ex 120 præfectis, inter quos non tam regni gubernationem, quam tributorum exactionem, de quo mox, ſub tribus ſummis præſidibus diviſit, teſte Daniele cap. VI. 2., elucet; quam ob cauſam locum inter ſumma Orientis regna in hiſce viſis meruit: cum Nebucadnezaris tamen imperio comparatum, eo *inferius*, & *humilius*, ut argentum auro, haud uno nomine habendum eſt. 1. quia Medorum & Perſarum magis quam ſuis viribus innixum fuit. 2. in eos, nec non Lydos, aliosque Aſiæ populos,

los, illi vicinos, nihil habuit, quantum conſtat, juris aut poteſtatis. 3. Cyri progreſſus in Aſia ſubigenda, qui haud diu poſt regnum Darii erectum inceperunt, metuendos habuit. Cyrus enim ſex ſeptemve annis poſt Medos invaſit, Aſtyagen regno privavit, ut ex Herodoto & Cteſia liquet, mox *Lydos* & alios ſibi ſubjecit. Quo factum eſt, ut regnum Darii fuerit multis modis obſcuratum. 4. Nullis expeditionibus, nullis præclare geſtis, quibus celeberrimum ſeſe præſtitit Nebucadnezar, clarum fuit, aut nomen adeptum eſt. 5. Nec improbabile eſt, *Tyrios* & *Ægyptios* hoc tempore ſe Babyloniorum imperio ſubducere, ſuasque res inſtaurare, cœpiſſe. Tyrii, a Nebucadnezare devicti, cum aliquandiu ſine regibus per *Judices* fuiſſent recti, 18 annis ante Cyrum *regnum* inſtaurarunt, evocato ex Babylone *Merbalo* מר בעל *domino Baal*, qui 4 annos regnavit; cui mortuo ſuffecerunt *Iromum*, fratrem ejus: cujus anno 14to Cyrus Monarcha Orientis factus eſt: ut habet fragmentum *hiſtoriæ Phœnicum* apud Joſeph. contra Ap. l. 1. §. 21. Ill. Scaliger in Not. ad fragm. p. 36. ex eo, quod Tyrii arceſſiverint regem Babylone, eos fuiſſe *ſtipendiarios Babylonis*, nec *alium regem accipere potuiſſe*, *niſi quem Chaldæi victores & Domini imponebant*, colligit. Ego non hoc tantum hinc non ſequi judicaverim, cum non a Babyloniis accepiſſe, ſed aliquem ſuorum, Babylone degentem, inde ipſi arceſſiviſſe dicantur: ſed e contra Tyrios ſui juris eſſe incepiſſe hinc derivaverim, tum quod antea *judicibus*, a Chaldæis ſine dubio conſtitutis, ſubjecti, nunc *regni* formam introduxerint, tum quod ipſi unum ſuæ gentis elegerint regem. Hac ratione viam ad plenam rerum ſuarum inſtaurationem, haud diu poſt expleto 70 annorum ſpatio, de quo Jeſ. XXIII: 15, 17., perfectam, ſtraverunt. Eadem ratione Ægyptii, poſteaquam aliquandiu Babyloniorum jugo oppreſſi fuiſſent, ſeſe ſub Amaſi, ultimo rege ante Perſarum dominium, in libertatem vindicarunt, *humili regno* Ezech. XXIX: 14. erecto, ita ut denuo a Cyro

&

& Cambyſe in ordinem debuerunt redigi. Id quod tum ex Amaſis hiſtoria apud Herod. l. II. tum ex nova eorum ſubjectione facile eluceſcit, & a Clar. J. Perizonio Orig. Æg. c. XXIV. jam eſt obſervatum.

§. LI. In hoc licet acquieſcere poſſem, ut vere acquieſco, attamen, cum regni Babylonici, ad ſequentia regna collati, minus tyrannici imaginem in *auri* metallo detexerim; non poſſum, quin æquitate & juſtitia regnum Medorum fuiſſe Babylonico inferius obiter addam; & ex ipſa voce כסף, quæ *argentum* denotat, illuſtrem. Ejus enim origo in *pallido* & *lurido* ſita eſt; unde tum ad vehemens deſiderium, quod *pallorem* vel *lurorem* adfert, tum alio flexu ad *auſteritatem* & *torvitatem* vultus, tranſitum fecit. Quo poſteriore uſu & *auſterum vultu*, ſævum ac immanem tyrannum, & *invidum*, qui ad alterius læta nimis & proſpera vultum contrahit, denotat: de quo vid. Cl. Schultens ad Job. XIV: 15. Quod eo aptius huc refertur, quo ad *Urſi* emblema, de quo mox, propius accedit. Quid itaque vetat, in *pallido* argenti colore ad truculentam & invidam tum Medorum in genere, tum Darii Medi in ſpecie indolem, ſimul reſpici, ſtatuiſſe? in primis, cum inter Medorum caracteres *ſævitia* & *inhumanitas* locum habeat: eorumque regimen, quod huc recte quadrat, σκυθρωπόν τῆς ἐξυσίας dixeris cum Diod. Sic. l. IV. p. 283. de quo mox. Hic ultimos reges, Aſtyagen & Cyaxaren, hac nota fuiſſe inuſtos, notaſſe ſatis erit. De *Aſtyage* habent excerpta Valeſii ex Diodoro p. 239. ὠμὸς γὰρ ἦν, καὶ φύσει ἀπηνὴς *ſævus enim erat*, & *natura implacabilis*. Vid. & Herodot. l. I. c. 123. ubi πικρὸς ἐς τὺς Μήδυς *acerbus* in *Medos* fuiſſe dicitur, ſic & c. 130. De *Cyaxare*, qui eſt Darius Medus, Xenoph. κ. π. l. IV. p. 104. λέγεται ὠμὸς εἶναι καὶ ἀγνώμων *crudelis & amens fuiſſe perhibetur;* quod repetitur p. 106. ubi Medi dicuntur ejus τὴν ὠμότητα *crudelitatem* probe *noviſſe*. De *invidia* Cyaxaris, qua Cyri res geſtas & honores lividis oculis intuitus eſt, nemini non ex Xenophonte conſtat.

§. LII. In altero emblemate, quod, explicitu haud difficile, moras non injiciet, occurrit *Urſus*, ad *latus* ſtans cum *tribus oſſibus* in ore, in ſignum multæ carnis abſumtæ. 1. Urſus, ſi ad caracteriſticas ejus adtendas qualitates, reliquis miſſis, eſt fera *tardigrada*, *ſæva* & *vorax*; quarum hic præcipue rationem haberi exiſtimem. Eſt quidem animal *birſutum* & *comatum*, ſed, licet hoc negligi nolim, pedem tamen in eo, utpote levioris momenti, non fixerim. Quod vero plane non ſpernam, non tam *nomen*, quo Hebræis venit, quam quod *urſorum* magis quam aliarum ferarum proprium ſit, facit. Derivat quidem Vir in hís litteris verſatiſſimus, Cl. Bochart. H. p. 1. l. III. c. 9. nomen דב a radice דבב, quæ Arabibus ſignat *piloſam habere faciem*, & ex urſi epithetis, apud Poëtas aliosque obviis, more ſuo docte illuſtrat: ſed illam ſignificationem pro *ſecundaria* eſſe habendam, ab *urſo* ortam, q. d. *birſutum* & *urſinum*, Viro in his ſtudiis majori Cl. Schultens in Clavi p. 202. potius adcrediderim. Eſt tamen, ſoletque ab eo paſſim deſcribi, animal *birſutum* & *villoſum*; nec a Medis, Medorumque regibus alienum. Quare Medus dicitur in Æſchyli epitaphio apud Athenæum βαθυχαιτήεις *coma profunda* præditus, & Perſas, more a Medis ducto, κομήτας *crinitos* adpellat oraculum apud Herodotum; ut Cl. Bocharto l. c. jam obſervatum eſt. Xenophon vero κ. π. l. 1. p. 8. quod in rem noſtram eſt, inter τὰ νόμιμα ἐν Μήδοις *Medis uſu recepta* refert κόμας προσθέτας *comas adſcititias*.

§. LIII. Contineamus itaque nos intra *qualitatum*, modo memoratarum, limites, easque ad ſcopum adcommodemus. 1. Prima, cui hic principem adſigno locum, eſt *tardus* ejus inceſſus: quia nomen, quo apud Hebræos venit, inde arceſſendum eſſe Cl. Schultens me l. c. docuit: quem hisce in rebus ducem lubens ſequor. Radix enim Arabibus ſignificat *repere*, *reptare*, cujus veſtigia in *vino perrepente labia dormientium* Cant. VIII:9. & *lingua maledica prorepente* ſemper ad virus, inſtar ſcorpionis, ſpargendum,

quæ

quæ רבה audit, ſuperſunt. Hoc vero *repere* quare *parum ad rem* videatur Bocharto equidem non video; minus, quia illud ſpeciatim in *corpore tardigrado* poni, quod nimia pinguedine & carne eſt adgravatum, ipſi Arabes tradunt. Quæ ipſiſſima eſt *Urſi* natura; ut Idem Bochart. l. c. demonſtrat, & ipſum nomen Græcum ἄρκτος quaſi ἀργὸς *piger* ſit, indè repetit. De quo quicquid ſit, animal eſſe *tardigradum*, & inceſſu grave, ut dubio caret, ſic, ubi *Leoni* & *pardo* opponitur, hic egregie, quod ad noſtrum ſcopum ſufficit, ad rem facit. Nullum enim eſt criterium, quod in *Perſas* minus, in *Medos* magis quadrat. Ne de lentis Darii Medi in bello cum Babyloniis quid dicam *conſiliis* & *moliminibus*, ex Xenophonte, ſi qua fides ei habenda ſit, notis: quid in tota Medorum hiſtoria hac ipſa *lentitudine*, & tardo inceſſu ad regnum in Aſia condendum, quale hoc tempore, & poſt Nineven & Babelem occupatam, fuit, notabilius? Dejoces, primus Medorum rex ſecundum Herodotum, cujus veſtigia hic premimus, ſpatio 53 annorum, quibus præfuit, nihil fere egit, niſi regni formam inſtituere, & *Ecbatanam* regni ſedem condere. Phraortes ejus filius, qui 22 annos regnavit, *Perſas* ſubegit; ſed *Aſſyrios* non potuit, in obſidione Nineves occiſus. Cyaxares 1, cui 40 anni dantur, bellum cum Aſſyriis renovavit, ſed Scythis, in Mediam irrumpentibus, per 28 annos ceſſit, iisque ſupremum in regno ſuo dominium permittere coactus fuit: quando iis ſuperatis & expulſis Nineven ope Nebucadnezaris expugnavit, & ditiones regni Aſſyriaci, excepta portione Babylonica, ſibi adſeruit. Quam ob cauſam ipſe ἀλκιμώτερος τῶν προγόνων *majoribus fortior* adpellatur ab Herod. l. 1. c. 103.; & Æſchylo primus Medorum dicitur, qui ad Aſiæ Monarchiam condendam ſtravit viam, in Perſ. verſ. 767. in hæc verba de ipſo canens.

Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ.

Medus enim erat primus dux exercitus.

Hunc enim intelligi vel ex eo liquet, quod eorum hic texat catalogum Poëta, per quos factum eſt, ut *unus vir toti Aſiæ præeſſet:* quod ex præcedente clarum eſt. Horum primus fuit *Cyaxares*, qui *Aſſyriacum* regnum deſtruxit, quo aditus ad Monarchiam Aſiæ apertus eſt. Hic forte reſtituendus eſt, ut id obiter obſervem, Athen. Deipn. XII. p. 529. ubi ex Amynta refert, Nini eſſe χῶμα ὑψηλὸν, ὅπερ κατασκάψαι Κῦρον ἐν τῇ πολιορκίᾳ. lege Κυαξάρην; errore ex compendioſa ſcriptione nato: tempore enim Cyri nulla erat Nineve. Nec tamen ipſe coronidem huic operi impoſuit, verum filius ipſius Cyaxares II, qui nobis eſt Darius Medus, occupato regno *Babylonico;* de quo ſic pergit Poeta:

Ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσε.

Alter ejus filius hoc opus perfecit.

quod Babylone, alterà *Orientis Metropoli*, capta, effectum eſt. In cujus lenta conſilia ſequens quoque verſus recte convenit, qui ita habet:

Φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν.

Prudentia enim ejus animum gubernabat.

Quam prudentiam Xenophon tanquam *timiditatem* & *ſegnitiem* traduxit. Quando mox tertius, qui vere toti Aſiæ ſubjugatæ imperavit, *Cyrus* ſubjungitur. Novi equidem, in hoc Æſchyli loco explicando Doctos in omnia alia iviſſe: ſed magis minusve a vero aberraſſe facile foret demonſtratu, ſi id hic agere liceret. Aſtyagis, qui ſeſe crudelitate

in

in otio delectavit, ut nihil præſtitit, ſic, licet 35 annos regnavit, a Poëta, qui regni Monarchici per Aſiam conditores recenſet, negligi meruit. Hæc ſpeciminis loco ex Medorum hiſtoria prolata, *Urſinum* & *lentum* eorum progreſſum facile, quod hic tantum intendo, evincunt.

§. LIV. β. Secunda Urſi qualitas, quæ orbitatis & famis tempore, & in primis in *Urſa*, ſeſe exſerit, eſt immanis *ferocia* & *ſaevitia*; quam, qui de beſtiarum naturis ſcripſerunt, in ea fera notarunt omnes; *nihil inter omnes feras eſſe Urſa ſævius*, cum *perdiderit catulos*, *vel indiguerit cibo*, teſtati, ut verba habent Hieronymi ad Hoſ. XIII. ſic 2 Sam. XVII: 8. Quare in *Urſi* emblemate ad *crudelitatem* præcipue reſpici ſolet, ut Hoſ. XIII: 8. Prov. XXVIII: 15. Am. V: 19. De quo videndus eſt vir, quem nihil horum fugit, Cl. Boch. H. p. I. l. III. c. 9. Cum vero *Urſa* hac parte ſit ſævior; Græcus Danielis interpres *Urſam* vertit, oculos in crudelitatem defixos habens. Præſtitit regnum Medorum hoc criterium. 1. quod præ reliquis hujus temporis regnis fuerit δεσποτικὸν & tyrannicum: adeo ut Pittaci, unius ex ſeptem ſapientibus, dictum apud Plut. in Sympoſ. pag. 147. χάκιστον εἶναι τῶν μὲν ἀγρίων θηρίων τὸν τυράννον, *ferarum peſſimam eſſe tyrannum*, in Medorum regimen rectius ac in Perſarum, ut hoc tempore ſeſe habuit, conveniat. Medorum enim rex, teſte Xenophonte κ. τ. l. I. p. 12. τῶν ἐν Μήδοις πάντων δεσπότην ἑαυτὸν πεποίηκεν; ἐν πέρσαις δὲ, τὸ ἴσον ἔχειν δίκαιον νομίζεται, *omnium apud Medos ſe dominum conſtituit; apud Perſas vero aequalitas ducitur juſta*: imo, quod mox p. 13. additur, inter Medicam & Perſicam regiminis formam tantum diſtabat, quantum inter βασιλικὸν & τυραννικὸν, *regium imperium & tyrannicum*, ſive ut Plat. in Polit. p. 276. βίαιον ἢ ἑκούσιον *violentum* & *voluntarium*. 2. Huic regiminis formæ quum *ſeveritatem*, qua Medi ſunt uſi erga ſubditos, adjunctam fuiſſe majorem, quam reliquis hujus temporis regnis in uſu fuit, obſervavero: in *Urſi* emblemate nihil, quod Medis

non ſit proprium, deſiderari patebit.. Quantopere *crudelitatem* ſuam in Chaldæos, & debellatos populos exercerent, prædixit Jeſ. XIII: 18. *Et arcus eorum pueros allident: & fructus ventris non miſerebuntur: filiis non parcet oculus eorum.* Notabilia ſunt verba *Nicolai*, in oratione ad populum Syracuſanum, apud Diodor. Sic Hiſt. l. XIII. p. 342. τί καθεῖλε τὴν Μήδων ἀρχὴν; ἡ πρὸς τοὺς ταπεινοτέρους ὠμότης. *Quid deſtruxit Medorum imperium? crudelitas erga inferiores.* Quem locum adpoſite quoque citavit Cl. Commentator. Perſarum quoque *duram* fuiſſe ſervitutem ſub Medis indicat Herodot. l. I: 126. qui ibid. c. 130. obſervat, Medos ſuccubuiſſe Perſis; διὰ τὴν τούτου πικρότητα *ob ejus* (Aſtyagis) *acerbitatem & atrocitatem.* de quo & Cyaxare ſupra dixi. Hiſtoria Aſtyagis & Harpagi, ut ab Herodoto narratur, licet ficta, de communi crudelitatis ejus fama clare teſtatur. Plura monumentorum penuria vetat proferre.

§. LV. γ. Tertius *Urſi* caracter, quem omnes in eo notarunt, in *voracitate* ejus ſitus eſt: unde locutio ſatis obvia originem repetit, *Urſino* more *edere* & *bibere*, pro cibo & potu ſe ingurgitare, de quo idem vir ſummus, ſæpe laudatus, Hieroz. l. c. conſulendus eſt. Docuit vero Daniel hunc caracterem hic, ut qui maxime, in cenſum venire, cum Urſo fuiſſe dictum audivit, *ut ederet multum carnis.* Quo *tria* ſignificari autumaverim. 1. Vitam Medorum *luxurioſam;* de qua ex Xenoph. κ. π. l. 1. p. 9. &c. & alibi, abunde conſtat. Qui, quantum hac parte a Medis eo tempore diſtabant Perſæ, & ibi & aliis in locis, ut l. VIII., adnotare non neglexit: de quo etiam Plato, Herodot. & alii, quod Briſſon. de regno Perſ. l. II. §. 126. jam obſervavit, teſtantur. Quem morem poſtea cum *Medico* commutarunt, a Medis Lydisque infecti: de quo idem vir Doct. videndus eſt. Addenda ſunt, quæ de luxu Medorum habet Athen. Deipnoſ. l. XII. p. 545, 546. ubi Medos Syris (Aſſyriis) eripuiſſe regnum adſeritur, οὐκ ἄλλως

τινὸς

τινὸς ἕνεκα, ἢ τῦ κυριέυσαι τῆς Συρίων ἐξυσίας *nulla alia de cauſa, quam ut Syrorum opibus & fortuna potirentur.* Nec illud ab emblemate abhorret. Carnem enim comedere cum *urſinum* ſit, & ferarum proprium: de multo cibo & potu, quo homines ſe onerare ſolent, figurate intelligi poteſt.

§. LVI. 2. Aviditatem Medorum inexplebilem aliorum *opes* & *bona* rapiendi, & in uſus ſuos convertendi. Quod *carnem* aliorum comedere, & *ſanguinem* bibere, dicitur. Mich. III: 3. *comedere carnem populi* rectores dicuntur, qui, *lanionum* magis & ferarum quam *paſtorum* inſtar, civium *bona* & *fortunas* diripiebant. Apoc. XVII: 6. *carnes* meretricis Romanæ *comedere* dicuntur reges, qui bona & opes ejus ſibi vindicant. Quo egregie facit, אכל *comedit* apud Arabes in genere eſſe, *turpe lucrum captavit*, in ſpecie *concuſſione* & *vexatione* ſubditorum uſus eſt tyrannus. De quo vid. Cl. Schultens ad Job. xx: 21. Quo ſenſu *manus* rectorum *plenae ſanguine* Jeſ. I: 15. memorantur. Ita *caro* figurate refertur, teſte Achmete c. 87. ad *aurum opesque*. Has lineas quin Medi præſtiterint, dubitare nos non ſinit, quod tum, referente Xenoph. κ. π. l. I. p. 13., regi Medorum hæc inſederit opinio, τὸ πλέον όἰεσθαι χρῆναι ἁπάντων ἔχειν *plus oportere regem, quam omnes alios, habere*, tum *dominium* verius quam *imperium* ſibi adrogaverit. Quo non inepte refertur, quod Darius ſubditis grave *tributum* impoſuerit, non *belli* tantum neceſſitate preſſus, ſed & *avaritiae* & *luxus* cauſa. In quo eum primus Perſarum imitatus eſt *Darius* Hyſtaspis, qui propterea peſſime audit. Cum enim antea *donis* populi fuiſſent reges, Cyrus & Cambyſes, contenti, ipſe eorum loco introduxit φόρυς *tributa*; indeque κάπηλος *inſtitor* adpellari meruit, quod *res omnes quaeſtui haberet*, Herodot. l. III: 39. & *pecuniis*, quam poterat maximis, colligendis intentus eſſet; quod de ipſo teſtatur Dio Chryſoſt. Orat. XXV. de Genio p. 282. Quem in finem regnum in 20 *provincias*, σατραπήας, diſtribuit, & ſingulis præſides præfecit, qui reditus & tributa exigerent. Cum

Cum quo ſi quod de *Dario Medo* narrat Dan. vi: 2, 3. comparetur, tum id, quod Dario Medo imputavi, tum *ſcopus* diviſionis regni ab eo inſtitutæ, qui Interpretes paſſim fugit, nec tamen Ill. *Marſhamum*, qui de eo, ut poſtea vidi, aliquid monuit Sec. xviii: p. 608. clare, ni ſallor, eluceſcet. Tributorum impoſitionem ei in animo fuiſſe, etſi ipſis verbis non exprimatur; ex dictis non tantum colligitur, ſed tacite inſinuatur verſ. 3. ubi tribus ſummis præfectis rationem a Satrapis ſeu *procuratoribus* eſſe reddendam dicitur, *ne regi ſit* נזק *damni* quid; in *reditibus* nimirum & *tributis:* qui uſus eſt vocis Ezr. iv: 13, 22. Suppetit nobis & aliud indicium, omnino notandum, imitationis hujus noſtri Darii Medi in Dario Hyſtaspis, quod *moneta* ex auro puriſſimo *cuſa* exhibet. Herodot. l. iv. c. 166. Darium Hyſtaspis *novo exemplo* ex auro, quam potuit, *purgatiſſimo monetam percuſſiſſe* adfirmat. Verum ante ipſum ſimile quid egiſſe *Darium* antiquiorem, non alium utique ac *Medum*, ne Græcos quidem latuiſſe argumento eſt, quod nummos *Daricos* non ab Hyſtaspis, ſed vetuſtiore nomen accepiſſe tradant *Schol.* Ariſtoph. in ἐκκλησ. verſ. 598. & ex eo Suidas, nec non utroque antiquior *Harpocrat.* in Lex., quod a Doctis jam eſt occupatum. Sed diverſæ hac de re Grammaticorum & Herodoti relationes in concordiam non niſi ex noſtra hypotheſi, quæ doctis in mentem non venit, redigi poſſunt. Utrumque enim verum eſt, & Darium antiquiorem, & Hyſtaspis, *monetam* cudiſſe, illum inter Medos primum, hunc inter Perſas; & hunc ad illius exemplum; adeoque ab hoc & illo *Daricos* nummos potuiſſe adpellari. Ægre itaque non feret amiciſſimus P. Weſſeling Obſ. S. l. ii. c. 22. qui ex Herodoto, Dario Hyſtaspis *nummorum* & *nominis* originem inter Perſas vindicandam eſſe, recte obſervavit, me dicam propterea cum Ipſo *Grammaticis* non ſcribere. Dicit quidem Herodotus ſimilem monetam a *nullo* alio *rege* fuiſſe percuſſam: ſed, niſi in eo lapſus fuerit, vel de regibus

Perſiæ,

Perſiæ, vel de peculiari monetæ forma, intelligendus eſt. Unde antiquiori Dario, qui ipſi exemplum præivit, præjudicari nequit. Simili ratione niſi Herodoto, ubi Darium Hyſtaspis primum impoſuiſſe *tributum* tradit loco modo citato, & ex eo Polyæn. Stratag. l. VII: c. II., quem Ill. Marsham. l. c. male de *Dario Medo* cepit, (Δαρεῖος enim πρῶτος non eſt *primus Darius*, ſed *Darius* qui *primus* hoc fecit:) ſuccurras, qui Herodotum ſecum conciliabis? cum alibi l. III. c. 67. Magum, mortuo Cambyſe, nationibus *tributi remiſſionem in triennium* conceſſiſſe referat. Intellige itaque priore loco *tributum* continuum, poſteriore in uſum *belli* pro eo tantum tempore; cujus indicium eſt, quod *vacatio militiæ* cum *immunitate* tributi conjungatur; nec hærebis. Deinde, niſi de *primo Perſarum* regum, & non Regum Aſiæ, loqui Hiſtoricos ſtatuas; crucem tibi rurſus figet Idem Herodot. qui l. I. c. 27. Crœſum Græcis in Aſia ſubactis *tributum* inpoſuiſſe narrat.

§. LVII. 3. *Carnem comedere* & perniciem adferre æquivalent: quod recte vidit, & ex Homero ac Xenoph. illuſtravit Cl. Clericus ad Pſ. XXVII: 2. adeoque de multiplici ſtrage hoſtium, & populorum excidio hic apte cogitamus. vid. Judith. V: 24. Jeſ. LVI: 9. Ezech. XXXIV: 9. Quod Medis, populis, ſi qui alii, bellicoſiſſimis & *fortisſimis*, teſte Xenoph. κ. π. l. I. p. 22. & Diodor. Sic. Hiſt. l. XI. p. 6. quibus continua fuerunt cum *vicinis* bella, ut hiſtoria eorum docet, quam apte conveniat, in vulgus notum eſt. In primis ad clades Perſis, Aſſyriis, Scythis, & Babyloniis, quorum Scythas, magna cæde mactatos, expulerunt, reliquos haud minore ſtrage adfectos ſubjugarunt, animum adverti velim. Addatur bellum cum ſacis ex Cteſia apud Diod. Sic. l. II. p. 119.

§. LVIII. Præter has qualitates, quæ *Urſorum* caracteres ducunt, *duæ* aliæ occurrunt, urſo emblematico unice congruæ: quarum altera *tres* coſtas *inter dentes* ejus comprehendit, altera ad *locum*, in quo ſtabat, pertinet. De

quibus; quam potero paucis, abſolvam; cum faciles ex noſtra hypotheſi habeant explicatus. Interpretes, qui regnum Perſicum per Urſum intelligunt, in varias circa *coſtas* ſcinduntur partes; quorum cogitationes, magis minusve remotas, recenſere & refutare tædium crearet, nec operæ pretium foret. Qui ad populos devictos vel ſubjectos referunt, ut fieri debere ſupra adfirmavimus, partim ad *tres* cœli plagas cum Theodoreto oculos flectunt, partim cum Hieronymo Medos, Perſas, & Chaldæos in medium proferunt; quæ vulgatior eſt opinio. Ne eorum, qui numerum indefinitum exprimi & pro *multis* ſumi, contra hujus libri conſtantem uſum, opinantur, mentionem faciam. Theodoreti conjectura nimis vaga eſt, & omni caret fundamento: Hieronymi vero hoc habet abſurdi, quod *Perſas*, qui ipſum regnum, ipſam *Beſtiam*, conſtituere debent, cum *coſtis* in ore confundat. Rectius ſine dubio Medos, Chaldæos & Ægyptios, ſi hi ipſis in mentem veniſſent, ut Docto alicui Viro, qui ſuo judicio uſus in Dan. lingua belgica cum laude commentatus eſt, venerunt, in ſcenam produxiſſent. Sed quare Lydi, Armenii, Scythæ, Græci in Aſia, aliique populi, a Cyro & ſucceſſoribus ſubacti, non æque ac Ægyptii & Medi locum merentur? Quocunque itaque te vertas, tribus coſtis te difficulter ſecundum vulgatam hypotheſin expedias. Verte vero te mecum ad Medos, & niſi in tres illos populos, quorum figuræ ſunt *coſtæ* in ore urſi, mox incidas, erit quod ſummopere mirer. Ex Medorum enim hiſtoria, cujus ſummam ſupra ſtrictim exhibui, qui reſciverit, Phaortem deviciſſe *Perſas*, Cyaxarem I *Aſſyrios*, & Darium Medum *Babylonios;* tres populos, Medorum dominatui obnoxios, quid neceſſe habuerit quærere? niſi inter *Scythas* & *Perſas* dubius ſine gravi ratione hæreat. *Scythas;* qui in Mediam irruperant, eamque per 28 annos depopulati erant, quidem devicerunt, & maximam longe partem, ξενίσαντες καὶ καταμεθύσαντες κατεφόνευσαν, *hoſpitio exceptam*

ceptam & inebritatam interemerunt; referente Herodoto l. 1. c. 106. eoque facinore *Urſinam* indolem egregie oſtenderunt; multamque *carnem* comediſſe dici poſſunt: attamen *Scytharum* gentem nunquam ſubjecerunt, nequidem adgreſſi ſunt. Quare inter *coſtas* in ore urſi, ſi devictos populos expingant, locum habere nequeunt. Sed Phraortes *Perſis* bellum intulit, eosque omnium primos ὑπηκόυς ἐποίησε *in poteſtatem redegit;* ut habet Herodot. l. 1. c. 102. qui mox addit, Phraortem ab eo tempore duas *gentes*, utramque *validam*, tenuiſſe. Deinceps in Aſſyrios altera vice, poſt Scythas ejectos & ſuperatos, impetum fecit Cyaxares 1. eosque, *excepta Babylonica portione*, ſubegit; eodem teſte Hiſtorico l. 1. c. 106. Quando ſub Aſtyage per Cyaxarem 11., ope Perſarum & Cyri adjutum, adjecti ſunt ipſi *Babylonii:* de quo ſupra prolixe diſſerui. Ecce tres populos, *Perſas*, *Aſſyrios* & *Babylonios*, poſt multam carnem devoratam, in *ore* Urſi ſeu Medorum! Nec ſine emphaſi *inter dentes*, inſtar *coſtarum*. Inter *dentes* fuerunt, quia multis modis expilabantur ac vexabantur dura ſervitute preſſi: de quo ſupra. Quod dicto Augusti de Tiberio, *miſerum populum Romanum, qui ſub tam lentis maxillis erit*, Sueton. in Tiberio c. 21., egregie illuſtratur. *Coſtæ* vero nos ad clades eorum & oppreſſiones præcedentes ducunt; quarum ſigna & teſtimonia ſupererant, præ reliquis populis a Medis ſpoliatis inſignia. Quæ *ternarii* numeri ratio eſt. Quibus neſcio an addere liceat, eosdem populos *robur* regni Medorum, quod de *Perſis* diſerte dicit Herodot. l. 1. c. 102., multis modis præſtitiſſe. Etſi enim *coſtae* pro reliquiis & ſignis devoratæ *carnis*, & populorum devictorum, habeantur primo loco: nihil tamen impedire videtur, quo minus in *coſtis* ad vires urſi ſimul reſpiciamus, & has *coſtas* in ſignum fortiſſimarum gentium, quas ſubjectas tenebat, quarumque viribus uti poterat, ab urſa fuiſſe oſtentatas admittamus. Quo facit, *coſtas*, teſte Achmete, vires hominis ſignificare.

 §. LIX. Al-

§. LIX. Altera qualitas accidentalis, urſo emblematice tantum conveniens, in conſpectum *loci*, quem urſus tenuit, nos ducit. Propheta enim eum *in uno latere ſtantem* vidit. Quod ut a regno Perſarum valde abhorret, de quo ſupra diſſerui; ſic *Medis* tam exacte reſpondet, ut pro eorum caractere haberi queat; ſive *ante*, ſive poſt regnum Babylonicum occupatum, intelligas; utrumque enim hic obtinere ſupra obſervavi. Medi quam appoſite *ad latus Leonis*, ſeu regni Babylonici, conſtitiſſe dicantur; cui, niſi in hiſtoria eorum plane hoſpiti, ignotum eſt? Duo enim hi populi, qui uno eodemque fere tempore ab Aſſyriis, quibus obnoxii fuerunt, deſciverunt, ut ex Herodoto l. 1. c. 95, 102. & aliunde colligitur, ſinguli ſui juris eſſe, & regna ſeparata condere cœperunt; eaque longo tempore tenuerunt, niſi quod Babylonicum factum fuerit potentius & ſublimius, ita ut Medi ſub ultima Nebucadnezaris in eam redacti fuerint conditionem, ut ejus Majeſtati ad breve tempus debuerint adſurgere. De quo prolixe in ſuperiore diſſertatione egi. Sed non hac tantum ratione *Urſus Leoni* a latere adſtitit, quatenus regnum in Oriente æquale habuit: verum etiam, & præcipue, quatenus Leoni imminuit, in commodam occaſionem eum invadendi & proſternendi intentus: quam *leonis* infirma conditio, quam *alis* orbus, & animo hominis præditus, pedibus anterioribus erectis, inſtar hominis ſtans prætulit, aptiſſimam præbuit. Hæc enim fecit, ut urſus, Leoni cæteroquin viribus inpar, eum, quod antea non fuerat auſus, invaſerit, & pedibus ſubjecerit, regno Babylonico in ſuam redacto poteſtatem. Quod ab uſu verbi קום *ſtare* non eſt alienum; quippe quod pro *ſtare*, *ſurgere* ad aliquid faciendum, pro *ſtare* in *ſummo vigore*, pro inimica & hoſtili ſtatione & ſimilibus uſurpatur. Sic *ſtare* pro *pugnare*, Druſ. Obſ. l. x. c. 7. notante. *Stare* ergo hic eſt, animo hoſtili, & impetendi cupido, erectum conſiſtere, imo *ſupra leonem* ad latus ſtare. Denique, leone devicto, & regno

regno Babylonico ſibi vindicato, perrexit in *latere uno ſtare;* quod in Leonis regnum, non quam late patet, ſed *partem* ejus venerit; regno Babylonico inferius regnum poſſidens, quod ſupra late expoſui.

§. LX. Sed quare לשטר חד εἰς μέρ⊙ ἓν, ut Græcus vertit, ad *unum* latus, & non ſimpliciter *ad latus?* exiſtimaverim, *unum* hic vel pro *aliquo*, vel pro *eximio* ſumi. Quod utrumque voculæ uſus admittit. חד in hoc libro idem aliquando dicit ac τὶς *aliquis.* ut Dan. II: 31. VI: 18. Ezr. IV: 8. & Hebr. אחד Gen. XXI: 15. *ſub aliquo fruticum* Jud. XVI: 7. *ſicut aliquis hominum.* Sic & Gr. εἷς pro τὶς *aliquo* recepti eſt uſus. Quod uno alterove exemplo Eruditisſimus Bergler. ad Alciphr. l. I. ep. 3. non reſpuit adſtruere: quibus alia addi poſſent, ſi res tanti foret. Majoris eſt, pro *eximio* adhiberi; quod ab hoc loco non eſt alienum. Stetit enim urſus in *latere* haud vulgari, ſed *celebratiſſimo*, cujus fama per Orientem perſonuit: ſive ad tractum Mediæ, ubi Ecbatana, ſive ad regionem Babylonicam, reſpicias. De priore legenda eſt inſignis hanc in rem pericopa apud Polyb. l. X. p. 831. quam deſcribere limites Diſſertationis noſtræ nunc vetant. De poſteriore tradit Herodot. l. I. c. 192. eam *potentia tertiæ parti Aſiæ eſſe parem*, & *Satrapiam ejus eſſe omnium Satrapiarum optimam.*. Plura non addo; ſed finem imponam diſſertationi, nimis fortaſſe prolixæ, poſteaquam *unum* pro *eximio*, ne quis hic hæreat, adhiberi, æque in *bonam* ac *malam* partem, apud Orientales & Latinos, dixero viros Doctisſimos jam obſervaſſe; ut Schult. ad Job. IX: 22. Bochart. H. p. II. l. V. cap. 5.

DISSERTATIO TERTIA.

DE VENTRE ET LATERIBUS ÆNEIS IN STATUA ET TERTIA BESTIA, AC ARIETE BICORNE.

CAP. II: 32. VII: 6. VIII: 3, 4.

TERTIUM REGNUM.

§. I.

TErtium Regnum in Statua *venter* & *latera* ex *ære* repræſentant c. II: 32.

Venter ejus & Latera ejus ex ære, in viſo Danielis c. VII: 6. Pardus, *quatuor alis volucris in dorſo*, & *totidem capitibus* inſignis.

Poſtea adſpiciebam, & ecce aliam inſtar Pardi, cui quatuor alæ volucris ſuper dorſo ejus, & quatuor capita beſtiæ. Et dominium datum eſt ei.

§. II. In quibus emblematibus cum nihil admodum difficilis ſeſe offerat; ad Regnum, quod hic delineatum exiſtimo, demonſtrandum & illuſtrandum me mox confero, ſuo loco, quæ ad intellectum imaginum pertinent, inferturus. Etſi inter Libri hujus Interpretes, aliosque, qui occaſione data mentem ſuam expreſſerunt, conveniat, ab uno Cl. Coccejo, qui tertiam feram ad regnum *Muhammedicum* refert, ſi diſceſſeris, imperium *Alexandrinum* utroque emblemate expingi: in eo tamen ſecum diſſentiunt, quod

quod alii ſolius Alexandri M., alii una cum ſucceſſoribus, quæ communior eſt opinio, intelligant: Jungmannus vero in Statua de uno Alexandro, in viſo Danielis de ſolis ſucceſſoribus, vel regnis ex Alexandrino ortis, cogitet. Cujus conſenſus ratio partim inde repetenda eſt, quod regno Medorum nullus in hisce viſis locus fuerit datus, partim opinioni receptæ de regno Romanorum per *quartam* Imaginis partem & *quartam* beſtiam depicto, accepta ferenda eſt. Quæ hypotheſes ſi auctoritate & numero Interpretum ſeſe verius quam *rationum* pondere tueantur; quod de regno Medorum me demonſtraſſe, & de Romano evicturum eſſe, opinor: communem ſententiam haud ſolidis fundamentis eſſe innixam, illi, qui naſo duci & auctoritatis præjudicio abripi non ſolent, mecum confitebuntur. Nec tamen ſolus ſum, cui hypotheſes, quibus vulgata ſententia ſuperſtructa eſt, diſplicent. Licet enim regnum Medorum uno tantum alterove voto ſe tueatur in ordine horum regnorum, ut in ſuperiore diſſertatione vidimus: regnum tamen Romanum plurimorum votis proſcribitur, & loco ſuo movetur: de quo poſtea. Quorum conſenſum etiam circa *tertium* regnum, non Alexandrinum, ſed *Perſicum*, mihi promittere auſim, ſi, quæ ſupra in medium adduxi, ad animum revocaverint, & curis ſecundis locum dederint. Longe enim cum ratione conjunctius eſt, regnum Medorum ordini regnorum inſerere, quam Alexandrinum in *duo* dividere; ut faciunt, qui, imperio Romano exturbato, *tertium* regnum pro Alexandri *ſolius*, & *quartum* pro ſucceſſorum ejus regnis ſumunt. Quod nullo modo conſiſtere poſſe clariſſime ſuo loco, ni fallor, evincam. Hic ſuffecerit, me plurium teſtimonio, de imperio Romano ex catalogo regnorum Danielis delendo, munitum, a novitatis ſtudio, quo nihil odioſius & invidioſius, facile abſolutum iri. Antiquitatem communis interpretationis agnoſco, nec Patres, ut vocantur, eam tenuiſſe ignoro, quin, antiquisſimum Judæorum hiſtori-

cum,

cum, Joſephum Ant. x: 10. eam propoſuiſſe, me non latet. Sed ut *hunc* in prophetiis explicandis nemo, qui in ſcriptis ejus hospes non eſt, ducem ſibi elegerit, ſic Patres minus felicibus auſpiciis in verbo Prophetico fuiſſe verſatos, pauci forte rerum gnari erunt, qui diffiteantur. Sed, ne me ſolum tela feriant, *Syrum* Interpretem, vel ejus Interpolatorem, ea mecum excepturum eſſe obſervo. Ille enim ut ſecundum regnum *Medicum*; ſic hoc tertium *Perſicum* conſtituit. Quid? quod Hiſtorici veteres, quotquot nomen habent celebre, in ſucceſſionem regnorum Orientis, Aſſyriaci, Medici, Perſici, & Græci mecum conſpirent. De quo ex ſuperioribus conſtat. Denique, ſi plures Scriptorum Eccleſiaſticorum ad manus noſtras perveniſſent, quin inter eos fuiſſent noſtræ ſententiæ adſertores, equidem vix dubitaverim. Illos utique, qui, teſte Theodoreto ad Dan. II., *quartum* regnum, ſeu *ferrum*, ad *Alexandrum*, & *pedes*, eorumque *digitos*, ad ejus ſucceſſores adplicuerunt, ſuperiora regna eodem ordine, ac nos, digeſſiſſe, autumaverim. Sed mittamus tandem auctoritates, &, a qua parte ſtet veritas, animo ingenuo, & veritatis cupido, non antiqua aut nova ſectandi ſtudio, inquiramus; ut tandem verbum Propheticum, quod, ut certam interpretationem, ſic ſolidam admittit demonſtrationem, firmo ſtet talo.

§. III. Quæſtio de regno *tertio*, in viſis, Nebucadnezari & Danieli oblatis, num *Alexandrino*, an *Perſico*? non tam ex parte viſorum de regno *tertio*, quam ex antecedente & conſequente decidenda eſt. Licet non deſint argumenta, quibus Perſicum demonſtratur, quæ viſum, de quo agimus, ſuppeditat, & mox in medium proferam: præcipua tamen argumentatio a nexu & ordine, quem *tertium* regnum tenet, repetenda eſt. Hoc enim *tertium* oportet ſit, quod *ſecundum* & *quartum* permittunt. *Illud* ſi ſit Medicum, & *hoc* Alexandrinum ſub Alexandro, & poſt Eum: *tertium* quin ſit Perſicum nullus dubitaverit.

Sed

Sed e contra, *ſecundum* ſi de Perſico, & *quartum* de Romano intelligendum ſit, noſtrum *tertium* a *Macedonico* nemo dixerit eſſe diverſum. Cum itaque *Medico* ſecundum locum competere ſupra adfirmaverim; *Perſico* eſſe tertium dandum manifeſtum eſt. In quo acquieſcere poſſum, donec rationes noſtræ vim retinuerint. Accedit, *quartum* imperium nec eſſe Romanum, nec ſucceſſorum Alexandri, me ſuo loco & tempore claris argumentis eſſe probaturum. Quo facto, nihil dubii relinquetur, quin *Perſicum* hic ſit admittendum. Hiſce hypotheſibus innixus, ad emblematum explicationem, eorumque adplicationem ad imperium Perſarum, recta pergere poſſem, ut, quam apte in illud conveniant, in omnium oculos ingeratur; quod unum hic, ut a nobis fiat, requiritur. Hac parte enim ſi forte laboret ſententia noſtra; multum de ejus probabilitate decedet; ſed accedet viciſſim, ſi hic in plano verſemur.

§. IV. Atenim nec emblemata, quæ ſub manibus ſunt, nos deſtituunt, verum aliquid ſubminiſtrant, quo vulgatæ opiniones refutantur, vel quod cum iis difficilius conciliaveris, ſive regnum Macedonicum *unitum* ſub Alexandro, ſive *diviſum* ſub ejus ſucceſſoribus contemplemur, ſive utrumque conjungamus. Quod *poſtremum* ut vulgatius, ſic verius eſt; quia regnum Alexandrinum, & apud Hiſtoricos & in libro Danielis, non ſeorſim, aut *unitum* aut *diviſum*, ſed una cum ſucceſſivis regnis, & cum iis conjunctum, comparere ſolet. De quo ad ſequentes viſorum partes pluribus agemus. Regnum Macedonicum & Alexandrinum ſub ſucceſſoribus continuavit, eſtque illud ipſum, quod in varia regna diviſum eſt, cujus ſinguli ſucceſſores partem tenuerunt, & nomina ſucceſſorum Alexandri conſervarunt. Apud Danielem eundem conſpectum gerunt, ut, ne de 10 cornibus quartæ Beſtiæ dicam, ex 4 cornibus *hirci*, in unius fracti locum ſuffectis, cap. VIII. elucescit. *Quatuor capita* nec in regno Alexandrino, nec in regnis ſucceſſorum, ſi utrumque ſeorſim

P conſi-

conſideretur, oſtendi queunt: non in *Alexandri* ſolius, quia uni regi Alexandro, & non pluribus fuit ſubjectum. Interpretes, ut *quatuor* capita inveniant, vel de tot primariis regnis, *Macedonico*, *Babylonico*, *Medico* & *Perſico*, Alexandro obnoxiis, vel de totidem ſummis Ducibus, *Perdicca*, *Seleuco*, *Ptolemæo* & *Meleagro*, ut Ill. Grotius, cogitant. Sed neutrum ſe tueri poteſt: non *prius*, 1. quia caput, non *regni*, ſed regis eſt imago, & regni *corpus* beſtiæ. 2. quia ad quaternarium numerum ſine ratione reſtringuntur partes primariæ regni Alexandrini, quæ multo plures fuerunt, ſeſeque per *Macedoniam*, Græciam, Thraciam, Aſiam, Indiam & Ægyptum, longe lateque porrexerunt. 3. quia *Leoni* & *Urſo* plura quoque capita fuiſſent data, nec *Pardo* id fuiſſet proprium, ſi ea *capitum* eſſet ſignificatio: cum & eorum regnorum plures fuerint partes inſigniores. De totidem *Ducibus* quominus cum ſummo Viro cogitemus, facit, tum quod *Alexandro* ipſi locus auferatur, qui majore non tantum jure, ſed ſolus eum conſpectum fert, tum quod *Duces* ſub *capitum* emblemate non veniant, tum denique, quod arbitraria ſit ducum Alexandri ad numerum quaternarium reductio: fuerunt enim plures, uti conſtat: nec fuit, qui majore jure cum *capite* conferri mereatur, quam *Antipater*, quem Alexander reliquit *Ducem* & *Præſidem Europæ*, ut habet Diod. Sic. l. XVIII. p. 595. & Dexippus apud Phot. cod. 82. Rectius itaque *biceps*, quam *quadriceps*, Beſtia in ſcenam prodiiſſet, vel *quatuor capita* aptius ſeſe ad quatuor Reges, Alexandrum M., *Aridæum* fratrem, *Herculem* & *Alexandrum* filios, referri paterentur ſalva hypotheſi de regno Alexandrino ſolo; quia his ſuperſtitibus a regio titulo abſtinuerunt Præfecti Alexandri M., quod Interpretibus in mentem non venit. Sed penes Aridæum non niſi umbra regni fuit, penes reliquos ne quidem umbra, omnes *capitum* emblemate indigni. Obſtat denique regno Alexandri ſolius nimis *brevis* duratio, quam ut aut phraſi, *datum eſt ei* *domi-*

dominium, aut *æris* emblemati, quod durabile eſt & ſolidum, ſatisfaciat. Utrumque longioris temporis regnum requirit: de quo mox.

§. V. In Alexandrino regno, poſt mortem ejus diviſo, *quatuor capita* ſeſe ad primam ſpeciem, quæ Doctiſſimo Jungmanno oculos præſtrinxit, facilius & verius offerunt, cum inter quatuor duces, *Caſſandrum*, *Antigonum*, *Seleucum* & *Ptolomæum* diſtributum videri poſſet. Sed 1. diviſio illa in quatuor regna non eſt tam certa, ut vulgo putatur: de quo poſtea. 2. *regna*, & non tantum reges, fuerunt diverſa, & ſeparata. 3. nec per *capita*, ſed *cornua*, repræſentantur in hoc libro, ut in *quarta beſtia*, & *hirco* videre eſt. Obſtat præterea, quod *urſi* emblema male ad regnum Alexandri fuerit a viro Doctiſſimo adplicitum, ut ſupra vidimus: nec non, quod *quarta* beſtia decicornis diviſi regni Alexandrini in totidem regna imaginem gerat, ut ſuo loco præſtare conabor. Ne nunc repetam, regnum Alexandri male in *unitum* & *diviſum* diſtingui, ita ut utriusque diverſa emblemata ſtatuantur, cum unum & idem eſſe debeat, quemadmodum in *Hirco* adparet.

§. VI. Quid itaque? nihilne habent hæc emblemata, quæ impediunt, quo minus ad regnum Alexandrinum, & ſucceſſorum transferantur? Multa ad illud recte adplicari poſſe in utroque emblemate, ſi prudenter inſtituatur comparatio, lubens fateor. *Venter* & *duo latera* haud male conſpicienda præbent regnum Alexandri ipſius, & *duo* primaria poſt ipſum nata, Seleucidarum & Lagidarum, quorum præcipuam hic rationem eſſe habendam ex cap. XI. elucescit. *Pardum* quoque quin Alexander *pernicitate*, *intrepiditate* & impetu ſuo, quo in hoſtes irruere ſolebat, quæ præcipuæ pardi ſunt qualitates, recte retulerit, dubium non eſt. Nec abhorrent *quatuor* alæ, ſive ad regni amplitudinem, ſive ad copias militares reſpicias, quo præcipue referendas eſſe exiſtimem. Sed *quatuor capita*, quæ ad caracterem *pardi* & regni per eum expliciti, omnino pertinent,

P 2

tinent, difficiliores longè explicatus habent. Quid quæſo *capita* illa erunt? an *alacritas* animantis in rebus gerendis tanta, ut eodem tempore in omnes orbis partes regno ſuo conſuluerit, haud ſecus quam ſi 4. capitibus fuiſſet inſtructus? quæ Fr. Junii, Docti Interpretis, eſt opinio, propriis verbis expreſſa. Sed eſtne hoc Alexandro proprium, ut ipſius emblema hac nota diſtingui debeat? quare non potius multis *oculis* inſtruitur pardus? quod æque fieri potuiſſet, cum 4. capita non magis ad feram naturaliter pertineant, ac totidem oculi. Capita ſunt *reges*; nec generalem adeo admittunt explicationem. Ad quam non fuisſet delapſus, ſi aliud quid ipſi ad manus fuiſſet. Totidem reges & regna poſt Alexandrum intelligi noverat, ſed perite rejecit. Quid enim? capita beſtiæ, quæ regnum Alexandri & *unitum*, & *diviſum* exhibet, an 4 duces expingent, qui regna poſt Alexandrum condiderunt? ſic jubent Antiqui & Recentiores. Sed quid tunc erit ipſe Alexander? nullumque locum hic habebit? vel an *corpus* beſtiæ erit? quo nihil ineptius eſt. Illudne ferendum, regnum Alexandri repræſentari, ſequentis temporis, quo in 4 regna diſcederet, tantum habita ratione, nulla ipſius Conditoris primi, præcipui heroïs, qui caracteres pardi præſtare debet? Alexandrum ſi capitibus accenſeas, quid *tria* reliqua ſibi volunt? ne nunc, regna illa diviſa non per *capita*, ſed *cornua* exhiberi, repetam; & 4 cornua in Hirco poſt *unum* illud *fractum* ob oculos ſiſti cap. VIII. Forte nihil niſi regni *amplitudinem* verſus 4 cœli plagas ſignabunt? Sed hoc cum ſuperioribus Beſtiis commune habuit; quare ergo & his totidem capita non ſunt data? ne dicam per *alas* commodius expingi eam *latitudinem*; & capita regum eſſe emblemata. Quocunque te vertas, impeditum Te ſenties. D. Crinſoz ad regiminis regni Græci quatuor diverſas formas oculos vertens, eas recenſet, 1 ſub uno Alexandro 2 ſub ſucceſſoribus 3 ſub Romanis 4 ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis: addi debuiſſet 5 ſub Muham-

hammedanis & Turcis. Sed ſic 6 vel 7 capita fuiſſent orta. Quid eſt hypotheſi ſervire, ſi hoc non eſt? Capita ſunt reges, vel regum familiæ, non diverſæ regni viciſſitudines, quibus nunc huic, nunc illi genti eſt ſubjectum. nec *t rtium* regnum tam diu duravit; multo minus quarta beſtia, quæ Romanum Imperium dicit, *capitis* tertiæ beſtiæ conſpectum fert. Sed quid hypotheſibus, quæ nil probabile habent, immoror?

§. VII. Cum itaque *quatuor* capita in regno Alexandrino oſtendi nequeant; eaque tamen *tertiæ* beſtiæ criterium contineant: eam non *Alexandrini*, ſed *Perſici* regni imaginem eſſe haud obſcure indicant: quia reges Perſarum, ad *quaternarium* numerum reducuntur in hoc libro cap. XI: 2. quod non ſine ratione factum, ut ſuo loco adparebit, nos manu quaſi ad beſtiam *quadricipitem* ducit. Nec hoc ſolum eſt regni Perſici criterium in hiſce viſis; ſed *duo* alia ſeſe offerunt, quæ, licet regno Alexandrino aliqua ratione, *Perſico* tamen longe majore, conveniunt; ita ut pro nota ejus caracteriſtica haberi queant. Quorum alterum eſt, quod, *dominium ipſi datum* eſſe, ipſis verbis cap. VII: 6. adſeratur. Quid quæſo rationis eſt, quare de ſola *tertia* beſtia hoc expreſſe dicatur? nonne ut de regno aliquo cogitaremus, quod præ aliis regnum *a Deo ſuſcitatum* adpellari meretur, quodque eo titulo inſignitum in Scriptura notum eſt. Quod ſi quis ad animum revocet, Cyrum ſingulari ratione *unctum*, & *paſtorem* vocari apud Jeſaiam; eique in ſpecie opem & auxilium Dei promitti in populis ſubigendis; præterea ipſum Cyrum in edicto ſuo illud, tanquam ſingulare, profiteri Ezr. I. *omnia regna terræ dedit mihi Jehova, Deus cœlorum*: denique, illud regnum fuiſſe a Deo deſtinatum ad populum Dei exulem reſtituendum, Templum & Hieroſolymam inſtaurandam: cui non mox in mentem venit, regnum Perſicum hac nota, *datum eſt ei imperium*, diſtingui; eamque ob rationem verba illa fuiſſe addita? Quam emphaſin verba in nullo alio regno

præferunt. Alterum criterium *quatuor alæ* exhibent, ſeu totidem expeditiones militares, quæ longe lateque *ſeſe* extenderunt, & totam fere terram obumbrarunt: quæ *alarum*, ad *quaternarium* numerum reductarum, conſideratio, ut ad *quatuor* capita, ſic ad totidem expeditiones, quas quatuor illi Perſarum reges, Dan. XI: 1. memorati, Cyrus, Cambyſes, Darius & Xerxes ſusceperunt, omnium famoſiſſimas, nos haud obſcure ducit: ut ſuo loco patebit. Eſt enim omni animadverſione dignum, tot & non plures, & illorum tantum regum, celebrari expeditiones militares; quales forte nemo in Alexandrino regno, ſive unito, ſive diviſo, monſtrabit.

§. VIII. Ad hæc quum regni Perſici & emblematum comparatio, non longe quæſita, & qualiscunque, ſed facilis & accurata, acceſſerit; nos ab omni temeritate æquus rerum arbiter, ni fallor, plane abſolvet; nec ægre feret, trita relicta via *ſemitam* hanc nos aperuiſſe, quam nemini obtrudimus, ſed ſalvo Interpretum, quos maximi facimus, honore modeſte offerimus, & examinandam proponimus. Regnum Perſicum, quod a Cyro conditum, per duo ſecula & ultra ſtetit, in Dario Codomanno deſtructum, cujus hiſtoriam notiſſimam, utique non hic tradendam, eſſe exiſtimem, quemadmodum inter regna, in hoc libro repræſentata, jure meritiſſimo locum tenet, imo peculiari de ratione regnum a Deo ſuscitatum adpellari meretur: ſic utriusque emblematis lineas perfectius præſtat ullo alio regno Orientis; cujus in hisce viſis ratio haberi poteſt. Quod ut clariore in luce collocetur, operæ pretium fuerit. Dabo tamen operam, ut, quam potero, brevis ſim.

§. IX. Regnum Perſarum, in primis ſub *quatuor* regibus a Cyro ad Xerxem usque, & *locum* inter regna Monarchica Orientis, de quibus in hoc libro agitur, & *elogium*, quo *datum* ipſi dicitur *imperium* c. VII: 6. *dominium per totam terram* c. II: 30., *triplici* nomine tuetur 1 quia *univer-*

univerſale fuit 2 quia ſtabile fuit, & *diutiſſime* duravit. 3 quia in populi Dei commoda ceſſit, & ſingulari Providentia eſt erectum. Ne de *opulentia* & *potentia* ejus aliquid hic dicam; de quo poſtea. Nihil horum eſt, quod unicuique, in hiſtoria verſato, non ſit notiſſimum, & teſtatiſſimum. Quare paucis defungar. 1. Quam late ſeſe quaquaverſum extenderit hoc regnum, per univerſam *Aſiam*, Ægyptum, Thraciam, ipſam Græciam, & *Inſulas* maris, ex ſuperiore *diſſertatione*. §. x. abunde conſtat. Quibus teſtimoniis, ibi prolatis, nec hic repetendis, unum alterumve addam. Dario Hyſtaspis in thronum evecto *omnis Aſiæ incolas*, exceptis *Arabibus*, ei fuiſſe ſubjectos, quos Cyrus & Cambyſes ſubegerant, tradit Herodot. l. III. c. 88. qui provincias, longe lateque porrectas per Aſiam, Ægyptum, Æthiopiam & Africam, ibid. c. 90. recenſet Dario tributarias; & montem *Caucaſum*, terminum regni Septentrionalem Occaſum verſus ponit c. 97. Ortum vero verſus erat *Cyropolis*, vel *Cyra*, ad Jaxartem fluvium, teſte Strab. l. XI. p. 787. De *Thraciæ* ora maritima Herodot. l. V. c. 10. de *Macedonia* ib. c. 17. & l. VI. c. 44. de Inſulis l. VI: 31. & aliis idem Hiſtoricus teſtatur. Cyrum, profligato Croeſo, *omnem continentem* cis Halin usque ad mare, & Darium *inſulas* in poteſtatem ſuam redegiſſe refert Thucyd. l. I. §. 16. Cyrum, Medis ſubjugatis, reliquæ Aſiæ ad *Ægyptum* usque imperaſſe, Cambyſem *Ægyptum* & *Libyam*, quantum acceſſus ad eas oras patuit, Darium *mare* & *inſulas* adjeciſſe, & ad *Scythas* usque prorogaſſe imperium, tradit Plato in Menexen. p. 239. Regi Perſarum *totam Aſiam* usque ad Indos, in Libya *complures*, in Europa *Thraciam* & *Macedoniam* ſubeſſe, eamque ob rationem ſolum vocari *magnum regem*, adſerit Dio Chryſ. Orat. III. p. 42. Denique regnum ſuum ad *Oceanum* ab ortu, & *Hellespontum* ab occaſu ſe porrigere dicit Darius Codomannus, ultimus rex, apud Curt. l. IV: c. 14.

§. X. 2. Ad

§. X. 2. Ad *durationem* regni quod attinet, quam & phraſis, *datum eſt ei imperium*, ſcilicet, ſtabile & perenne, & metallum æris, de quo mox, ſignificat: eam duo ſecula ſuperaſſe in genere conſtat; adeoque regnis duobus præcedentibus hac parte longe majorem. Quod tetigiſſe ſuffecerit, cum hic de eo agendi locus non ſit. 3. De ſingulari Providentia, quæ in hoc regno condendo eluxit, paucis etiam abſolvam. Etſi regnorum mutationes, quibus ab una gente & perſona ad aliam transferuntur, curæ Dei ſubſint, Ipſeque *his* eripiat, *illis* det imperia, tyrannos etiam ſuſcitet ad judicia ſua exſequenda, ut in Pharaone, regibus Aſſyriæ & Babyloniæ, aliisque, exempla proſtant: attamen peculiari aliqua ratione circa Cyrum, in regno Perſico condendo, verſatum fuiſſe Deum, & tituli Uncti, Paſtoris, & Prophetiæ de ipſo factæ Jeſ. XLIV: 18. XLV: 1. &c. XLVI: 11. abunde comprobant: quo quin, quod Dan. VII: 6. regnum *pardo* eſſe *datum*, habetur, reſpiciat, equidem nullus dubitaverim; de quo ſupra. Nec obſcurum eſt, in quo illud ſitum, quidque in Cyro hac parte peculiare fuerit. Cyri enim tum prudentia & fortitudo, tum proſperitas, quam acta & geſta demonſtrant, & omnes in ipſo obſervarunt, tanta fuit, tamque ſingularis & continua, ut divina virtus & directio, ipſum comitata, in omnium oculos incurrerit. Quod & ipſe agnovit, & alios non fugit, ut jam obſervavit Cl. Jeſaiæ Interpres ad Jeſ. XIII: 3. XLV: 1. &c. Quo etiam facit, quod addo, *σύνθημα tesſeram militarem* Cyri fuiſſe, *ζεὺς σωτὴρ ϗ ἡγεμὼν Jupiter Servator & dux*, ſecundum Xenoph. κ. π. l. VII. p. 174. Neſcio an huc referre liceat, quod de Ipſo refert Xenoph. exp. Cyr. l. III. p. 309., divini auxilii inſigne indicium in expugnanda urbe *Meſpila*: quam cum Perſarum rex capere non poſſet, Jupiter cives reddidit *ἐμβροντήτυς attonitos*, eaque ratione capta eſt. Sed regnum Cyro *κατ᾽ ἐξοχὴν datum* dicitur, quia non ad populi Dei oppreſſiones, ut Nebucadnezar, ſed *liberationem* & *inſtaurationem*

tionem accepit; adeoque reſpectu populi Dei, & in ejus commoda: ut ipſe teſtatus eſt in *edicto* ſuo Ezr. I. & Jeſ. clare prænunciavit.

§. XI. Accedamus, his præmiſſis, ad emblemata, ut quam apte in regnum Perſicum quadrent adpareat. Prius eſt *ventris* & *laterum* ex *ære* in coloſſo Dan. II. 32. quo regnum, a ſuperiore diverſum, & ordine temporis poſterius, idque celeberrimum & firmiſſimum in genere expingi autumaverim. *Venter* nullum forte alium habet ſenſum figuratum, ac quo ſucceſſivum, tempore poſterius, quod ſuperius Medicum proxime excepit, denotat. Alios luſus, quos invenire facile eſt, auctoribus lubens relinquo. Nec in *femoribus* vel *lateribus* aliud neceſſe foret quærere myſterium; cum venter & latera ad hanc imaginis partem, quæ *hominis* formam præfert, neceſſario pertineant. Sed, ne quid intactum relinquere videar, illisque, qui in minimis æque ac maximis ſectantur myſteria, minus ſatisfaciam; viam ad ſignificatum emblematicum, ſatis aptum & elegantem, aperiam facilem. *Venter* & *latera duo* vel tres regni *ſedes*, in tribus primariis regnis in hoc regno unitis, vel tres diverſas, ſed a latere connexas, regum *familias*, quam commodiſſime expingunt. Tres illæ ſedes, ſibi ordine ſitus, ut latera ventri, reſpondentes ſponte ſua ei in mentem veniunt, qui Cyrum *Babylonem*, *Suſas* & *Ecbatanam*, trium diverſorum regnorum civitates regias, ſingulis annis diſtinctis vicibus inhabitaſſe reſciverit. Xenoph. κ. π. l. VIII. p. 233. auctor eſt, Cyrum hyberno tempore 7 menſes degiſſe Babylone; tribus vernis ſediſſe *Suſis* in Perſia, per æſtatem *duos* menſes inſumſiſſe *Ecbatanæ*, quæ Mediæ erat Metropolis. Quod ſucceſſores ejus imitati ſunt. De quo Doctiſſimi viri, B. Briſſonius regn. Perſ. l. I. §. 67. &c. Ez. Spanhem. ad Julian. p. 125. aliique conſulendi ſunt. Quid? quod Demoſthen. Philipp. IV. p. 56. regem Perſarum deſignet per eum, qui *habitat Suſis & Ecbatanæ*; quod, a Doctis

neglectum, huc egregie facit. Num vero *Babylon* an *Suſa* ventris conſpectum ferat, ſeu medium & præcipuum locum teneat, anxie non inquiro: nec tanti eſt.

§. XII. Quod de *tribus familiis* regiis dixi, prima *originali*, duabus reliquis *lateralibus*, ut huic emblemati haud inepte congruit, ſic veriſſimum eſt, & ſingulare in regibus Perſarum. Tres enim per familias regias devoluta eſt ſucceſſio, ſi a Magis, qui, utpote breviſſimi temporis, negligi ſolent, diſceſſeris, *Cyri* nimirum, *Darii Hyſtaſpis* & *Darii Codomanni*. Neuter erat ex regia Cyri ſtirpe, uterque tamen eum a latere adtingebat. De Dario Hyſtaspis teſtatur Herodot. l. VII. c. II. Juſtin. l. I. c. 10. De Dario ultimo Diod. Sic. l. XVII. p. 490. In hisce licet acquiescere poſſim, quidni tamen fatear, omnium optime *ventrem* mihi videri referendum ad ipſum regni corpus, & duo *latera*, vel proprie *femora*, ad duos reges, Cyrum & Darium Hyſtaspis, præcipuos regni ſtatores, & novæ ſtirpis regiæ progenitores; tum quod regnum fundarint & confirmarint, tum quod regiam familiam, uterque novam, ex ſe ediderint: quod utrumque in *femora*, & corporis robora, & generationis ſedes, aptiſſime convenit; & haud parum roboris ex *duobus* cornibus in *Ariete*, ad eosdem reges pertinentibus, cap. VIII. acquirit. De quo mox.

§. XIII. Sed quid *æs* ſignabit, ex quo *venter* & *latera* conſtabant? quocunque modo quis explicuerit, ad regnum Perſarum illud adplicare in facili erit. Ad *ænea* arma, quibus reges toti fuerunt obducti, ſi cum Joſ. Ant. X: 10., ut ab antiquiſſimo incipiam, reſpicias, ecce Tibi tegumenta *militum* & *equorum* bellica in exercitu Cyri *ænea*, & Cyri inſtar *ſpeculi reſplendeſcentia* Xenoph. κ. π. l. VII. init. imo totum ejus exercitum *ære* coruſcum Id. Ib. l. VI. p. 169. ita ut ſinguli videantur σιδηρῦς τὶς ἀνὴρ, ἢ ϗ σφυρήλατος ἀνδρίας *ferreus vir*, *aut ſtatua malleis compacta*, quæ de bellicoſiſſima Perſarum phalange phraſis eſt Heliodor. Æthiop. l. IX. p. 433. a re non aliena. *Sonitus* æris ſi cum Hiero-

Hieronymo placeat, cum inter metalla *æs* vocalius ſit, & tinniat clarius ac longius, ut eruditiſſimus Patrum obſervat, & *ſonorum*, quod in eo eſt, adtendi ſoleat, ut 1 Cor. XIII: 1. quid quæſo regno Perſarum, eorumque in primis expeditionibus in Græciam, *famoſius?* quid per omnium ora magis volitavit? quid per poëtas, oratores & hiſtoricos magis eſt celebratum, & eo & ſequentibus ſeculis? Nec aliæ notæ fuerunt expeditiones bellicæ, quæ cum *ære* ſonoro majore jure comparari poſſunt, ſive ad incredibilem adparatum, multitudinem, pompam, divitias & ſplendorem Perſarum, ſive ad Græcorum paucitatem, virtutem ſtupendam, ſive ad exitum, Græcis glorioſum, & Perſis fatalem ac ignominioſum, aliaque oculos vertas. Addi poteſt, multa cum inſania conjuncta, expeditio *Cambyſis* in *Æthiopiam*, & *Libyam*. Quæ verbo notaſſe ſuffecerit.

§. XIV. Denique, ſi cui in *æris* emblemate ejus *firmitas* & *durities* magis placeat, me nec habebit diſſentientem, nec hærentem. Solent enim in eo *ſoliditas* & *perennitas* ſpectari, ut in illo Poëtæ,

Exegi monumentum ære perennius.

nec non firma corporis & animi conſtitutio, ad quævis dura toleranda apta: ut in illo Jobi VI: 12. *an caro mea ænea?* Utrumque in Perſas convenit, ſive ad regnum durabile & perenne, aſperum & durum, ſive ad indolem vitamque primævam reſpicias; quam *Perſicam* adpellat & deſcribit Plat. de Leg. l. III. p. 695. ubi dicit, Perſas fuiſſe paſtores, & *aſperam regionem incoluiſſe, quæ paſtores poterat facere robuſtos, & qui ſub Dio jacere & totam noctem vigilare & caſtrametari poterant.* Quales fuerunt tempore Cyri, antequam Medicos mores adoptarunt. Vid. Xenoph. κ. π. l. VIII. pag. 197. De regni durabilitate ſupra dixi: quam hic præcipue in cenſum venire exiſtimaverim.

Quemadmodum enim *aurum* & *argentum* ad opes, & ſplendorem: ſic *æs* & *ferrum* ad firmitatem pertinere probabile eſt. Quod in *ferro* ipſe textus nos obſervare monuit c. 11: 40. Sed, cum divitiis & ſplendore regnum Perſicum quoque fulſerit; uti notum eſt; quo minus & hoc addamus nihil impedit: quia per *æs* intelligi poteſt χαλκόχρυσον ſeu χρυσοειδὲς, quale fuit Perſicum & Indicum; de quo videndus eſt Cl. S. Bochart. H. p. 11. p. 877.

§. XV. Alterum emblema *pardi alati*, & *quadricipitis*, quod in accuratiorem regni hujus notitiam ducet, *tria* habet peculiaria, quæ adtentione noſtra digna ſunt; quorum *primum* ipſa *fera*, ſecundum ejus *quatuor capita*, & tertium totidem *alæ* volucris exhibent. In *Pardo* non quicquid de illo dici poteſt, non omnes ejus qualitates, ſed exſtantiora adtributa, & caracteriſticæ proprietates, quæ in oratione figurata obſervari ſolent, adtentionem merentur. 1. *Primo* itaque & ante omnia mentem ferit *varius* ejus color, quo cutem habet *albi* coloris cum *nigris* maculis ubique interſperſis. Hinc enim, ut panthera Latinis *varia* abſolute dicitur, ſic Hebr. eandem ob rationem נמר, ut ex Arabica lingua jam docuit Cl. Bochart. H. p. 1. l. III. c. 7. nomina vero a diſtinguentibus adtributis, quæ mox in oculos incurrunt, deſumi ſolent. Nec abs re eſt, *macularum* hujus animalis rationem haberi in communi ſermone, ut Jer. XIII: 23. *an pardus* mutabit *maculas ſuas*, חברברתיו? quæ vox propria ſua poteſtate denotat *notas impreſſas*, ut Idem vir Clar. obſervavit, vel rectius *lineas virgatas* ut Cl. Schultens ad Harir. conſ. v. p. 156. docuit. Huc etiam facit, quod hæ *maculæ* in definitione pardi locum habeant, tanquam notæ diſtinguentes. Pardus enim Arabibus definitur, quod ſit *animal Leoni ſimile, niſi quod minus eſt, & pellem habet nigris maculis diſtinctam.* Nec abhorret denique a ſtylo emblematico *colorum* animantium translatio, ut ex Zach. I: 8. VI: 2, 3. Apoc. VI. aliisque manifeſtum eſt.

§. XVI. Hæc

§. XVI. Hæc colorum diverſitas, in pardo notabilis, adeo exacte in regnum Perſicum convenit, ut pro nota diſtinguente fere haberi queat, ſive ipſius regni, ſive populi *Judæi* fata contempleris. Status regni fuit quidem proſper; glorioſus & ſplendidus: ſed multis infelicibus & triſtibus caſibus, tanquam tot *nigris* maculis, interſtinctus, tum in expeditionibus in Æthyopes, Græcos & Scythas, ſub Cambyſe, Dario, Xerxe & Artaxerxe, tum in continuis Babyloniorum, Medorum, Jonum & Ægyptiorum defectionibus, indeque ortis bellis, tum denique in bellis civilibus, quorum celeberrimum fuit Artaxerxis Mnemonis cum *Cyro* II. Quæ ex hiſtoria notiſſima ſunt. Nec aliter ſeſe conditio Judæorum, durante hoc regno, habuit. Lætus & proſper fuit eorum ſtatus, ſi reditum in Patriam, civitatis & ſacrorum inſtaurationem conſideres: ſed ſimul variis modis commaculatus, & cum *albo* nigras maculas præferens, tum quod variis regum edictis, & vicinorum infeſtationibus fuerint impediti & adflicti, tum quod *ſervitus* eorum continuaverit, tum quod res eorum manſerint tenues & modicæ. Quæ ex libris Ezræ & Nehemiæ ſatis conſtant. Ceterum Judæorum rationem hic habere licet: cum, ne populi Dei cauſa hæc vaticinia facta fuiſſe dicam, in emblemate curruum & equorum Zach. VI. & alibi idem locum teneat.

§. XVII. 2. Pardus, ut ad indolem & qualitates ejus, quæ præcipuæ in eo ſunt, & hic tantum in cenſum veniunt, accedam, eſt animal *intrepidum* & *robuſtum*, *velox* & curſu, & ſaltu, *ſævum* & crudele: de quibus Cl. Boch. l. c. conſulendus eſt. Quæ omnia attributa in regno Perſarum, partim ſub Cyro & Dario Hyſtaspis, partim ſub Cambyſe, Xerxe & Artaxerxe Ocho, ſummo gradu ſeſe conſpicienda præbuerunt; priora quidem in Cyro & Dario, poſtremum in reliquis. Emblemata enim, in quæ varia adtributa confluunt, regnum, cujus plures fuerunt reges, expingentia, ea paſſim ratione ſunt conſtructa, ut alii

alii has, alii illas lineas perfectius præſtent. Duo vero reges, Cyrus & Darius, qui intrepiditate, robore, impetuoſitate & velocitate pardo ſeſe ſimiles exhibuerunt, ut mox patebit; eo majore jure conjunguntur, quod tum duarum familiarum capita fuerint, quæ in hoc regno usque ad ultimum regem, in quo regnum concidit, tantum locum habuerunt, tum uterque Babylonem invaſerit & occupaverit, Cyrus primum ſubigendo, Darius dein rebellem domando; & ſeverius tractando. Quod hic non ſiné ratione obſervatur; cum ad pardi indolem pertineat, *Leonem* odio habere, & invadere. Leo vero in his viſis *Babyloniorum*, & Pardus *Perſarum* imaginem gerit.

§. XVIII. Emblemati itaque abunde ſatisfecerimus, ni fallor, ſi in Cyro & Dario, & in illo præcipue, has qualitates demonſtraverimus. Quemadmodum enim omnes Interpretes, qui Alexandrinum regnum delineatum exiſtimant, in Alexandrum cogitationes defigunt: ſic nobis in Cyrum licebit. Cui cum Darium adjunxerimus, emblema pleniorem habebit intellectum. In Cyro memoratas qualitates eminuiſſe, antequam ex hiſtoria adfirmem; Jeſaiam eas in ipſo fulſuras prædixiſſe, operæ pretium fuerit verbo obſervaſſe. Jeſ. XLI: 2. Deus Cyro *dediſſe* dicitur *gentes ante faciem ejus*, & *reges imperio ejus ſubjeciſſe*; *poſuiſſe inſtar pulveris gladium ejus*, *inſtar ſtipulæ propulſæ arcum ejus*. Quo facilitas in armis utendis, intrepiditas & in primis *celeritas*, qua hoſtes perſequeretur & ſubigeret, ob oculos ponitur: ut recte advertit Cl. *Commentator*. Cap. XLV: 2. *Ego coram Te ibo*, & *anfractuoſa recta faciam: valvas æneas frangam*, & *vectes ferreos incidam:* quæ ad fortitudinem inſuperabilem, & facilitatem ejus in domandis hoſtibus pertinent. Quid? quod, quemadmodum hic cum *pardo*, ita earundem qualitatum reſpectu cum *ave rapace*, ſive *aquila*, ſive *accipitre*, comparetur Jeſ. XLVI: 11. cujus proprium eſt, & *celerrime*, & cum *impetu*, in prædam involare: plane ſicut *Pardus* ſolet, qui velociſſime

me & ſaltu irruit in adverſarium; uti ex Bocharto in vulgus notum eſt. Denique de *Ariete*, qui Perſas, in primis *Cyrum*, repræſentavit, traditur Dan. VIII: 4. eum *quaquaverſum arietaſſe*, nec fuiſſe, *qui ei reſiſtere* potuerit. Ecce heroa bellicoſum, impetuoſum, fortiſſimum, & cito impetu in hoſtes inſilientem, ac proſternentem. Quod *pardum* exacte refert.

§. XIX. Ad Hiſtoriam, & Hiſtoricorum teſtimonia, pergenti præmittere liceat inſigne elogium, quo Cyrum ornat Diod. Sic. in Excerpt. Valeſ. p. 237. quo Ipſe *fortitudine*, aliisque virtutibus, *eminentiſſimus ſeculi ſui dicitur*, & *etiam tum adolescens ſatis oſtendiſſe*, *maximas res ſe adgreſſurum quandoque*, *cum virtus illius ante ætatis curricula eluceſceret*. Herodot. l. 1. c. 204. de Cyro teſtatur, *eum*, *quocunque ſe ad bellandum vertebat*, ſemper victorem disceſſiſſe, & *eam gentem nullo modo potuiſſe evadere*. In prima juventute, cum militiæ rudimenta poneret in venatione ferarum, intrepidam & audacem indolem, cum ſummo impetu conjunctam, in omnium oculos ingeſſit, ut refert Xenoph. κ. π. l. 1. p. 15. imo Cyrus, audito clamore venatico, *ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὸν ἵππον ὥσπερ ἐνθουσιῶν in equum inſiluit veluti mente captus:* haud ſecus ac panthera: quæ *πηδᾷ κοῦφα, καὶ ἴσα εὐάδι, leviter ſaltat inſtar bacchæ*, quæ verba Philoſtrati ſunt Icon. l. 1. p. 793. In primo prælio cum Aſſyriis, plane ut *canis generoſus*, *ſed inexercitatus*, *temere in aprum fertur;* ſic & *Cyrus ferebatur*, ut habet Xenoph. l. c. p. 19. qui mox p. 20. addit, tanto impetu ſe in hoſtes dediſſe Cyrum, ut Aſtyages, eum *præ audacia furere*, *exiſtimaret*. Quod eſt proprium pardi, qui in præſentiſſima pericula præceps ruit, de vita nihil ſollicitus. Sicut vero pardus curſu & ſaltu irruit: ſic plane Cyrus in prælio cum Aſſyriis præ impetu & ardore *gradatim incedere oblitus δρόμῳ ἡγεῖτο curſu præibat*, & totus exercitus *curſu* ſequebatur in hoſtem. Xenoph. l. III. p. 86. De *celeritate*, a qua *pardus* celebris eſt, teſtatur præter alia bellum

lum Cyri cum *Lydis*, quos *quam celerrime* ſubjugavit, teſte Herodot. l. I. c. 141. qui ibid. c. 79. narrat, Cyrum, *propere ducto in Lydiam exercitu, ipſum nuncium Croeſo adveniſſe.* Conferatur etiam Xenoph. l. VI. p. 160, 163. Denique, ne quid emblemati deſit, ut *pardus* eſt impetuoſus, qui ad omnia ſemper paratus in prætereuntes inſilit. ſic Perſæ nullam non quæſiverunt occaſionem regnum prolatandi, & in obvios irruendi. Quod de Perſis diſerte tradit Herodot. l. VII. c. 9. & eorum expeditiones in multas & grandes nationes, *quæ ipſos nihil læſerant*, ut ib. habet Herod., teſtantur. Idem Xerxes profitetur apud Herod. l. c.; qui Cyrum quoque ipſum *irrequietum*, & *omnes gentes adgredientem*, depingit l. I. c. 190.

§. XX. Hisce, quæ celerem Cyri & Perſarum impetum in hoſtes oſtendunt, duo ſubjungo obſervata, de eodem teſtantia: alterum, Cyri ſignum caſtrenſe, quod ipſe inſtituit, & poſtea *ſignum regium* manſit, ut illud adpellat Xenoph. exp. Cyri l. I. p. 271. fuiſſe *aquilam auream extentis alis haſtæ longæ impoſitam;* teſte Xenoph. κ. π. l. VII. p. 172. cui ſe in multis ſimilem præſtitiſſe, & eo omnes collineare debere, publice ſignificatum hoc ſigno voluit: quacum, vel ſimili ave, comparatur Jeſ. XLVI: 11. Alterum eſt, Perſas, qui ante Cyrum *equitatu* carebant, ex ipſius inſtituto *equites* factos ſibi eo ipſo viſos fuiſſe *volatiles* eſſe factos, & citato curſu in hoſtes involaſſe. Id quod Chryſantes de ſe diſerte fatetur apud Xenoph. κ. π. l. IV. p. 101: ubi de equitatu a Cyro introducto, & ibid. & p. 99. agit. Equites vero a celeritate commendari, & cum *volantibus* comparari, non eſt inſolitum. Vid. Ill. Ez. Spanhem. ad Jul. p. 116. Nec abhorret, quod *currus falcatos*, quibus in hoſtilem exercitum citiſſimo impetu irruebant, a Cyro eſſe introductos, ut *celeritatem* cum fortitudine conjungerent, & quam citiſſime hoſtes proſternerent, tradat Xenoph. κ. π. l. VI. p. 152.

§. XXI. Haud degenerem Cyri ſucceſſorem ſeſe præſti-

tit

tit *Darius Hyſtàspis*, qui *virtutem hoc imperio dignam habuit*, ut ait Juſtin. 1: 10. ſeſeque famoſiſſimo bellatori Seſoſtri comparare, ſi res *parili ætate geſtæ* conferantur; & ſe eo non fore poſteriorem, ſi tantundem vitæ ſibi contingat, promittere auſus fuit. Diodor. Sic. l. I. p. 54. Nec illud nimis jactanter, ſi ad bella, quibus regnum ampliavit per Thraces, Getas, Indos & *inſulas* maris, adtendatur: de quo ex hiſtoria abunde conſtat. Cujus virtutis heroïcæ illuſtre ſpecimen dedit, quando cum ſex ſociis, quorum ipſe primus & ſtrenuiſſimus erat, in aulam irrupit, & Magos occidit. Herod. l. III. c. 71, 76.

§. XXII. Hæc licet emblemati hac parte illuſtrando ſufficiant: quid tamen addere vetat, *Perſas* ſe in genere hisce pardi qualitatibus haud abſimiles demonſtraſſe, quamdiu Medico luxu non fuerunt corrupti. Sic Dario adfuisſe dicitur ἀδάματον σθένος· ἀνδρῶν τευχηστήρων *inſuperabile robur virorum bellicoſorum*, Æſch. Perſ. verſ. 903. Cujus virtutis adhuc tempore Xerxis dederunt indicia; ſeſeque *ſtrenuiſſimos barbarorum* præſtiterunt, ſecundum Herodot. l. IX. c. 70, 101. Bellicus præterea eorum animus ex eo elucet, tum quod ex *omnibus, quos ego novi, hominibus*, dicit Herodot. l. VIII. c. 238. *Perſæ maxime ſoleant viros in re militari præſtantes honore adficere:* tum quod nomina regum, Darii, Xerxis & Artaxerxis, nil niſi *Martem* ſpirent, eodem obſervante l. VI. c. 98. tum denique, quod *nec apud eos pingatur vel fingatur aliud præter varias cædes & bella*, quæ verba ſunt Amm. Marcell. l. XXIV. c. 6.

§. XXIII. Præter heroïca & Martia pectora, quibus Pardum haud male eos referre hactenus probavi: feræ hujus indolem *ſævam* & *crudelem* a ſe non alienam multis modis comprobarunt, & omnes de ipſis teſtati ſunt Hiſtorici. Quæ ſi vellem omnia proferre indicia, modum vix teneret diſſertatio; quare in pauca contraham. 1. Crudelem eorum animum, ut vel atrociſſimæ pœnæ & inhumana ſupplicia, quæ reis infligunt, ab omnibus notata

 aucto-

auctoribus, clare exponunt: de quibus vid. Briſſon. de regno Perſ. l. II. §. 212. &c. ſic multi Veterum diſertis teſtimoniis confirmarunt; quotquot de Perſarum inſtitutis quid ſcripſerunt. Quæ non ſunt ignota. 2. Inter reges ſibi hanc notam præcipue inuſſerunt *Cambyſes*, *Xerxes* & *Artaxerxes Ochus*. Cambyſes *natura quidem erat furioſus* & *mente captus*, *ſed multo crudeliorem*, ὠμὸν, *atque inſolentiorem eum fecerat* regni *amplitudo*, ut habent Excerpta Valeſii ex Diodoro p. 149. ubi de acerbitate ejus in Ægyptios etiam quædam habet. Herodot. l. III. c. 29. cum inſanæ ipſius ſævitiæ exempla narraſſet, *eum multa hujusmodi*, *tam in Perſas quam in ſocios*, *inſanivisse*, dum in Ægypto verſabatur, cap. 36. addit. Sed quid multa? Cambyſen contumeliæ in Deos addidiſſe *crudelitatem* in *ſuos*, ne a parricidio abſtinentem, ut refert Juſt. I: 9. cui demum ignotum eſt? De Xerxe, ejusque uxore Ameſtri, ex Herodot. l. VII. c. 39, & 114. & 238. conſtat. Ochi crudelitas notior eſt, quam ut teſtimoniis adfirmari debeat. Vid. Diod. Sic. l. XVII. p. 490. Plut. in Artax. p. 1027. Ælian. V. H. l. II. c. 17. Curt. l. x. c. 5. Juſt. x: 3. Val. Max. IX: 2. Inſignis ſævitiæ in Græcos a regibus Perſarum exercitæ, haud diu ante tempora Alex. M., ſpecimen habet Diod. Sic. l. XVII. p. 542. qui Phoenices, alioſque, propter ſævum & durum imperium Perſarum ſub Ocho defeciſſe etiam tradit l. XVI. p. 439. Ægyptii quoque, quod Perſæ multa nefaria in ſacra commiſerant, & βιαίως *violenter* imperitaverant, animo lubente ſuſceperunt Macedonas. Diod. Sic. l. XVII. p. 526. Curt. IV: 7.

§. XXIV. Hi licet *pardi* ſævitiam κατ' ἐξοχὴν expreſſerint, Darium tamen, licet reliquis multo meliorem & benigniorem, quare *Patris* elogium meruit a choro Perſarum apud Æſch. Perſ. verſ. 666. quod Cyro proprium erat, plane abſolutum nolim. Præterquam enim quod ſeſe *irreconciliabilem Athenienſium hoſtem* profeſſus fuerit, ut ex Herodot. l. V. c. 105. liquet, in quo emblematis hujus

jus lineas luculenter præſtitit, (*pardus* enim apud Perſas & Ægyptios, teſte Achmete oneirocr. c. 272. *hoſtem irreconciliabilem* expingit:) notabile crudelitatis ſpecimen dedit, tum in Oebazi, amici ejus, tres filios, quorum unum cum Pater militia eximendum petiiſſet, omnes *occidi* juſſit. Herod. l. III. c. 84. tum in inſulas ſubactas, quas *verriculavit*, ne aliquis effugeret. Herodot. VI: 31. ubi, quam acerbe tractati fuerint Iones, enarrat. Verriculare, σαγηνεύειν, dicebatur, cum milites junctis inter ſe manibus univerſam regionem cingebant, eamque percurrebant; incolas omnes tanquam piſces ſagena concludentes & capientes: ut deſcribit Herodot. l. c. & Plat. in Menexen. p. 240. qui locus, a Briſſon. de regn. Perſ. l. III. § 95. omisſus, non fugit Petavium ad Jul. p. 79. Imitatus eſt poſtea, quod obſervo, Tigranes, καππαδοκίαν σαγηνεύσας, ut habet App. Alex. de bell. Mithrid. p. 363.

§. XXV. Ad Cyrum quod adtinet: licet indole ſua ambitioſa & irrequieta, qua regni prolatandi ergo quoscunque populos adgreſſus eſt, ut modo vidimus, & continuis bellis, quibus multum ſanguinis fudit, & vaſtitates longe lateque circumtulit, ad ferarum emblemata referri queat, de quo in prima *diſſert.* quædam monui § VII; a ſævitia tamen, & duro animo ac imperio, non deſcribitur, adeoque hac parte non tam ipſe, quam reliqui Perſarum reges, modo memorati, *pardi* imaginem expreſſerunt. Novi equidem quid Iſocrat. in Evagor. p. 387. de Cyri facinoribus tradat; ſed odio Græco nimium litaſſe, & falſa fama forte deceptum hæc eum retuliſſe nullus dubitaverim; cujus & hoc mihi eſt indicium, quod nihil adferat, niſi *patrem matris ſuæ* ab ipſo fuiſſe *occiſum*. Cui Xenophon non tantum, ſed Herodot. l. I. c. 130. Cteſias in Perſicis, & alii aperte contradicunt. Aſtyagen enim a Cyro humaniter tractatum fuiſſe omnes teſtantur. Sola *Crœſi* hiſtoria, a Cyro victi & cremandi, hac infamia ipſum adficere poſſet, ſi vere ita acciderit, quemadmodum eam narrat Herodot.

 l. I.

l. I. c. 86. Sed, ne vel fabulam ſapere, vel fabuloſis circumſtantiis eam omnino eſſe veſtitam, dicam; Cyrum excuſaſſe non erit difficile, ſi narratio Nic. Damaſceni in Excerpt. Valeſ. p. 455. admittatur. Ex ea enim non tam Cyri, quam Perſarum, crudelitas elucescit, cum Cyrus eo coactus venerit, & nihil non egerit, ut Perſas ad miſericordiam flecteret. Sed de eo quicquid ſit, Cyrum a *juſtitia*, *æquitate*, *benevolentia* & *humanitate* ubique laudari, & propterea *Patrem* fuiſſe adpellatum, ex multis Veterum teſtimoniis exploratum eſt: quorum aliqua protulit Cl. Commentator ad Jeſ. XLI: 2. & XLV: I. quibus plura addi poſſent, ut ex Plat. de leg. l. III. p. 694. Diod. Sic. in Excerpt. Valeſ. p. 238. Dio Chryſ. orat. II. p. 35. XXV. p. 282. Plut. Apopht. p. 172. ubi *dilectiſſimus Perſarum regum* adpellatur, aliis. Nec tamen inſigni illo *juſtitiæ* encomio illum ornari Jeſ. XLI: 2. & XLV: 13. cum Viro longe Eruditiſſimo exiſtimaverim, *juſtitiæ* vocem non moralem eam virtutem, quæ eo nomine venire ſolet, ſed heroïcam intelligi exiſtimans, qua *robur* & *vehementiam invictam* in præliis denotat. Quem ſignificatum egregie in lucem protraxit, vir in his litteris ſummus, A. Schultens de Defect. § 225. & huc unice quadrare autumaverim, ut ex nexu haud obſcure elucet: de quo hic pluribus non agam.

§. XXVI. Præter has *pardi* qualitates nonnulli ejus *vinoſitati* etiam locum dant, quo vitio pardus ſe venatoribus facile capiendum præbet; ut & in eo Alexandrum pardo fuiſſe ſimilem oſtendant. Quibus ſi quis delectetur luſibus, quod hic non plane ſpreverim, ei in luxu Perſarum longe majorem convenientiam reperire facile fuerit. De Perſis in genere habet Herodot. l. I. c. 133. οἴνῳ δὲ κάρτα προσκέαται *vino vero valde dediti ſunt.* Quod de Cambyſe ipſis verbis indicat, & inde inſana ejus facinora, quæ ipſi perniciem adtulerunt, quoque repetit, l. III. c. 34. unde illud πίνειν κατὰ τὸν τρόπον τὸν περσικὸν *Perſico more bibere*

Ælian. V. H. l. XII: 1. Sed hæc ex Briſſon. de regn. Perſ. II. §. 126. nota ſunt. In rem præſentem in primis facit, Perſarum res, ex quo vino ceperint opprimi, in pejus ruiſſe, ut obſervat Xenoph. κ. π. l. VIII. p. 240. Sic & Plat. de Leg. l. III. p. 695. ut Cambyſen *ebrietate* & *imperitia* regnum perdidiſſe, ſic Perſarum reges poſt Darium Hyſtaspis ad eundem lapidem impegiſſe, & viam ad regni deſtructionem ſtraviſſe, ſeſeque Græcis capiendos præbuiſſe, adnotat. Alexandro enim haud difficile fuit vincere, cum ei res cum hominibus *delicatis*, fuerit; quemadmodum Luc. dial. mort. XII. habet: qui etiam dial. XIV. eos Græcis per contemtum nomine ἁβρῶν venire tradit.

§. XXVII. Sed quid hisce immoramur? ad *quatuor* pardi *capita*, qui caracterem beſtiæ conſtituunt, potius nos conferamus, eaque in regno Perſico fuiſſe conſpicua, de quo jam ſupra monui, demonſtremus. Cum *Capita Beſtiæ* ſint *reges*, qui regno præſunt, ut tum ex emblematis natura, tum ex Apoc. XVII: 10. & aliunde dubio procul eſſe debeat: noſtræ hypotheſi nihil ad primam ſpeciem magis obeſſe videtur; ſed re penitius inſpecta, nihil magis eam confirmat. Etſi enim multo plures fuerint Perſarum reges, ut in vulgus notum eſt, ad *quaternarium* tamen numerum in hoc libro reſtringuntur cap. XI: 2. quo ipſo beſtia hæc *quadriceps* digito quaſi monſtratur. Quis quæſo eſt, qui *quatuor* pardo dari *capita* legit, quod plane ſingulare eſt, & totidem tantum *reges* Perſiæ in hoc ipſo libro mox memorari obſervat, licet longe plures ex hiſtoria noti ſint; cui non mox, hæc ſibi reſpondere, in mentem venit? Sed ut *quaternarii* numeri ratio conſtet; nudam prophetiam c. XI: 2. contemplemur & illuſtremus, & ex ea *capita* pardi eruamus.

§. XXVIII. Verba Angeli apud Danielem c. XI: 2. ita habent. *Ecce adhuc tres reges ſtabunt Perſiæ; & quartus ab immenſis divitiis erit præ omnibus celebris: cumque ſeſe*

firmaverit divitiis ſuis, ſuſcitabit totum regnum Græciæ, vel *omnes contra regnum Græciæ.* Ubi ante omnia 1. notandum eſt, *quatuor* numerari reges cum Cyro, adeo ut *quartus* non ſit a *tribus* poſt Cyrum, ſed ab ipſo Cyro *quartus* rex Perſarum. Id quod ipſa verba, *tres adhuc conſiſtent reges*, ſcilicet poſt Cyrum, (prophetia enim anno *tertio* Cyri edita eſt c. x: 1.) clare evincunt. Tres enim reges ſi poſt Cyrum tantum locum haberent, & non plures: quartus oportet *unus* trium ſit; cum cæteroquin non *tres*, ſed *quatuor* poſt Cyrum forent. *Quartus* itaque eſt, ſupputatione a Cyro facta; a quo *ternarium* numerum incipit textus. Xerxen, quem omnes per *quartum* intelligunt, quibus mens læva non eſt, pro *quarto* poſſe haberi, excluſo Cyro, ſi *Smerdes* Magus adnumeretur regibus Perſiæ, me non latet: ſed quominus ipſi hic locum eſſe dandum cenſeam, in cauſa eſt, quod tum pro *interregno* verius quam legitima regni poſſeſſione haberi debeat Magorum dominatus, tum in Pſeudo-Smerdin, vel magos, illud *conſiſtere*, in phraſi, *tres ſtabunt* reges, non conveniat. Stabilius quippe & durabilius ac fortius regnum verbi poteſtas hic requirit, quam illud Magorum, 7 menſium tantum, fuit: ut mox pateſcet.

§. XXIX. 2. Nec illud nihili eſt obſervaſſe, non omnes hic Perſiæ reges enumerari, quod Judæos, infidos duces in hiſce rebus, nonnullis ex Chriſtianis perſuadere potuiſſe, in primis in hac literarum luce, cui non, ut molliſſime dicam, mirum accidat? ſed *aliquos*; quod collatio hiſtoriæ, & ſacræ & exoticæ, quam nemo, qui reverentia hiſtoriæ ſacræ ducitur, ſpernat, non tantum, ſed & ipſe textus, ejusque ſcopus, clariſſimum facit. Textus non habet, tres reges *futuros*, ſed *ſtaturos*, ſcilicet & in ſummo flore, & firmo talo, ut ex hoc capite, ubi ſæpe recurrit, clare eluceſcit. Cape modo exemplum ex verſ. 4. de Alexandro M., *cum ſteterit ipſe, confringetur regnum ejus*: quod idem eſt ac verſ. 2. *cum firmaverit ſe*, ſic verſ.

6. &

6. *& non ſtabit*, verſ. 16. *& non ſtabit coram ipſo.* ſic ſæpe. Verbum עמד divitem ſenſum habet, etiam pro culmine & faſtigio rei ſumitur, ut Eccleſ. 11: 9. *etiam ſapientia mea ſtabat mihi*, id eſt, in ſummo culmine ſuo, ut omnium ſapientiſſimus fuerim habitus. Imo, vehemente impetu, cui reſiſti nequit, incumbere, aliquando deſignat, ut Pſ. CVII: 25. *& ſtare fecit ventum aduſtionis.* Elucet, ni fallor, non qualescunque reges, ſed *ſtatores* regni, ſub quibus in ſummo flore & vigore fuit, quique per bellicas expeditiones ſeſe celebres reddiderunt, intelligi. Quo ipſo plures Perſiæ reges horum catalogo exturbandi ſunt, de quo mox.

§. XXX. Scopus verborum non eſt, catalogum regum Perſiæ contexere, aut *numerum* eorum definire, quod nihil adtineret ſcire; nec etiam eos memorare reges, ſub quibus inſtauratio Templi & urbis impedita, vel provecta eſt; cujus nullum hic exſtat indicium, nec hiſtoriæ convenit: ſed, cum *cauſam* & *occaſionem* deſtructionis regni Perſici explicare, tum *epocham temporis* figere, ex quo ad ruinam ſpectaret. Qui ſcopus 1. ex totius hujus revelationis ſcopo, 2. ex ipſo textu haud difficulter eruitur. 1. Scopus revelationis, cap. XI & XII. comprehenſæ, eſt, Danieli & *modum* & *tempus* ob oculos ponere, quo, omnibus obſtaculis e medio ſublatis, populus Judæus ad ſummum gloriæ & proſperitatis faſtigium eveheretur ſub ultima Oeconomiæ Vet. tempora. De quo ſcopo liquet, tum ex argumento revelationis, tum ex omnium viciſſitudinum termino cap. XII, tum ex ipſa Angeli declaratione c. X: 14. *Et veni, ut Te notitia eorum inſtruerem, quæ populo Tuo eventura ſunt ſub ultima tempora*, ſcilicet Oeconomiæ Judaicæ, temporibus Maccabaicis; de quo ſuo loco agam. Obſtacula vero, quæ Judæis reducibus obfuerunt, eosque inpedierunt, quominus felicitatem ſtatus, reducibus promiſſam, conſequi potuerint, duo forent præcipua, regnum *Perſicum* & *Macedonicum*; ſub quibus regnis

regnis varie vexarentur & adfligerentur, antequam optata illa tempora advenirent. De regno Perſico illud ex emblemate *montis*, coram Zerubbabele & Judæis complanandi Zach. IV: 7. de utroque regno ante debilitando, quam felicia tempora adlucerent, ex prophetia Hagg. II: 20. egregie conſtat. Sed & Angelus illud ipſum haud obſcure indicat c. X: 20. ubi dicit, ſibi in poſterum eſſe pugnandum cum *principe Perſiæ*, & dein cum *Principe Græciæ:* quos ope Michaëlis, principis & ducis populi Dei, ſuperaret. quod ſub Maccabæis factum eſt, ut patet ex cap. XII: 1. Huic ſcopo convenienter Angelus ea tantum de regnis Perſiæ & Macedonum revelat, quæ ad eorum deſtructionem, ſaltem reſpectu populi Dei, ne lumen ei amplius obſtruant, conferrent; eoque tandem redirent, ut populus Judæus pleniſſima frueretur libertate & proſperrime degeret. Hunc in finem, quemadmodum de Alexandri ſubitanea morte, & regnorum Syriæ ac Ægypti concertationibus de Coeleſyria & Paleſtina, tantum agit, ſcopo modo memorato nihil aliud exigente: ſic de regno Perſarum illud tantum tradit, quod *occaſionem* excidii ejus præberet, & epocham temporis figere poſſet, quo ad ruinam ſuam vergere inciperet. Illud cum in Xerxis infelicibus expeditionibus in Græcos quærendum ſit: hinc earum tantum meminit; ut eluceret, regnum illud, quod ad illud usque tempus ſub tribus regibus floreret, tunc ruinæ ſuæ fundamenta jacturum eſſe, & ab eo tempore res Græcorum ita eſſe dirigendas, ut prima data occaſione regnum Perſicum deſtruant.

§. XXXI. 2. Quod antequam ex hiſtoria illuſtrem, eundem *ſcopum* ex ultimo verſus membro confirmabo. Quartum regem, dicit Angelus, *ſuscitaturum eſſe totum regnum Græciæ;* יעיר הכל את מלכות יון *concitabit totum regnum Græciæ*, ſcilicet, æmulum & hoſtile ſibi, ſuoque regno. Ita enim verterim & intellexerim potius, quam, ut fieri ſolet, *ſuscitabit omnes contra regnum Græciæ.* Verum quidem

dem eſt, Xerxen haud male dici *omnes* excitaſſe Aſiæ populos, & in Græciam duxiſſe: quemadmodum Herodot. l. VII. c. 20. Et Xerxes τῦ ϛρατῦ ὕτω ἐπάγερσιν ποιέεται, χῶρον πάντα ἐρευνῶν τῆς ἠπείρυ *copias militares ita ſuſcitaret, ut omnem continentis locum ſcrutaretur.* & mox c. 21. *quam enim ex Aſia gentem non duxit in Græciam Xerxes?* Dio Chryſ. Orat. XIII. p. 225. etiam habet, eum μετὰ παντὸς τῦ πλήθυς τῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν, *cum omni Aſiana multitudine*, veniſſe. Sic & Ariſtid. in Panath. p. 128. Sed omnibus antiquior Æſchyl. Perſ. vſ. 12.

Πᾶσα γὰρ ἰσχὺς ἀσιατογενὴς,
Οἴχωκε.

Omnis enim vis Aſiatica abiit.

Attamen vulgatæ expoſitioni obſtat 1. quod הכל *omne* hic ad regnum Perſiæ minus recte referatur, ut ex præcedente membro, ubi Xerxes divitias habuiſſe dicitur מכל, *præ omni;* utique non Perſis, eorumque ſubditis, ſed aliis regibus & populis non ſubjectis, liquet. Duplex vero כל *omne* eodem pertinet. 2. quod particula את ante מלכות *regnum* non de *objecto*, contra quod, ſed *ſubjecto* cogitare jubeat. Verbum העיר cum את conſtructum *excitare aliquem*, non *contra* aliquem uſitatius denotat, ut Ezr. I: 1. Jeſ. XIII: 17. Jer. LI. 11. 3. Ratio reddi nequit phraſios, *regni Græciæ:* quia tempore Xerxis ea uſurpari vix poterat; cum Græci nullius viri aut δῦλοι, aut ὑπήκοοι *ſervi*, aut *ſubditi* vocarentur; ut habet Æſch. Perſ. vſ. 242. Quod notiſſimum eſt. Turbavit ſine dubio Interpretes inuſitatior vocum ſtructura, qua את poſt הכל ponitur. Sed elegantiæ & emphaſi orationis id adtribuerim; qua cum *omne* dixiſſet auctor, acſi totum orbem intelligeret, mox ad *regnum Græciæ* refert; illud *omne* digito quaſi oſtendens. Particula את hic

S ſimul

ſimul eſt δεικτική, quem uſum frequenter habet. Sic 1 Sam. xv: 4. Saul recenſuit *Decem Millia* איש יהודה את *ſcilicet virorum Judæ.* Ita hic *omne* ſcilicet *regnum Græciæ.* Plura ſuppeditabit præter alios Cl. Bangius in *Coelo Orientis* Exercit. ii. p. 111.

§. XXXII. Senſus itaque eſt, Xerxen *totam Græciam* concitaſſe, eam expeditam ac fortem faciendo, & contra ſe ſuumque regnum incitando. Quod utrumque verbi העיר uſus admittit, & hiſtoriæ aptiſſime reſpondet: Verbum Hebr. *excitare* ac *concitare* ſignat; & de populis uſurpatur, qui ad magnum aliquod opus efficiendum ſuſcitantur: ut de Medis & Perſis a Deo contra Babylonios ſuſcitatis. Jeſ. xiii: 17. xliii: 25. xlv: 13. Jer. li: 11. Sed ſpeciali ſignificatione *æmulationis* & zeli quoque pollet, quæ vox additur Jeſ. xlii: 13. ſive in bonum, ſive in malum: unde ſignificatio *hoſtis*, quam vox derivata habet, fluxit. Sic Dan. xi: 25. de *virium & cordis* ſuſcitatione contra regem Auſtri eadem amplitudine uſurpatur. De adplicatione ad Xerxen, ejusque expeditiones Græcas, mox dicam: nunc quo dicta redeant obſervemus: Cum Revelatio in rege Perſiæ conſiſtat, qui Græcorum animos & iras ſuſcitavit; & de Perſiæ regibus nihil aliud, ac hoc, referatur: huc unice collineare ſermonem Propheticum dubio carere exiſtimo, ut *occaſio* & *tempus* imminuti & tandem deſtructi regni Perſici exponeretur. Num vero plures poſtea regnarent inter Perſas, & temporis aliquid inter hanc epocham & finem regni intercederet; nec ne? hic nec adfirmatur, nec negatur, ſed in obſcuro relinquitur. At enim, cum verſ. ſequente *rex fortis* in ſcenam producatur, tantum temporis intervallum inter *ſuſcitatum* regnum Græciæ & excidium Perſici regni lapſurum ſignificatur, quantum inter eum caſum, quo iram Græci conciperent, & regis fortis ortum, qui iram eam exequeretur. Cohæret enim pericopa vſ. 2. & 3. acſi legeretur, *concitabit totum reg-*

num

num Græciæ; donec conſtiterit, & impetum fecerit rex Heros &c.

§. XXXIII. Patet, ni fallor, quantopere errant, qui vel hinc tot tantum reges Perſiæ fuiſſe, quot hic numerantur, colligunt, vel lectionem eſſe adfectam, & pro 3 reges 13, pro 4*to* legi debere, 14*um* conjiciunt; ut facit Cl. Clericus Art. Crit. p. 111. Sect. 1. c. 12. qui laudem modeſtiæ hic tamen retulit, cum dubitanter proponat, nihilque in textu mutari velit. Utique ſi alterutra eligenda foret, in hanc potius quam illam deſcenderem ſententiam. Verbum enim propheticum committere cum hiſtoria indubia, mihi periculoſiſſimum longe videtur, & in illud injurioſum; quo illud multum labefactatur. Sed recte ſeſe habet, utrumque a vero longe eſſe alieniſſimum. Unde diſcere eſt, quam timide & prudenter in critica ſacra ſit verſandum; ne violentas manus in ſanctiſſimum Dei verbum injeciſſe videamur; & corrupti potius quam emendati textus notam mereamur.

§. XXXIV. Nihil ſupereſt, quam ut *tres* hosce reges a Cyro oſtendamus, & in ultimum eorum hoc cum maxime quadrare, quod de *divitiis* & *regno* Græciæ *concitato* habetur, ex hiſtoria demonſtremus. *Prius* ſponte ſua ex dictis eluceſcit. Prophetia enim edita eſt anno III*tio* Cyri: poſt ipſum *tres* forent reges, ut phraſis, ecce *adhuc tres reges!* exigit: quartus a Cyro, qui eſt ultimus *trium*, Græcorum iram ſibi conciliaret, quæ data occaſione erumperet in regni Perſici exitium. Hæc cum hiſtoria comparata nos dubitare non ſinunt, quin *tres* illi reges poſt Cyrum ſint *Cambyſes Darius Hyſtaſpis* & *Xerxes*. Qui omnes dici poſſunt *conſtitiſſe*, tum quod regnum vel ampliarunt, vel florentiſſimum & firmiſſimum tenuerunt; tum quod famoſiſſimis expeditionibus, quibus vehementem impetum fecerunt in alios, nomen ſuum celebrarunt. Quam utramque emphaſin verbo עמד ineſſe dixi. Multa quidem cum clade conjunctæ fuerunt expeditiones

ditiones *Cambyſis* & *Darii*, ſed regnum tamen bene tuiti ſunt, & latius extenderunt. Fuerunt quoque Perſæ usque ad infeliciſſimam Xerxis expeditionem *terror* gentium, & Græcorum: ut habet Plato in Menexen, & alii hiſtorici. Imo vel *audire* hoc nomen Græcis terrori erat ante pugnam Marathoniam, teſte Herodot. l. VI. c. 112.

§. XXXV. Quartus rex, Xerxes, hic celebratur *α* a divitiis, *β* a Græcorum regno concitato. *a*. De divitiis & opibus regni Perſarum ſub Xerxe res notior eſt, quam ut comprobare neceſſe habeam, in primis poſt Interpretes, qui nobiſcum Xerxen intelligunt. Vid. etiam Briſſon. de regn. Perſ. l. 1. §. 182. &c. Mihi ſuffecerit Herodot. l. V. c. 49. citaſſe, ubi, de regno Darii Hiſt. loquens, inter alia dicit, in Aſia tantam eſſe divitiarum copiam, quanta non eſt τοῖσι συνάπασι ἄλλοισι *ceteris univerſis*; ut in noſtro loco מכל *præ omnibus*. Suſam quoque *qui ceperit*, eum poſſe *cum Jove de divitiis certare* adſerit. Vid. etiam Æſchyl. Perſ. verſ. 163. ubi Mater Xerxis introducitur metuens,

Μή μέγας πλοῦτος κονίσσας οὖδας ἀντρέψη ποδὶ
Ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός.

Ne magnæ divitiæ pulveris inſtar conſpergentes pavimentum evertant
Felicitatem, quam Darius intulit non ſine aliquo Numine.

Sic ib. vſ. 250. Perſica tellus adpellatur:

—— —— πολὺς πλούτου λιμήν.

—— —— *ingens divitiarum portus.*

Sed,

Sed, quod minus notum eſt, & Xerxen nota caracteriſtica diſtinguit, עשר hic non tantum *divitias* & *opes*, verum etiam *faſtum*, ex nimia opulentia profluentem, comprehendit; plane ut πλῦτος apud Græcos, ut obſervavit Cl. Gronov. ad Arrian. exp. Alex. l. IV. p. 160. cujus haud unum indicium dedit Xerxes, omnium ſuperbiſſimus, & luxurioſiſſimus. De *ſuperbia* vid. quæ protulit Ill. Ez. Spanhem. ad Jul. p. 195. β. Alterum illud, cujus mentionem feci, paulo accuratius tractari meretur. Græcos per expeditiones Perſicas, in primis Xerxis, fuiſſe *ſuſcitatos* cum hic dicitur, *duo*, ut ex ſuperioribus liquet, ſignificantur, 1. Græcorum *virtutem* bellicam ab eo præcipue tempore fuiſſe exſuſcitatam 2. Græcos odium irreconciliabile ab eo tempore concepiſſe in Perſas, non niſi cum horum excidio deponendum. Utrumpue ex hiſtoria egregie firmatur.

§. XXXVI. 1. Prius, quod de Græcis ab ea tempore inclareſcentibus, eorumque animis excitatis, dixi, hiſtorici partim ipſis verbis adfirmant, partim ex eorum geſtis eluceſcit. Appian. Alex. in Præfat. Rom. Hiſt. Græcos poſt tempora Darii Hyſtaspis ἐλλαμπρύνεσθαι μάλιστα *maxime inclaruiſſe* adſerit. Plato in Menex. p. 240. Græcos, ſucceſſu Marathoniæ pugnæ edoctos, pugnas pro ſalute non dubitaſſe ſuſtinere ſequentibus temporibus, oculis in eam conjectis, & hinc primum fuiſſe patefactum, Perſas non eſſe inexpugnabiles, hominumque copiam & divitias *virtuti* cedere, obſervat. Quam ob cauſam Ariſtid. in Panathen. tom. 1. pag. 126. pugnam Marathoniam adpellat, μητρόπολιν τῶν ὕστερον πάντων. Cum vero poſtea acceſſiſſet pugna ad *Salaminem* & *Artemiſium* tempore Xerxis, hæc omnia ita confirmata ſunt, ut claritatis Græcorum epocha hinc potius duci meruerit. Diod. Sic. l. XII. init. Græcorum *gloriam* & *felicitatem* inde repetit. Vid. & l. XIII. p. 154. Quo etiam facit, quod Xerxis expeditio pro *epocha* temporis fuerit adhibita,

ta, ut apud Polyb. l. III. p. 245. Nec alienum fuerit obſervaſſe, ut Græcorum virtus creverit, ſic Perſarum fuiſſe magis magisque imminutam, eo etiam usque, ut Græcis non tantum variis in caſibus ceſſerint, ſed &, quicquid alicujus momenti geſſerunt, Græcorum Militiæ, mercede conductæ, acceptum ferre debuerint. Quod non eſt nihili notaſſe: cum & hinc eluceſcat, quare quatuor tantum reges Perſiæ memorentur, & in Xerxe ſubſiſtatur, quia molles facti ſunt & contemti, & Græci fortes ac clari. Xenoph. κ. π. l. VIII. ſub finem id agit, ut patefaciat, Perſas a virtute majorum multum degeneraſſe, & ἀνανδροτέρους τὰ εἰς τὸν πόλεμον *bellicis in rebus effeminatos* eſſe factos. Qua in pericopa etiam p. 242. Perſas absque Græcis non amplius bellum parare, & exercitus Perſici vim in Græcos milites recumbere, tradit. Curt. l. III. c. 9., ubi dixiſſet in exercitu Darii fuiſſe 30 millia Græcorum peditum, adjungit, *hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicæ Phalangi acies.* Duobus præterea ſpeciminibus ignaviam ſuam Græcis comprobarunt Perſæ, quæ præcipuæ cauſæ fuerunt, quibus Græcis animus eſt additus, ut Perſas adgredi fuerint auſi: quorum alterum in reditu Græcorum, qui cum Xenophonte erant, ab ipſo conſcripto in libris de Exp. Cyri, alterum in Ageſilai, Lacedæmoniorum regis, tranſitu in Aſiam conſpicuum fuit: id quod obſervavit prudentiſſimus Hiſtoricorum Polyb. l. III. p. 226.

§. XXXVII. 2. De ira Græcorum in Perſas ex Darii, & in primis Xerxis, expeditionibus orta, tanquam *cauſa*, vel *prætextu*, de quo vid. Polyb. l. III. p. 226., belli ſub Alex. M. cum Perſis, monumenta Hiſtorica clare teſtantur. Philippus Amyntæ, pater Alexandri, dux Græcorum electus dicitur Diod. Sic. l. XVI. pag. 478. ut Perſarum *impietatem* in Deos Græcorum vindicaret. Quam eandem ob cauſam Alex. M., expeditionem Perſicam ſuſcepiſſe tradit Polyb. l. V. p. 501. & IX. p. 788.

p. 788. Quare Alexander Græciæ, a Perſis ſæpe petitæ, *ultor* electus narratur Juſt. XI: 5. Quod Alexander plus una vice profeſſus eſt. Græcorum animos ut magis irritaret in Perſas, expeditionem Xerxis in memoriam eos duxit apud Curt. l. III. c. 10. Sic in Epiſtola ad Darium Codomannum apud Arrian. l. II. p. 84. *majores veſtri*, dicit, *Macedoniam reliquamque Græciam ingreſſi, damnis nos adfecerunt, quum ipſi prius nulla a nobis accepiſſent. Ego Græcorum Imperator creatus, Perſarum injuriam ulciſci volens, in Aſiam trajeci, a vobis laceſſitus* &c. Denique, ne plura congeram, excidio *Perſepolis*, antiquæ regum Perſiæ ſedis, *parentandum eſſe majoribus; qui a Dario & Xerxe tam gravia eſſent paſſi*, pronunciat apud Curt. v: 6. quod & Strab. Geogr. l. XV. p. 1061. confirmat. Græci hujus ſui animi & propoſiti indicia jam tempore Xerxis præbuerunt, jurantes, ſe Templa, a Xerxe deſtructa, nunquam reædificaturos, ſed monumenta impietatis relicturos; ut ira in Perſas continuo foveretur: ut refert Diod. Sic. l. XI. p. 24. & Pauſan. in Phoc. c. 35. ubi diſerte addit, diruta eſſe relicta, ut ſempiterna τῦ ἔχθυς ὑπομνήματα *inimicitiæ monumenta* exſtarent, & ante omnes Iſocrat. in Panegyr. p. 142. qui & ibi, & alibi ſæpe, ut p. 243, 153. & aliis in locis, immortalem illam Græcorum iram in Perſas memorat, & magis magisque accendit: unde pro præcipuo belli in Perſas impulſore habitus eſt, teſte Ælian. V. H. l. XIII. c. 11. Bellum itaque Perſarum cum Græcis conſpectum *irritationis crabronum* præfert: quod Ariſtoph. Veſp. vſ. 1071. egregie indicat, ubi rationem reddit, quare *chorus* ſpeciem *veſparum* habeat. De Athenienſium fortitudine, ab eo tempore per Barbaros omnium celeberrima facta, ibid. vſ. 1084. luculenter teſtatur.

Ως

Ὥϛε παρὰ τοῖς Βαρβάροισι πανταχȣ͂ καὶ νῦν ἔτι
Μηδὲν Αττικȣ͂ καλεῖσθαι σφηκὸς ἀνδρικώτερον.

Ut nihil feratur nunc per omnes Barbaros
Attico crabrone quicquam fortius.

§. XXXVIII. Ceterum odium Græcorum, tempore Xerxis immortale redditum, & continuo in majus auctum, tandem data occaſione erumperet in bellum, quod Perſarum ruinam ſecum traheret: quemadmodum, ſtatim ac Græci ſub unius regni & regis poteſtatem redacti ſunt, effectui datum eſt. Quam ipſam epocham belli Angelus nobis inſinuatam voluit per phraſin *omnes* ſcilicet *regni Græciæ*. Quæ locutio ſtudio eſt electa, ut de eo tempore, quo Græcorum aliquod univerſale regnum obtineret, cogitaremus. Quod ex hiſtoria confirmatur. Philippus, Græciæ Monarcha factus, animum ad illud bellum mox adpulit, & Alexander, filius & ſucceſſor, executioni dedit. Quod ſolum tempus ad hoc opus erat opportuniſſimum, tum hanc ob cauſam, tum ob alia. De quo multis egit Iſocrat. in Panegyr. & in Orat. ad Philippum. Nec forte multum aberraremus, ſi & hanc inter alias ob rationem Angelum ſolarum *divitiarum* quarti regis feciſſe mentionem dixerimus, ut innueret, quemadmodum Xerxes opibus ſuis elatus Græcos in ſe provocavit, qui Perſis ulciſcendis ab eo tempore imminuerunt, ſic ſequentibus temporibus per easdem divitias iram Græcorum continuo eſſe accendendam, donec in funeſtum illud bellum eruperit. Utique, quod huc facit, poſt infelices Perſarum expeditiones, illi, a bello ſibi cum Græcis caventes, opum elargitionibus *Græcos corruperunt, modo Athenienſes cum aliis committendo, modo Thebanos; ipſi interim ceu quidam ludorum præſides otioſi hoc ſpectaculo fruentes;* quæ verba Polyb. l. IX. p. 788. ſunt.

ſunt. Ipſe Darius Codomannus hanc viam tenuit, & Alexandro majorem prætextum præbuit Perſas invadendi. Inter rationes belli, Dario illati, & hanc dat Alexander in litteris ad eum apud Arrian. l. II. p. 84. quod *pecunias miſerit ad Lacedæmonios* & *Græcos corrumpendos*, & *pacem*, ab Alexandro inter Græcos conſtitutam, *disſolvendam*. Denique, quæ hic de divitiis immenſis habentur, in Dario ultimo ſumma emphaſi vera fuerunt; ut ex hiſtoricis, qui res Alex. M. conſcripſerunt, tralatitium eſt. Qualis Xerxes fuit, qui primus Græcos accendit, talis fuit *Darius*, ſub quo Græci Perſas oppresſerunt.

§. XXXIX. Nihil reſtat, quam ut *quatuor alas avis*, pardo *a tergo* adhærentes, ſive duo alorum paria, ad regnum Perſarum adplicem. Quo fini reſecatis bene multis, quæ de *alis*, earumque ſignificatu emblematico, proferri, & ad hoc regnum transferri poſſent, de quo ad *Leonis* imaginem quædam dixi, præmitti velim, Cyro in ſomnio viſum fuiſſe Darium Hyſtaspis, ἔχοντα ἐπὶ τῶν ὤμων πτερυγας, καὶ τϋτέων τῇ μὲν τὴν Ἀσιην, τῇ δὲ τὴν Εὐρώπην ἐπισκιάζειν, *in humeris habentem alas, earumque altera Aſiam, altera Europam obumbrantem;* ut narrat Herodot. l. I. c. 209. quod de Aſia & Europa, ipſi ſubjicienda, interpretatus eſt Cyrus. Quod quam prope a noſtro abſit viſo, ſponte ſua elucescit. Nec illud obſervatu indignum eſt, *Alarum* numerum quaternarium cum *quatuor* capitibus eſſe comparandum, adeoque, ſingulis capitibus *ala* adtributa, ad *quatuor* Perſiæ primos reges, quos per *capita* intelligi probavi, pertinere, & tale quid repræſentare, quod alarum emblemati convenienter in ſingulis locum habuit. In quo nihil eſt arcesſiti, nihil quod ſponte ſua ſe non commendat. Quatuor enim *capita* & totidem *alæ* in una beſtia non posſunt non ad ſe invicem reſpicere. Accedit, quatuor reges illos fuiſſe *duo* regum paria, ut ſic loquar, reſpectu

& *ortus* & *operis.* Cyrus & Cambyſes, Pater & Filius, primam lineam regiam conſtituerunt; ſicut Darius & Xerxes, itidem Pater & Filius, ſecundam familiam regiam. De quo ſupra egi. Cyrus & Cambyſes regnum partim condiderunt, partim per Aſiam & Ægyptum amplificarunt. Sed Darius & Xerxes ſeſe famoſiſſimis expeditionibus in Græciam celebres fecerunt; & illi etiam ſoli. Priores duo per copias *pedeſtres* & *equeſtres;* militia equeſtri per Cyrum inter Perſas introducta; quod ſingulare fuit; poſteriores per *terreſtres* & *navales*, quod in illis quid peculiare fuit; regni vel dominii pomœria dilatarunt.

§. XL. Quis quæſo, qui hæc adverterit, ſimul & emblematis elegantiam, & noſtræ hypotheſios cohærentiam non perſpexerit? quis *alarum* ſignificatum non ſponte ſua eruerit? Nihil itaque, cum quæ de quatuor regibus modo notavi in vulgus nota ſint, nec noſtra operà indigeant, requiritur, quam ut uno verbo obſervem, quod quoque vulgatum eſt, alas ad regni *amplitudinem*, & *copias* militares earumque expeditiones, qua *terreſtres* qua *navales*, ſenſu figurato referri ſolere: de quo in *prima diſſertatione* egi. Hic, præter Cyri ſomnium, modo ex Herodoto memoratum, citaſſe ſuffecerit Jeſ. VIII. ubi *alæ* regis Aſſyriæ *obtegere* dicuntur *terræ Judææ latitudinem.* Jer. XLVIII: 40. Dan. IX: 27. Equitatu per Cyrum introducto Perſas ſibi viſos fuiſſe *alatos*, ſupra obſervavi; ubi *ſignum* Cyri & ſucceſſorum, *aquilæ* ſcilicet cum *alis* expanſis, etiam in medium produxi. In *claſſes* & expeditiones *navales* recte convenire, nihil eſt vulgatius. Sic naves ὁμόπτεροι *ſimiliter alatae* dicuntur Æſchyl. Perſ. verſ. 559. ſed *velorum alis* quid apud Poëtas uſitatius?

§. XLI. Hiſce viſis, ad regnum Perſarum pertinentibus, ſubjungenda eſt prima pars viſi cap. VIII. eodem referenda, ut, quicquid de regno perſarum in parte libri

bri prophetica occurrit, ſub conſpectum ſiſtatur. Verba c. VIII: 3, 4. ita habent. *Et ſublatis oculis vidi, & ecce arietem unum ſtantem ad fluvium*, cui *duo erant cornua excelſa, ſed alterum altero excelſius, & excelſius poſterius ortu. Vidi arietem cornibus impetentem occaſum, ſeptentrionem & meridiem verſus, coram quo nullum animal conſiſtere poterat, nec erat quod ex ejus manu eriperet: adeoque faciebat quicquid libebat, & ſe magnifice extulit.* Quæ verba *arietem* deſcribunt, duobus cornibus altis, ſed *ortu* & *celſitudine* inæqualibus, præditum; verſus tres cœli plagas cum inſuperabili robore arietantem, & omnia ſubigentem. Regnum Perſicum, ab Alex. M. deſtructum, per *arietem* depingi, ex ſequente viſi parte de *birco*, & ipſius Angeli explicatione, tam eſt manifeſtum, ut diſſenſui locus relictus nullus ſit. Sed num *ſolum*, a tempore Cyri Monarchæ, an cum *Medico*, ſub rege aliquo Medorum, conjunctum? magis dubium eſt; non tam ex ipſo emblemate, quam ejus interpretatione, ab Angelo data vſ. 20. *Aries, quem vidiſti, bicornis reges ſunt Medorum & Perſarum.* Quæ verba de diverſis, vel regibus, vel regnis, Medorum ſcilicet & Perſarum, ceperunt paſſim Interpretes, & *duo* cornua ex eo principio inter *Medos* & *Perſas* diviſerunt, alterum ad Medos, alterum ad Perſas, licet diverſa ratione, adplicantes. Quod brevitatis ergo latius nec explico, nec refuto.

§. XLII. Mihi de ſolo Perſarum, ſeu Cyri & ſucceſſorum, regno, Medorum nulla habita ratione, hic agi omnino videtur. Cujus opinionis ſequentes habeo rationes: quas, quam potero, breviſſime exhibebo. 1. Regna Medorum & Perſarum ſunt *diverſa* & *ſeparata*, gentis, regum & temporis, reſpectu, quæ per unam beſtiam repræſentari nequeunt. Ante Cyrum Monarcham penes *Medos* fuit ſumma Orientis, & regnum Medorum: poſtea ſub Cyro incepit *Perſicum*, nec ante, nec poſt, um-

quam *Medo-Perſicum*: nec in regno Medorum ſucceſſit Cyrus, ſed regnum ſuum ei ſubſtituit. Medico ſubacto ſucceſſit regnum Perſarum ſub Cyro & ſucceſſoribus. De quo ex Daniele & exoticis ſcriptoribus in ſuperiore *Diſſertatione* pluribus diſſerui. Duo itaque *cornua* unius beſtiæ ad *Medos* & *Perſas* referri ſe non patiuntur. 2. Regnum Perſarum hic intelligitur, quale non tantum ſub Cyro in initiis, ſed & progreſſu temporis ſub ſucceſſoribus usque ad finem regni ſe habuit: quod tum ex geſtis *arietis*, tum ex impetu Hirci in eum, quo *duo* cornua ſunt *confracta*, vſ. 7. eluceſcit. Si itaque in initio *duo* fuiſſent regna, aliquo modo conjuncta, ut ſub Cyaxare & Cambyſe, vel Cyro, volunt, illud *ſequenti* tempori adcommodari nequit. 3. Regni Perſici, per *arietem* depicti, clarum criterium eſt in *loco*, in quo *aries* ſtetiſſe viſus eſt Danieli; ſcilicet ad fluvium *Ulai*, vel *Eulaeum*, in provincia *Elam*, prope *Suſam*, ubi tum vel erat, vel ſibi eſſe videbatur Propheta: quod mihi nunc perinde eſt. *Suſa* fuit Metropolis regni Perſici, & non Medici aut Medo-Perſici. Quod ſi Cyaxaris & Medorum regni aliqua ratio fuiſſet habita, & *unum* cornu eo pertinuiſſet, *Ecbatanae*, vel in regno ejus, debuiſſet *aries* conſtitiſſe; quia ſublimius erat in principio *prius* cornu, ſeu Medicum, ut communis vult interpretatio. Medicum itaque regnum, & antiquius, & hoc tempore potentius, cui etiam ſubjecti fuerunt Perſæ, locum & ſtationem *arieti* præbuiſſet. 4. Regna Medica & Perſica per diverſa emblemata, tum in *Statua* Nebucadnezaris, tum in viſo *quatuor* animalium, repræſentata, hic minus congruenter ſub unius *arietis* imagine venirent. Quæ enim tanquam diverſa & ſucceſſiva in *ſtatua* & *animalibus* conſpicienda præbentur, ut hypotheſes noſtræ ſupra demonſtratæ habent, unius animantis *cornua*, quæ regna expingunt, fieri commode nequeunt.

§. XLIII. Accedit 5. communem ſententiam ſubleſto valde

valde niti fundamento. Phraſis enim, *reges Medorum & Perſarum*, verſ. 20., quæ unicum hypotheſios fundum præſtat, de diverſis regnis, & eorum regibus, non neceſſario intelligitur; ſed ejusdem regni Perſici ſucceſſores facile admittit: ut ex Libro Eſtheris patet, in quo principes *Perſarum* & *Medorum*, imo commentarii *regum Medorum* & *Perſarum* memorantur. Nec tamen niſi ſolius regni Perſici, ſi *Ahaſuerus* ſit rex Perſarum, & non Medorum, quæ receptior & verior eſt opinio, ſignificantur. Eadem ratione *Medorum* & *Perſarum* reges audiunt hoc in Dan. loco ſoli *Perſarum* reges: quemadmodum quoque *Perſarum* & *Medorum* reges adpellantur ab Arrian. Exp. Alex. l. VII. c. I. Nec longe remota eſt denominationis ratio. I. Inde repetenda, quod, regni Perſici fundator, Cyrus, arctam habuerit ad *Medos* relationem; tum quod vel per matrem, vel uxorem, vel utramque regiæ Medorum familiæ fuerit inſertus, eoque nomine jus ad regnum Medorum habuerit, tum quod Cyrus cum Perſis regnum Babylonicum prima vice, ſub Medis & eorum auſpiciis, ad Medos transtulerit, tum denique quod, Medis primum ſubjectis, eorum ope regnum dilataverit, & Monarchiam condiderit. 2. Accedit, Medorum mores in Perſas fuiſſe transfuſos, & cum regno eorum ad Perſas ita tranſiiſſe, ut Perſæ in Medos degenerarint; cum iis hac parte adeo commixti, ut Medorum magis quam Perſarum formam & habitum prætulerint Perſæ; adeoque *Perſarum* quidem regnum ſed ſpeciem *Medicam* indutum, & ſic *Medorum* ac *Perſarum* regnum, haberi debeat. De quo luculenter teſtatur Xenoph. κ. π. l. VIII. p. 241. nec non Strab. l. XI. p. 797. ubi inter alia dicit: *Perſicum veſtitum, ſagittandi ac rei equeſtris ſummum ſtudium, regumque cultum, ornatum & honores quaſi divinos, qui regibus a ſubditis habentur, a Medis veniſſe.* Unde etiam ortum, eſt, quod huc egregie quadrat, Perſarum & Medorum confuſum nomen apud

Græcos; qui Perſas paſſim *Medorum* nomine adpellare ſolent. Quæ loca apud Xenoph., Thucyd., Iſocrat., Plut., Diod., Sic., & alios adeo frequentia ſunt, ut ne citari quidem debeant, nemini, niſi plane in Veterum libris hoſpiti, ignota. Hinc etiam bellum Græcorum cum Perſis μηδικὸν adpellari, &, qui Perſis favebant, illi μηδίζειν dici ſolent. Regno itaque Medorum ad Perſas translato, & omni eorum inſtituto a Perſis adſumto, quid mirum Medorum & Perſarum reges adpellari *Perſiæ* reges? in primis cum unitis viribus Monarchias ſuas condiderint, Medi Perſarum, & Perſæ Medorum ope adjuti; & Cyrus tam arcto Medis vinculo fuerit conjunctus. Quod vero *Medi* præponantur in phraſi, *reges Medorum* & *Perſarum;* nemini ſcrupulum injiciat, quia partim id promiſcue fit in libro Eſtheris, partim nomini Medorum tempore Danielis longe celebriori, partim etiam moribus Perſarum a Medis ortis, adtribui poteſt.

§. XLIV. Sint itaque reges Perſiæ, qui hic Medorum & Perſarum reges adpellantur, eosque per arietis *cornua* expictos ſtatuamus; & cuncta prono alveo fluent. Quod paucis exponam. 1. *Aries*, quem omnes norunt eſſe lanigerum, petulcum & cornupetam; regni Perſarum, tum opum & divitiarum, tum roboris, tum impetuoſitatis, qua in quoscunque populos irruit, reſpectu, imaginem gerit ſatis claram. Aries apud Perſas expingit, teſte Achmete, *divitias* ob lanam, quod Ill. Grotius recte notavit: eſtque aptum *virorum bellicoſorum* emblema: de quo vid. C. a Lapide, & alii. 2. *Duo cornua*, eaque, quod in hoc ariete plane ſingulare eſt, *excelſa*, quæ præcipuam merentur animadverſionem, non duo regna, Medicum & Perſicum, aut duo illorum reges, quod modo refutavi, ſed duos clariſſimos, eosque fortiſſimos, unius regni Perſici *reges* ob oculos ponunt, *Cyrum* & *Darium Hyſtaspis:* ſed utrumque, tanquam familiæ regiæ auctorem, & una cum ejus lineæ ſucceſſoribus; adeoque Cy-

rum

rum cum Cambyſe, & Darium cum Xerxe; ita tamen ut *Cyri* & *Darii* præcipua ratio ſit habenda. *Cornua* enim in hisce viſis potentiſſimos reges, eosque vel regni conditores primos, vel ejus novos ſtatores & propagatores, vel novæ familiæ autores, una cum ſucceſſoribus repræſentant: de quo poſtea commodior erit agendi locus. Quæ omnia in Cyrum & Darium apte quadrant. *Darius* autem diſtincto *cornu* expingi meruit, cum quod regnum, per Cambyſen haud parum debilitatum & obſcuratum, priſtinæ gloriæ & potentiæ reddiderit, quod Plat. de Leg. l. III. obſervavit; tum quod multis modis auxerit & dilataverit, tum quod novæ familiæ parens fuerit. Poſtea quidem *Darius* Codomannus ex alia ſtirpe, licet cognata, ortus eſt, ſed *cornu* lineas non præſtitit; cum in ipſo conciderit totum regnum Perſicum, & *duo* cornua regni Perſici fracta ſint.

§. XLV. Ad *duos* hosce Reges recte adplicatur cornuum, & ortus & celſitudinis reſpectu, inæqualitas, qua alterum altero fuit *poſterius* & *excelſius*. Hunc enim intellectum præbent verba, *& unum altius præ ſecundo*, & *excelſius adſcendit* poſtea. Ill. H. Grotius vertit: *primum celſius erat ſecundo*, & *excelſius* (illo) *id quod attollebatur*, refertque *primum* cornu ad Cyrum, ſecundum ad ſucceſſores, & *ultimum* cornu, ipſo primo excelſius, ad Darium Codomannum, divitiis & opibus illuſtriſſimum omnium. Quæ interpretatio & textui & emblemati cornu adverſatur. 1. *Duo*, & non tria vel plura, cornua vox dualis formæ, quæ in textu eſt, neceſſario requirit; a quo diſcedendi nulla eſt ratio urgens. Quid? quod *duo* cornua ipſis verbis memorentur vſ. 7. quæ ad *cornua* vſ. 3. manifeſte reſpiciunt. Præivit quidem in opinione de *pluribus* cornibus Joſephus Ant. X: 11. ſed inde nihil auctoritatis accipit, niſi quam *antiquitas*, perverſa *veritatis* norma, adferre ſolet. 2. Hiſtoriæ quoque non eſt conſentaneum, Cyrum reliquis omnibus *elatiorem*, multo minus omnium celſiſſimum dici *Darium Codomannum*, qui ne

ne quidem pro *cornu* haberi poteſt, cum nihil ei ſimile præſtiterit, nec arietaverit quaquaverſum, ſed impetum Hirci ad ſuam perniciem tantum paſſus ſit. Darium Hyſtaspis Cyro in regno proferendo fuiſſe ſuperiorem, quo hic reſpicitur, mox obſervabo. 3. Aberrat denique Vir Magnus in utroque membro exponendo, maxime in poſteriore. Prius, *unum altius ſecundo*, non ſignificat, *primum altius ſequente*, ſed *alterum altero* excelſius, ut ſtylus Hebræus fert, quod non eſt ignotum. Cui robur accedit ex poſteriore, vel ultimo verſus membro, & *excelſius adſcendit poſterius*, quo clare indicatur, excelſius illud cornu non eſſe *prius*, ſed *poſterius* ortu. Vox והגבוה manifeſte ad præcedens cornu *unum*, elatius ſecundo, pertinet, ut vel inſpicienti apertum eſt: nec ferri poteſt interpretatio, & *excelſius*, ſcilicet illo ſecundo cornu, *aſcendit poſtremo*. Cum enim uno tenore dicatur, *unum excelſius altero*, & *excelſius illud adſcendit poſterius*, quis non ad excelſius illud unum præ altero retulerit? Ceterum cum excelſius illud cornu *poſterius aſcendiſſe* legatur, vulgo in eo errari exiſtimaverim, quod *duo* cornua *tempore* æqualia habeantur, cum *poſterius* ortu diſerte dicatur. Verbum enim עלה, *adſcendit*, ad ortum pertinet, ut vſ. 8.

§. LXVI. Senſu conſtituto, num is in Darium Hyſtaspis conveniat, videamus? Eum fuiſſe Cyro poſteriorem, per ſe liquet. Sed fueritne *cornu elatius?* forte non ita clarum eſt. Virtute heroïca, rebusque geſtis, aliisque laudabilibus qualitatibus eum Cyro neutiquam prætulerim; nec illud hic in cenſum venit. Verum 1. in regno illuſtriore & ampliore reddendo primas ipſi defero; quod *divitiis*, *ſplendore*, expeditionibus bellicis, & *finium* prolatione, regnum Perſarum ſub Dario elatius fuerit, quam ſub Cyro. De quo nemo, qui ad Darii expeditiones adtenderit, & gentes Aſiæ ac Europæ ſubjectas conſideraverit, dubitaverit. Darium *non pauciores, quam Cyrus*

reli-

reliquerat, *regiones ſubjugaſſe*, dicit Plato Leg. l. III. p. 695. Quo ſomnium Cyri de Dario, duabus alis inſtructo, quibus *Aſiam* & *Europam* obumbraret, de quo ſupra, manifeſte tendit. Accedit, 2. *Darium*, ſi ad familiam ejus regiam, cujus caput fuit, advertas, Cyro in longa ſerie ſucceſſionis fuiſſe illuſtriorem. 3. Nec nihili eſt, ſub Dario & Artaxerxe, uno ſucceſſorum ejus, Templi & Hieroſolymæ inſtaurationem fuiſſe abſolutam, & populo Dei plura bona contigiſſe. Cujus reſpectu *excellentius* cornu fuit. Quod ſpernendum non eſt, cum populi Dei ratio in his viſis habeatur. Denique, 4. quid addere vetat, regnum Cyri ſub Cambyſe depreſſius factum, & haud uno modo concuſſum ac obſcuratum, in *Dario* longe illuſtrius reſurrexiſſe, & in *altius* fuiſſe eductum. Quod ſupra a Platone de Leg. l. III. p. 694. vidimus notatum. Poſſem quoque ex Æſchyl. Perſ. multa in hanc rem producere, quæ de *Darii* ſumma *gloria*, felicitate, *potentia*, & regni *amplitudine*, teſtantur; ſi neceſſe foret, & prolixiori eſſe liceret. Vid. vſ. 654, 782, 855, 866. &c. 5. Sed illud in primis adtendi autumem, quod temporibus Darii & ſucceſſorum *aries Perſicus* pro lubitu *egerit*, & ſe *extulerit*: de quo mox.

§. XLVII. 3. Arietatio verſus tres cœli plagas, Occaſum, Septentrionem & Meridiem, tanto impetu & robore facta, ut nulla beſtia ei reſiſtere, nihil ei quid eripere potuerit, elegantem præbet cum impetuoſi ac irrequieti Perſarum, eorumque regum, animi, quem in Cyro notavit Herodot. I: 190. & de Deceſſoribus ſuis teſtatur Xerxes ibid. l. VII. cap. 8. dicens, οὐδαμᾶ κω ἠτρεμήσαμεν, *nunquam conquievimus*: tum inde ortarum expeditionum bellicarum imaginem; quibus quosvis totius Aſiæ majoris & minoris, & Ægypti ac Africæ, populos tanto cum ſucceſſu adgreſſi ſunt, ut, quod de Cyro diſerte dicit Herodot. I: 204. *nulla gens potuerit evadere*. Quod & Cyri & Darii geſta abunde comprobant. *Aſiæ minoris* popu-

los verſus *occaſum*, Lydos, Ponti & Caspii accolas, & Thraces verſus *Septentrionem*, Syros, Ægyptios & Afros ad *meridiem*, ſibi ſubjecerunt: ut ex hiſtoria notum eſt. Nec erat, qui aut impetum retundere, aut *ſubjectos* liberare poſſet: eo enim *illud*, *eripere ex ejus manu*, refero. Licet Babylonii, Ægyptii, Iones & Aſiæ minoris incolæ, haud una vice rebellarint, ſeſeque Perſarum dominio eripere tentarint, operam ſemper luſerunt. *Orientis* nulla fit mentio, quia Aries ibi ſtare, & inde arietare repræſentatur, & præcipuus impetus alio ſeſe vertit, verſus tres cœli plagas memoratas. In quibus nihil eſt difficilis, nihil quod hiſtoriæ non plane imperito moras injicit. Plat. in Mexenen. p. 239., cujus teſtimonium addidiſſe ſuffecerit, de Dario loquens, Eum omnes, quos impetebat, ſubegiſſe tradit, ὥςε μηδὲ ἀξιῶν ἀντιπαλὸν αὐτῷ μηδένα εἶναι, *ut nemo illi prorſus auderet obſiſtere*: imo quod addit, *omnium mortalium mentes formidine conſtrictæ tenerentur*. Unde Græcis vel *nomen Perſarum audire terror* erat ante pugnam Marathoniam: Herodot. l. VI. c. 112.

§. XLVIII. 4. Denique de *ariete* dicitur, eum *feciſſe pro lubitu*, & *ſeſe magnifice extuliſſe*. Quibus verbis, & digito quaſi *cornu* illud *excelſius* monſtrari, & periodum regni, qua nimia ſua inſolentia, ſuperbia & cupiditate, fundamenta ruinæ ſuæ jecit, deſcribi autumaverim: quam nuda prophetia c. XI: 2., ſupra expoſita, clariore in luce collocavit. Significatur itaque 1. infinita fere opum & divitiarum copia, qua ſe jactarunt, & ſtatum regni eſſe firmiſſimum, quo omnibus gentibus leges ponere poterant, crediderunt. Quod c. XI. *divitiis ſe validiſſimum* opinari, *hic*, *ſeſe magnifice efferre*, apte exprimitur. Verbum enim Hebr. חיל, quod proprie *multis filis implicari*, & ſic *denſius intorqueri* denotat, ut ex Arab. Lingua docuit Cl. Schult. de Defect. §. 202. hinc inter alia ad *fortunas*, *opes* & *res*, tranſitum fecit, & *divitiis*

validum

validum eſſe, ac *invaleſcere* denotat: ut Gen. xxiv: 35. xxvi: 13. 2 Reg. iv: 8. Eccleſ. ii: 9. De quo regni Perſici ſub Dario & Xerxe caractere ſupra egi. 2. Adfine eſt, quod reges Perſiæ omnibus legibus ſe ſolutos gesſerint, & cum ſubditis, ac toto fere orbe, ſe pro *arbitrio* & numine ſuo agere poſſe, præ ſe tulerint. Quod ut primum ſub *Cambyſe* incepit, & regnum ejus ſimul concuſſit, ſic ſub Xerxe in primis invaluit, & viam ad regni deſtructionem ſtravit: ut Plat. Leg. l. iii. p. 695, 697. egregie obſervavit. Sub Cambyſe perniciosiſſimum illud & deteſtandum audiri primum cepit, τῷ βασιλεύοντι περσέων ἐξεῖναι ποιέειν τὰ ἂν βούληται, *regi Perſarum licere, quicquid lubet, facere*. Herod. iii. c. 31. Quod a Dario temperatum poſtea ſub Xerxe & ſucceſſoribus omnem vim exſeruit: quando ſubditi pro *ſervis*, & Reges pro *Dominis* habiti ſunt. De quo vid. Briſſon. de regno Perſ. l. 1. §. 34. Imo Xerxes ſe in epiſtolis *omnium hominum ab ortu ſolis ad occaſum Dominum* jactavit, teſte Æſchin. Orat. in Cteſiph. p. 293. quin *aquæ* etiam & *terrae* Dominum apud Herodot l. vii. c. 35. Quid? quod *cuncti fere mortales* adoraverint Perſarum Majeſtatem, τὰ δὲ πλεῖστα ἐξ ἐντολῆς τῷ βασιλεῖ κατηργάζετο, & *pleraque regi ex mandato peragerentur*: ut verba habent Ariſtid. Orat. in Miltiad. tom. ii. p. 168. Quod hic dicitur, *pro arbitrio agere*. Sed prætermittendum non erat, hoc ipſum τὸ δεσποτικὸν Perſarum Græcos tempore Xerxis non tantum tanta virtute in Perſas induiſſe, ne ſub eorum *dominium* caderent; ſed & inter immortalis odii eorum in Perſas cauſas fuiſſe. vid. Æſchyl. Perſ. vſ. 402. Iſocrat. in Panathen. pag. 526. Ariſtot. Polit. i: 1. ac tandem regnum Perſiæ deſtruxiſſe. Plat. leg. iii. p. 697.

§. XLIX. 3. Nec inepte huc referri putem, ſuperbum *Regis Magni* titulum, quem Perſarum reges ſibi ſoli vindicarunt, ſoli etiam, ut Dio Chryſ. Orat. iii. pag. 42. tradit, geſſerunt. Quare μεγάλου *Magni* nomine ali-

quando abſolute venit rex Perſiæ. De quo ſi quis plura velit, is adeat Briſſon. regn. Perſ. l. I. §. 2. & Stanlej. ad Æſch. Perſ. vſ. 24. Meum fuerit, quod in rem eſt, non intactum reliquiſſe, ipſum hunc titulum Græcis ægerrime feciſſe, eosque etiam exſtimulaſſe ad regnum Perſiæ delendum: ut videre eſt apud Iſocrat. ad Philipp. pag. 213. & Arrian. exp. Alex. l. VII. c. I. 4. Denique ad Regnum Perſarum intolerandam inſolentiam & ſuperbiam digitum intendi exiſtimaverim, qua ſe ultra limites, a primis regni conditoribus fixos, nimis extendentes, & enormiter ſupra *prius cornu* elevantes, *ambulare* inceperint *in magnis prae ſe*, ut phraſi Pſ. CXXXI: I. utar, & Græcos, totamque Europam ſibi ſubjicere adgreſſi ſunt. Qua ratione Græcorum oculos exacerbarunt, iisque ad *cornua* ſua frangenda aditum aperuerunt. Huc facit *a.* Darii & Xerxis *inſolentia*, *aquam ipſam terramque poſtulantium*, *ut neque fontium hauſtum*, *nec ſolitos cibos relinquerent*; quæ verba ſunt Alexandri ad Græcos, ut eos in Perſas accenderet, apud Curt. l. III. c. 10. Quod cum primum tentaret Darius, adeo indigne tulerunt Græci, ut legatos alios in *puteum*, alios in *barathrum* præcipitaverint; teſte Herodot. l. VII: 133. & Polyb. IX. p. 793. Plura de hoc Perſarum more in bello indicendo ſuppeditat. Briſſ. regn. Perſ. l. III. §. 66. 2. Intoleranda Xerxis ſuperbia, qua *omnium regum cogitationes ſuperavit*, & *nihil non mirandum molitus eſt*, ut de eo habet Ariſtid. Panathen. p. 127., quaque ſe & *omnium hominum* ab *ortu* ad *occaſum*, & *aquæ* ac *terræ dominum jactitavit*; quorum *illud* de ipſo tradit Æſchin. contra Cteſiph. l. c., *hoc* Herodot. l. VII. c. 35. 3. Denique Græciam ac Europam occupandi, & dominium usque ad fines terræ extendendi deſiderium, quod nullos terminos novit. Sic Xerxes in oratione ad Perſas apud Herodot. l. VII. p. 8. ſe *terram* Perſidem, Græcis primum devictis, τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμορέουσαν, *ætheri Jovis conterminam*, *totam Europam permenſum omnes terras* μίαν χώραν *unam regionem*

gionem redditurum, ſibi arroganter ſumſit. Conferatur etiam Ariſtid. Panathen. p. 121, 127. Deſino in verbis Neoptolemi Tragœdi, quibus Perſarum tumidos ſpiritus perſtrinxit apud Diod. Sic. l. XVI. p. 480. φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον, καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας, *vos æthere celſiora cogitatis*, & *ampla ſpatia terræ.* Ecce *cornu excelſiſſimum!* en ſublimiſſime ſeſe efferentes reges!

DISSERTATIO QUARTA

DE

PRIORE PARTE REGNI QUARTI EXPICTA PER

CRURA FERREA IN COLOSSO

CAP. II: 33.

QUARTAM BESTIAM

CAP. VII: 7.

ET

HIRCUM UNICORNEM

CAP. VIII: 5—8.

§. I.

QUartum Regnum tribus repræſentatur emblematibus, & prolixe deſcribitur in emblematum expoſitione, & in nuda prophetia cap. XI. Emblemata vero ſunt, *crurum* ex ferro, & pedum ac digitorum ex *ferro* & *luto* ſecum permixtis, in Imagine c. II: 33. *Beſtiæ* prorſus ſingularis, & terribilis, *Decem* cornibus inſignis, inter quæ *parvum* aliquod ſubnatum *tria* eradicavit, & ſeſe mirifice extulit, in viſo quatuor belluarum,

C. VII:

c. VII: 7, 8. *Hirci* primum *unicornis*, dein *quatuor*, in *unius* locum, & ex uno illorum *nati* omnium terribiliſſimi & ſuperbiſſimi. c. VIII: 5—12.

§. II. Interpretes, inter quos in *tribus* præcedentibus regnis fere convenerat; circa *quartum* hoc imperium in *duas* generales partes ſcinduntur. Alii enim *Romanum*, alii *Græcum* in *Statua* & *quarta Beſtia* ob oculos poni exiſtimant. Quorum *illi* antiquitate & numero quidem ſuperiores ſunt: præter Joſephum enim antiquos Eccleſiæ Doctores, quos Patres adpellant, & multos recentioris & medii ævi, ejus eſſe opinionis, in vulgus notum eſt: attamen nec *poſterioris* ſententiæ patroni antiquitate & numero deſtituti ſunt. Utique *aliquos pietatis magiſtros* quartam beſtium de *Lagidis* & *Seleucidis* fuiſſe interpretatos, & *quartum* regnum in coloſſo ad Alexandrum & ſucceſſores retuliſſe, obſervavit Theodoretus ad Dan. II. & VII. Imo cunctos fere ſui temporis Interpretes & Theologos in ea fuiſſe opinione fatetur *Launeus* ad Dan. II: 33. de quo etiam teſtatur Paræus, ubi dicit, *noſtri Interpretes quartam beſtiam de regno Aſiatico, quod Seleucus condidit, interpretantur*. Poſſem eorum ſatis longum texere catalogum, ſi illud tanti foret. Sed utilius fuerit notaſſe, utriusque partis Interpretes ſecum in ipſa hypotheſi haud leviter diſſentire. *Prioris* enim partis alii Romanum Imperium usque ad tempora Chriſti, alii illud usque ad finem mundi, vel, ut alii, ad glorioſum Eccleſiæ Chriſti ſtatum in terra ante ultimum judicium, extendunt. Quæ diſcrepantia ex *regni quinti*, quo Filius hominis & ſancti regnarent, diverſo initio, vel cum Chriſto nato aut exaltato, vel cum ſecundo ejus adventu ad regnum glorioſum condendum, repetenda eſt. Quintum enim hoc regnum cum *quarto* connectitur, tanquam cui ſuccederet, & cujus ruinis ſuperſtrueretur. *Poſterioris* partis alii Lagidarum ſimul & Seleucidarum, alii Seleucidarum ſolorum dominatum depingi ſtatuunt. Quod ſententiarum divortium diverſisſimas

ſſimas partium horum viſorum interpretationes, ut neceſſe erat, peperit, adeo ut iidem, qui in generalem hypotheſin conſentiunt, in diverſiſſima abierint, ne dicam *decem* cornua, & unum *parvum* cornu ab ipſis illis, qui eandem ſpecialem tenent opinionem, alio & alio modo tanta cum varietate exponi, ut vix, in quo pedem figas, habeas. Cujus conſpectum mox dabo. Mitto eos, qui in *ſtatua* & viſo *quatuor beſtiarum* diverſa, & non eadem regna vident delineata, ut Jungmannus, qui quartam ſtatuæ partem de Lagidis & Seleucidis, quartam feram de Romanis interpretatur, & Coccejus, qui, in viſo animalium prorſus ſingularis, quartam beſtiam in *Romano-Germanico* Imperio quærit.

§. III. Noſtra cogitata, quæ, licet ad poſterioris partis interpretes propius accedant, ab utraque parte, & in generali hypotheſi, & in ſingulis partibus diſcedunt, antequam in medium proferam; ea non abs re fuerit exhibuiſſe, quæ, quominus in alterutra parte acquieſcam, impediunt. In *priore* ſententia de Imperio *Romano* illud 1. vehementer offendit, quod regni Lagidarum, & in primis *Seleucidarum*, vel *nulla*, vel *minor*, quam debebat, in his viſis ſecundum hanc hypotheſin habeatur ratio. Nullus ei relinquetur locus, ſi tertium regnum fuiſſe Perſicum, quæ noſtra eſt opinio in præcedente diſſertatione adfirmata, admittatur: ſed ſi vel *tertia* imaginis pars ac *tertia* beſtia pro imagine regni Macedonum, ſeu Alexandri & ſucceſſorum habeatur, quæ vulgata eſt opinio, locum in his propheticis imaginibus teneret, nec *ſtatui* populi Dei ſub Seleucidis, nec ſequentibus hujus libri partibus, nec ſcopo vaticiniorum conſentaneum. De *tertia* fera nihil aliud dicit Angelus ac *datum ipſi eſſe imperium*, nihil etiam aliud Daniel in expoſitione ſomnii Nebucadnezaris; *quarti* imperii adcurata & prolixa utrobique traditur notitia, eaque in ſpecie reſpectu populi Dei, ſub illo graviter adfligendi. cap. VII: 21, 24, 25. Regnum Seleucidarum tranſilire, &

Ro-

Romanum fuſe deſcribere, repugnat *α.* ſtatui Eccleſiæ Judaicæ, primum adflictiſſimo, dein proſperrimo & glorioſo, ſub Seleucidis: ut ex hiſtoria Maccabaica conſtat. Hunc tam notabilem eventum, & in verbo Prophetico & in hiſtoria ubique celebratum, in duobus tam illuſtribus viſis profundo involvi ſilentio, nequidem digito intendi, quis demum eſt, cui probabile fieri queat? maxime ſi 1. ad animum revocet, prophetias de regnis peregrinis, populi Dei cauſa, & ad eum relate, fuiſſe factas: 2. fata Judæorum ſub *Seleucidis* & *Romanis* ſecum comparaverit. Graviſſima non tantum quæque paſſi ſunt Judæi ſub Antiocho Epiphane & ſucceſſoribus, ſed inprimis cum adhuc eſſent *populus Dei*, & *qua* talis fidei & religionis cauſa; nec ſuccubuerunt tantis malis, verum glorioſiſſime & multis cum divini auxilii ſignis ea ſuperarunt, & proſperrimam adepti ſunt ac liberam rempublicam. Sub Romanis vero nihil ipſis accidit, quod ſuis inteſtinis turbis, dein ſceleribus, ſeditionibus & rebellione, ipſi in ſe non derivarint; nec præter *ſervitutem* tolerabilem aliquid paſſi ſunt, niſi poſteaquam *populi* Dei nomen perdidiſſent. Tantum abeſt, ut cauſa Dei & religionis fuerint adflicti, ut tanquam hoſtes Dei & Meſſiæ cum republica fuerint juſto Dei judicio deſtructi. Unde liquet, prioris adflictionis, non poſterioris calamitatis, vel judicii Dei in ipſos, mentionem debuiſſe fieri in prophetica regnorum deſcriptione, quibuscum Judæis res fuit: quia regna hic ſub *ferarum emblemate* veniunt, & populus Dei titulo *ſanctorum* ornatur: cap. VII. 21, 25. Ex quo etiam elucet, adflictionem Judæorum per *Romanos* intelligi non poſſe per bellum beſtiæ quartæ cum ſanctis, ſed vel Syro-Macedonum cum populo Judæo, vel Romanorum cum Chriſtianis. Quod poſterius ab omni probabilitate abhorret, cum quod veteris populi & Eccleſiæ Dei, ejusque adflictionis & liberationis, tam ſingularis, tam ſtupendæ, nulla fuiſſet ratio habita, licet

in ejus præcipue uſum prophetiæ fuerint editæ, tum quod comparatio inter geſta *parvi cornu*, cap. VII. & VIII. & collatio cum cap. XI. & XII. de eadem re omnibus illis in locis agi manifeſtum faciat: de quo mox.

§. IV. *β*. Regnum Seleucidarum levidenſi brachio perſtringere, ne vel minima populi Dei ſub eo facta mentione, ſicut ſtatui Judæorum, & *relationi* eorum ad hoc regnum, adverſatur: ſic cum ſequentibus viſorum hujus libri partibus conciliari nequit. Cum enim cap. VIII, XI, XII. populi Dei viciſſitudines, ſub Alexandri M. ſucceſſoribus, vividis coloribus depingantur, eaque vaticinia ad generalia viſa illuſtranda pertineant, ut ex viſorum collatione ſponte ſua eluceſcit: quid magis abhorret, quam in generalibus viſis ne verbum de fatis Judææ gentis, & de Eccleſiæ Chriſtianæ fatis tam multa haberi? maxime cum quæ de *parvo cornu* cap. VII. habentur, iisdem fere verbis ad *Seleucidas*, & Antiochum Epiphanem, & Maccabæos referantur cap. VIII. & XI. ut ſuo loco patebit. *γ*. Fata Judæorum ſub Seleucidis ſilentii peplo involvi in viſis generalibus *ſcopus* eorum non permittit. Is enim totius hujus libri, reſpectu partis propheticæ, eſt, non tam vicinarum gentium, aut extraneorum populorum, fata enarrare, quam populi Dei viciſſitudines ſub iis regnis repræſentare, in multiplicem Eccleſiæ Dei uſum. Quod ut res ipſa docet, & apud omnes in confeſſo eſt, qui dextro oculo volumina prophetarum haud perfunctorie perluſtrarunt, (quid enim adtineret fata populorum præſcire, quorum nulla eſt ad Eccleſiam relatio, & quæ alia ratio nonnullorum tantum, non aliorum, populorum fata præcinuiſſe vates divinos, fingi poterit?) ſic ex hoc ipſo libro cap. VIII: 19. X: 14. & aliunde eluceſcit. De quo ſuperiore diſſertatione quaedam monui, & monebo ſuo loco. Hic cum ſit prophetiarum ſcopus: convenit ne regnum Alexandri & ſucceſſorum, quocum populo Dei multum fuit negotii,

negotii, ſummis digitis tantum adtigiſſe, ne minima quidem *ſortis* Judæorum, tam notabilis, mentione injecta? Romanum imperium fuſe ob oculos poſuiſſe; cujus longe alia fuit ad populum Judæum relatio, ac quaè deſcriptioni cap. VII. reſpondeat: adeoque eam ad Chriſtianam Eccleſiam retuliſſe, Judaica ſuſque deque habita, cui prophetæ potiſſimum inſervierunt, cui demum non improbabile accidat?

§. V. 2. Romano Imperio illud, *ſecundo*, vehementer obſtat, quod *parvi cornu* cap. VII. eadem ſint diſtinguentia *criteria*, quæ *unius* cornu, ex uno quatuor *cornuum* orituri c. VIII. Utrique enim *bellum* cum *ſanctis*, & improba dicta ac commiſſa in Deum altiſſimum adtribuuntur: præterea eodem temporis ſpatio impia illa ſanctorum oppugnatio circumſcribitur cap. VII: 25. VIII: 14. imo cornu c. VIII. ex hoc ipſo cornu parvo cap. VII. ortum haberet, ut cap. VIII: 9. haud obſcure indicatur. ubi ex *parvo illo*, ſcilicet cap. VII: 8. memorato, dicitur proditurum. de quo ſuo loco. Accedit cap. XI. & XII. Antiochi Epiphanis facinora in populum Dei iisdem coloribus depingi. Cum itaque cap. VIII. & XI. regum Seleucidarum geſta deſcribantur, quod ab aliis jam eſt evictum, & a multis, qui Romanum imperium intelligunt per quartam partem imaginis & beſtiam, ſtatuitur, de quo poſtea agimus; ad eosdem reges Seleucidas *parvum cornu* cap. VII. pertinere, adeoque quartum imperium non poſſe *Romanum* haberi, clariſſimum eſt.

§. VI. 3. Tertium argumentum, quo Romanum Imperium refutatur, *terminus*, ad quem usque quartum regnum duraret, ſuppeditat. Quod ut in luce collocetur, obſervandum eſt, *regni Chriſti* erectionem, quam omnes illi per Lapidem, in montem excreſcentem in imagine Nebucadnezari oblata, & regnum Filio hominis datum cap. VII. intelligunt, regno quarto jam deſtructo ſucceſſuram eſſe, ita ut ante evanuerit, quam Chriſti regno locus ſit

X 2 futurus.

futurus. Quod a. ex *lapide* liquet, qui, non niſi *imagine* impetu ſuo disjecta, in *montem* exſurgeret. Mons vero factus regnum ſanctorum univerſale repræſentat. b. ex tribunali cœleſti ante erecto, & ſententia judiciali ante executioni data, quam Filius hominis in regnum eſt immiſſus. cap. VII. c. Accedit, lapidem in *pedes* coloſſi, adeoque in quartum regnum, quo tempore ad finem ſuum jam pervenerat, demum impegiſſe. Verum quidem eſt, *regnum cœlorum* dici erigendum *temporibus horum regum* cap. II: 44. *ultimorum* nimirum, per digitos expictorum, in quibus deſinit regnum quartum, ut ex nexu cum ſuperioribus liquet: ſed ex eo nihil aliud eſt colligendum, ac ſtante adhuc regno quarto fundamenta *quinti* regni eſſe jacienda, & priorem ejus formam militarem, per *lapidem* delineatam, quæ cauſam & occaſionem deſtructionis regni *quarti* præberet, locum habituram; ipſo regno quinto & vera ſua ſpecie & indole non niſi poſt deletum regnum *quartum* condendo. Regnum enim ſanctorum non *lapis*, ſed *mons* ex eo ortus, delineat. De quo poſtea pluribus agam.

§. VII. Hunc *quarti* regni terminum, ut vim argumenti oſtendam, a *Romano* eſſe quam alieniſſimum, ſi *quintum* regnum a Meſſia ejusque exaltatione, quæ multorum eſt opinio, repetatur, nemini non, a præjudicatis opinionibus libero, ſponte ſua in oculos incurrit. Tempore enim Chriſti tantum abeſt, ut Romanum imperium fuerit e medio ſublatum, ut contra in ſummo tunc vigore & culmine ſteterit, & diutiſſime poſt ſtatum ſuum recte fuerit tuitum. Quo accedit, Romanum imperium ab eo ipſo tempore lineas *beſtiæ* demum præſtare cepiſſe, cum quod *Monarchicam* induerit formam, quam beſtiæ requirunt, a Julio Cæſare introductam, ut Pauſan. in Lacon. p. 232. ait, tum quod in populum Dei tunc tantum & non antea hoſtiliter irruerit: quod hic de *quarta* beſtia habetur. Quæ enim Judæi a Romanis paſſi ſunt, ut Meſſiam præcipue exceperunt, ſic longe alium conſpectum ferunt, nec ullo modo

ſatis-

ſatisfaciunt; ut modo obſervavi. Novi equidem, quid ſententiæ iſtius patroni, ut Romani imperii aliqualem terminum demonſtrent, proferre ſoleant, ex gr. quod tunc in partes cœperit *lacerari*, exteros etiam imperatores paſſim habuerit ad clavum ſedentes; vel & quod Chriſtus tunc ſummus fuerit mundi Imperator, cui reliqua regna competebant, & ſubjecta erant: ſed quæ & quorum ſimilia ne adtentionem quidem merentur; & ex modo dictis de termino *quarti imperii* ſponte ſua evaneſcunt.

§. VIII. Rectius itaque, & hypotheſi convenientius, illi inſtituunt, qui regni Chriſti epocham in ultimo tempore figunt, & Romanum eo usque duraturum eſſe ſtatuunt. Quæ doctiorum eſt hypotheſis a Launæo in primis adſerta, & variis argumentis demonſtrata. Sed & illa graviſſimis laborat difficultatibus, quas brevibus exhibebo. 1. Regnum Meſſiæ in prophetia, quæ regnorum ſucceſſionem exhibet, & de regni Meſſiæ erectione in locum reliquorum agit, ad ultimam ejus epocham, nec initii, nec intermedii temporis ulla habita ratione, referri, vel probabilitatis ſpecie mihi carere videtur. Regnum, quod per 18. fere ſecula duravit, longe lateque per orbem eſt diſſeminatum, quodque diu adhuc continuare poterit, antequam ultima epocha adpareat, inſuper haberi, & finem ejus ſolummodo intendi in tam inſigni prophetia, quis, niſi hypotheſios cauſa, ut credat, in mentem inducat? maxime, cum regni Chriſti glorioſa fuerit in initiis conditio tempore Apoſtolorum, & multa præclara Divinæ curæ ſigna ab eo tempore hucusque prætulerit. 2. Primordia regni Chriſti hic omnino in cenſum venire, tum *lapidis*, & *montis* inde nati, emblema evincit, tum *filii hominis* adventus cum nubibus cœli ad *ſenem*, in throno judiciali ſedentem, & in regni poſſeſſionem immiſſio, cap. VII. omnino exigit: de quo poſtea ſuo loco. Lapis, unde *mons* natus eſt, ad initia regni nos ducit. Alterum emblema eodem quoque tendere, titulus *filii hominis*, cum nubibus *adſcenſus*, & phra-

 ſis,

ſis, *dedit ipſi* ſenex dierum *regnum*, clare adfirmat. Chriſto enim *data eſt omnis poteſtas in coelo & terra*, & *ad dextram Dei* collocatus eſt, ipſe Dominus & rex factus, cum in cœlum eſt ſublatus.

§. IX. 3. Robur haud exiguum addit harmonia verbi Prophetici V. T., in quo non tantum nusquam, ne quidem Jeſ. LX., ultimæ ſolius epochæ regni Meſſiæ mentio fit, ſed & ſeries regnorum ubique finitur in prima regni Chriſti erectione; ut ex Hagg. II. & Zach. VI., quibuscum hæc viſa Danielis comparanda ſunt, clariſſimum eſt. Hag. II: 22. dicitur: ego *commovebo coelum & terram*, & *evertam thronum regnorum* (imperium Perſicum) & *profligabo robur regnorum gentium* (imperium Alexandrinum ſeu Macedonicum) & *evertam quadrigam & vectores ejus*, & *cadent equi & ſeſſores ejus*, *quisque gladio fratris ſui*, regna majora, nata ex Imperio Macedonico, quorum reges in ſe invicem ſævierunt, & alii alios everterunt, præda facta Romanorum) ILLO DIE, ait *Jehova* Deus *exercituum*, *accipiam Te*, *Zerubbabel fili Sebalthielis*, & *ponam Te ut ſigillum*, videlicet in filio Tuo Chriſto. Quam paraphraſin verbis Cl. Vitringæ ad Jeſ. XI., utpote in mentem meam luculentis, expreſſi. Eodem prorſus modo prophetiæ de ſucceſſionibus regnorum, vel expeditionum ad regna condenda vel amplificanda, ſubjungitur ea de Meſſiæ exaltatione in ſolium Patris, & regno. Zach. VI. Succeſſio vero illa in *Lagidis*, qui in *auſtrum* deſcenderunt, & *Seleucidis*, qui terram perambularunt, totamque Aſiam pervaderunt, terminatur. Quod, alibi demonſtrandum, hic verbo notaſſe ſuffecerit. Idem aliis in locis obtinet, ut Zach. X: 11. Jeſ. XI: 15, 16. & alibi. Prophetæ regnum Chriſti in complexu ſolent depingere, & initium ac finem conjungere, fatis intermediis neglectis: ſed nusquam ultimam ſolum epocham & finem regni Chriſti repræſentant. De quo alias.

§. X. 4. Quartam rationem ſubminiſtrat regnorum

ex

ex quarto regno oriundorum, quæ per *decem* digitos & totidem cornua ſunt expicta, *deſtructio*, non metaphorice, ſed proprie intelligenda, quæ Meſſiæ regnum præcederet. Quæ ultimo tempore, niſi in Anabaptiſtarum & fanaticorum deliria incidere velis, nullo modo locum habitura exiſtimari poteſt. Cum enim regna illa, in orbe Romano erigenda, vel omnia, vel maximam longe partem, uno alterove forte ſecundum nonnullos excepto, religionem Chriſtianam profiteantur, adeoque regnum Chriſti magis minusve pure complectantur: ea proprie *deleri*, ut Chriſti regno locum cedant, dici nequeunt, niſi regimen politicum omne velis tunc temporis eliminatum: a quo ipſi illi Interpretes nobiscum alieniſſimi ſunt. Quæ ratio eſt, quare hanc deſtructionem non proprie & litteraliter, ſed *myſtice* & *relative* reſpectu tyrannidis aliarumque qualitatum, regno Chriſti oppoſitarum, explicent, ut neceſſe eſt. Verum proprie dictam regnorum illorum deſtructionem, & non myſticam deſcribi, multa extra dubium collocant. *a*. Hoſtilis impetus *lapidis* in ſtatuam; hujusque *b*. inde orta pleniſſima abolitio, & omnium partium diſſipatio. *c*. Quartæ beſtiæ partim conculcatio & conflagratio, partim imperii abolitio *d*. Judicii Divini deſcriptio, quod regnum Meſſiæ præcederet. Quæ & quorum ſimilia propriam regnorum deſtructionem haud obſcure deſignant.

§. XI. 5. Nec illud parum huic hypotheſi obſtat, quod Imperii Romani ad usque glorioſum Chriſti regnum in fine ſeculorum *duratio* difficulter cum hiſtoria in concordiam redigi queat, cum quod in Oriente Sec. xv. fuerit a Turcis penitus exſtinctum, tum quod in Occidente regnum Italiæ in Auguſtulo conciderit ſec. v. & inde ad Herulos, Oſtrogothos, Longobardos, & Francos ordine tranſierit, nec niſi nomine tenus in Carolo M. renovatum, quando regnum Romanum majore jure dici nequit ſuperfuiſſe, quam Chaldæorum cum Medis, &

Me-

dorum cum Perſis, Perſarum cum Græcis ceſſit, tum denique quod inter Barbaras gentes diviſum fuerit, & fere evanuerit. De quibus prolixe diſſerere poſſem, ſi liceret. Finem vero regni *quarti* & initium *quinti* ſecum connecti ex viſis ipſis dubio caret. 6. Denique nec illud nihili eſt, rationem difficulter reddi poſſe, quare, cum tot alia præter Romanum Imperium, & regna in eo orta, fuerint & ſint in Aſia regna maxima, quæ cum Romano comparari queant, ut *Parthorum* primo, & dein *Perſarum*, præterea *Mogolis*, & *Sinenſium*, ac in ipſa Europa *Moſcovitarum* vel *Ruſſorum*, quare, inquam, Spiritus Propheticus, ſi regnorum ſucceſſiones ad finem usque ſeculorum exhibere voluerit, in uno Imperio Romano hæſerit, aliorum prorſus neglecta mentione. Quæ quæſo fingi poterit hujus rei ratio? an quod *religio* & Eccleſia Chriſtiana ibi ſedem habuerit? quæ unice hic in cenſum venit: ſed, ne illud ſine ratione ſolida adſumi dicam, eadem quoque in Aſia quaquaverſum viguit, & inter *Moſcovitas* dominatur; graviter quoque a Perſis & Saracenis ſæpe eſt adflicta. Accedit, hanc ipſam rationem per illorum opiniones enervari, qui regno Ottomannico inter beſtiæ cornua locum dant. Quare itaque reliquis regnis Aſiæ nullus relinquitur locus?

§. XII. Quod ſi eos, qui *Porphyrianos* contrariæ ſententiæ patronos invidioſe adpellant, quia Porphyrius, teſte Hieronymo, de Lagidarum & Seleucidarum Imperio hæc viſa interpretatus eſt, ut imitarer, ab animo impetrare poſſem: longe majore jure in Judæorum caſtris militare eos regerere facile foret, qui Romanum imperium usque ad finem temporum hic depingi autumant. Quid enim hac ipſa hypotheſi magis favet Judæis, qui Meſſiam exſpectant, nec niſi in fine regnorum mundi, in quæ Romanum Imperium, tanquam totidem partes, diſcedet, manifeſtandum eſſe ſomniant? quo argumento etiam utuntur, & quæ arma ipſis difficulter excutiuntur. Secun-

eundum Meſſiæ adventum, quæ unica hic ſupereſt reſponſio, & non *primum* intelligi, quam ſolide reponatur, ex modo prolatis eluceſcit. Sed ignobile illud disputandi genus, quo argumenta ab *invidia* petuntur, quantopere iis, qui victoriam magis quam veritatem quærunt, in uſu ſint, tanquam peſtem ſtudiorum & veritatis omnibus bonis deteſtor.

§. XIII. Levis difficultas, quam phraſis, *ultimo dierum* cap. II: 28. ad finem mundi, ut videtur, referenda, nectit, ſitne vel digito adtingenda neſcio; cum levior ſit, quam ut ſolvi mereatur. Phraſis enim illa 1. de *ſequentibus* temporibus in hoc ipſo capite a Daniele explicatur, vſ. 45. 2. ſumma emphaſi nil niſi rei, cui adjungitur, *extremum* denotat. Adeoque ſucceſſioni regnorum, Nebucadnezari oblatæ, hoc loco addita fata ad extremum illius ſucceſſionis usque comprehendit; ulterius itaque non extendenda, quam ſeries regnorum patitur. Quem eundem præbet intellectum, ubi de Vetere Oeconomia, & fatis populi Judæi adhibetur; quando ultima ejus tempora, vel fata ſequentia usque ad extremum ejus involvit. Quo ſenſu ſumitur Dan. X: 14. Deut. IV: 30. Gen. XLIX: 1. & alibi ſæpe. Non male Ill. Grotius ad Dan. II: 28. *Hæc locutio multos ejus ignaros ad prava ſequentium interpretationes egit, cum nihil aliud ſignificet quam poſthac:* quod exemplis illuſtrat. Putem tamen quid plus ſignificari, quod modo exhibui. Recte Cl. Coccejus ad Dan. l. c. *alicubi ſignificat in extremo dierum horum, antequam ſcilicet hi dies, & hæc tempora mutentur.* Conf. Cl. Vitringa ad Jeſ. II: 1.

§. XIV. 4. Quartum contra hypotheſin de Romano Imperio argumentum a *digitis* in ſtatua & *cornibus* in beſtia, ad *denarium* numerum redactis, nec non ex *parvo* cornu inter ea orto, quo *tria* ſunt avulſa, peto quam ſolidiſſimum. Hæc enim Romani Imperii diviſio, nec ante, nec poſt Chriſtum, quæ emblemati ſatisfaciat, de-

Y mon-

monſtrari poteſt: non ante Meſſiam, quia *unitum*, & nullatenus *diviſum* fuit; niſi per *factiones* & bella civilia, quæ in omnibus regnis ſæpe locum habent, nec *quarti* caracterem conſtituunt, multo minus ſi ad numerum *denarium* adtendatur. Accedit, diviſiones illas tantum abeſſe ut imperium deſtruendi anſam præbuerint, quem conſpectum ferre deberent in ſtatua, ut contra de novo quaſi reſuſcitarint, vid. Flor. l. 1. & Seneca apud Lact. Inſt. l. VII. c. 15. & regnum Monarchicum pepererint, quam ſpeciem viſa requirunt. Præterea totidem diviſa regna intelligi, quod hanc opinionem plane evertit, ex textu manifeſtum eſt. Sic cap. II: 44. *reges* vocantur, quorum tempore lapis in coloſſum irrueret, utique *illi*, inter quos regnum quartum diſtribueretur. quippe cujus hic traditur explicatio. Decem vero *cornua* ipſis verbis *reges* adpellantur cap. VII: 21. Interpretes, quibus hæc opinio adriſit, varie inſtituunt: doctiores de *factionibus* vel *provinciis* Romani Imperii cogitant, & definitum numerum pro indefinito habent. Quæ ſponte ſua cadunt: quare iis recenſendis non immoror.

§. XV. Majore quidem cum ſpecie ſeſe expediunt Interpretes, qui Romanum imperium ad ultima usque tempora extendunt, quia multa in eo nata ſunt regna: attamen & in regnis illis enumerandis, & in *cornu* parvo demonſtrando, tantopere ſecum diſſentiunt, ut ſe certa judicii norma carere clare patefaciant. Alii enim totidem unius Imperii Romani *provincias*, alii regna ex eo, vel in eo, nata intelligunt, alii denique *reges* totidem, qui noviſſimo tempore regnum Romanum divident, quando rex undecimus, ſeu *parvum cornu*, ſive Antichriſtus, ſurget, qui primum *tres* dein reliquos *ſeptem* ſibi ſubjiciet: cujus opinionis omnes ſcriptores Eccleſiaſticos eſſe, tradit Hieronymus. Eadem ratione diſſident circa *cornu parvum*, ſecundum illos regnum *Osmannicum*, ſecundum alios *Antichriſtum*, quem alii pro *Papis* Romanis,

nis, alii pro rege ultimi temporis habent. *Provincias* ex gr. has enumerat Melanchton, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Illyricum, Græciam, Africam, Ægyptum, Aſiam & Syriam. Cornu parvum ipſis eſt Saracenicum & Turcicum ex eo natum, quo tria cornua avulſa ſunt, Ægyptus, Syria & pars Ciliciæ. Decem regiones olim imperio Romano ſubjectas, & a regibus adminiſtratas, recenſet Sleidanus de 4. Monarchiis, Syriam, Ægyptum, Aſiam, Africam, Græciam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, & Angliam. Tria cornua a Turcis dejecta ipſi ſunt, *Aſia*, *Græcia*, & *Ægyptus*. Auctor Gallicus libelli de *quinto* imperio decem ſupremarum poteſtatum, ex Romano Imperio ortarum, hunc texit catalogum, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Germaniæ, Poloniæ vel Venetiarum, Napolitani & Siciliæ regni, Portugalliæ, Arragoniæ & Navarræ: ſed ſubjicit, quod maxime placet, plures tales enumerari poſſe.

§. XVI. Hæc cum vaga ſint, & arbitrarie digeſta; alii, certam normam ſecuti, aliquid definitius quidem, ſed in diverſa abeuntes, protulerunt. Magnus Newton in Obſerv. ad Dan. ea hic autumat ſiſti regna, quæ poſt Theodoſii M. tempora in Occidente orta ſunt; in eo ſeſe fundans, quod populi, per tres præcedentes beſtias depicti, hic in cenſum non veniant, quia illæ beſtiæ imperio quidem privarentur, ſed ſub quarta beſtia tamen ſtatum retinerent, argumento ducto ex cap. VII: 11, 12. quod nihil minus demonſtrat, ut ſuo loco patebit. Hac opinione imbutus ſequentia regna conſignavit: *Vandalorum* & *Alanorum* in Hiſpania & Africa, *Suevorum* in Hiſpania, *Viſigothorum*, *Alanorum* in Gallia, *Burgundionum*, *Francorum*, *Britannorum*, *Hunnorum*, *Longobardorum*, *Ravennæ*. Cornu vero parvum ex ipſius mente eſt Papa Romanus, vel Eccleſia Romana, *tria* denique cornua dejecta ad Exarchatum Ravennæ, regnum Longobardorum,

& Senatum Romanum adplicat. Eadem fere veſtigia preſſit Crinſoz, qui has *decem* monſtrat potentias; Viſigothorum, Vandalorum, Francorum, Burgundionum, Hunnorum, Alanorum, Suevorum, Herulorum, Oſthogothorum, & Lombardorum. Tria cornua, quæ parvo cornu, ſeu Papis ceſſerunt, ipſi ſunt, *Heruli*, *Oſtrogothi* & *Lombardi*.

§. XVII. Aliam viam tenuit Jungman., qui regna putat repræſentari ex Romano imperio orta, & ab ipſo *beſtiæ* corpore diverſa, adeoque præter *Germaniæ* & *Conſtantinopol.* regna. Quo fundamento ſequentia oſtendit: Angliæ, Galliæ, Navarræ, Legionis & Caſtellæ, Arragoniæ & Siciliæ, Luſitaniæ, Cypri, Hungariæ & Bohemiæ, Bosniæ inferioris, Trapezuntii. Cornu *parvum* eſt *Osmannicum* ſub Muhammete II, qui tria poſtrema regna, vel potius *Reges*, deſtruxit. Quod ſyſtema, ex mente Doctiſſimi alicujus viri emendatum, reliquis præferendum eſt, quo decem regna, tempore regni Osmannici exiſtentia, hunc in modum recenſentur, *Germaniæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Luſitaniæ*, *Angliæ*, *Conſtantinopolitanum*, *Hungariæ*, *Trapezuntinum*, *Neapolis & Siciliæ*, *Mammelucorum in Ægypto.* Tria regna, per Osmannidas deſtructa, ſunt *Conſtantinop. Trapezunt.* & *Mammeluc.* Ab hiſce omnibus diſcedit Cl. Coccejus, qui diviſionem imperii quarti in ſtatua ad duplicem poteſtatem, *Eccleſiaſticam* & *Politicam*, im Romano Imperio Chriſtiano refert, & per *decem* digitos tot reges intelligit, qui cum beſtia regnarent *una* hora Ap. XVII: 12. Verum *decem cornua* beſtiæ quartæ, ſeu Imperii Romano-Germanici, transfert ad totidem familias, per quas ſucceſſio Imperatorum eſt devoluta, quas recenſet ſequentes, Carolinam, Saxonicam, Salicam, Suevicam, Hollandicam, Anglicam, Auſtriacam, Naſſoviam, Lucelburgicam, & Bavaricam.

§. XVIII. Diverſiſſimas hasce vias, quas Docti aperuerunt

runt & tenuerunt, non eo ſcopo explicui, ut quid in ſingulis diſpliceat oſtenderem; quod nimis tædioſum & longum foret: ſed ut ex ipſa illa diverſitate nihil certi & definiti proferri poſſe eluceſcat. Viciſſitudo Romani imperii poſt ſec. v. tanta tamque varia fuit, regna in eo orta modo plura modo pauciora fuerunt, nec omni tempore eadem; ut ad denarium numerum nulla ratione redigi ſe patiantur. Nec tamen a definito numero diſcedere fas eſt, tum quod in utroque viſo occurrat, & in 10. digitis, & in 10. cornibus, tum quod *tria* cornua, ab uno eradicanda, *definite* exhibeantur. Offendit præterea in omnibus illis regnorum catalogis, quod *Chriſtiana* regna inter truculentiſſimæ feræ cornua compareant, cum regnum Chriſti, tanquam *Sanctorum* regnum, & *beſtiæ* regnum hic ſibi opponantur. Omnia regna, ad ultima tempora usque, pro terribili beſtia habere, mihi duriſſimum & ab omni ratione alienum videtur; multisque odioſiſſimis conſequentibus obnoxium. Deinde cornu parvum nec ad Papas, nec ad Turcas ſeſe transferri patitur, cum tamen alterutrum admitti debeat, & ſoleat. Ad *Pontifices* Romanos quod adtinet, licet nonnullarum regionum Domini ſeculares tempore Caroli M. facti ſint, quod non nego, verus tamen eorum conſpectus eſt longe alius, nec *politicum*, verum Eccleſiaſticum & Spirituale eſt eorum dominium: multo minus pro regibus *bellicoſis*, qui regnum armis fundarunt & propagarunt, haberi poſſunt; quam ſpeciem emblema beſtiæ & *cornuum* manifeſte requirit. Papalis regiminis, quod de Papis *beſtias* facit, caracter eſt tyrannis Eccleſiaſtica & religioſa; cui reges, tanquam beſtiæ cornua, inſerviunt: ut in Apocal. proponuntur. Nec demonſtrari poterunt *tria cornua* a Papis evulſa; nec, quæ ſupra ex Newtono & aliis in medium adduxi, ſe tueri poſſunt: de quo hic pluribus agere non licet. Rectius quidem de regno Osmannico cogitatur: ſed 1. bellum gerere cum ſanctis, & ſuperba

loqui, non eſt tam Osmannici quam Papalis regiminis character; ut ex Apocalypſi patet. Aliud eſt Chriſtianis bellum inferre, eorumque terras occupare, & religionem Turcicam in ſubactis regionibus fundare; quod Turcis recte convenit: aliud cum Chriſtianis qua *ſanctis*, & populo Dei, religionis ſolius cauſa, bellum gerere, & eos propterea perſequi; quod Paparum eſt, non Turcorum proprium. 2. Quare Osmannicum, & non Saracenicum, a Muhammede conditum, quod jam diu ante cum Chriſtianis bellum geſſerat, & eadem, quæ Turcæ, in religionem Chriſtianam commiſerat, hic in ſcenam prodiret? Saracenicum illud imperium hic plane negligi non poterat, utique non, poſteaquam ab *Homaro*, tertio a Muhammede, eſſet fundatum. Hic enim, teſte Elmacino, *primus vocatus eſt Imperator fidelium*, & infinitas gentes bello domuit, Perſicum imperium delevit, & Romanum magna ſui parte privavit, ac ſibi ſubjicit. 3. Multo minus Turcicum, vel Turcomannicum Imperium ſilentio involvendum eſſet, ſi Mammelucorum & Osmannidarum ratio habeatur. Turcicum enim illud *Saracenico* ſucceſſit, & Muhammedicum, in partes diſtractum, inſtauravit, ac firmavit; ſede regni Iconii & Nicææ fixa, Sec. XI. Quod cum varie adtritum, & a ruina ſua prope abeſſet, *Osman*, & ipſe *Turca*, illud denuo fundavit, & longe lateque propagavit Sec. XIII. Quæ quæſo, ſi hypotheſi non litaveris, fingi poterit ratio, Saracenico & Turcico regno miſſo, *cornu parvum* ad ſolum Osmannicum referendi? 4. Denique *tria* cornua a parvo cornu eradicata quæ tandem erunt? num Hungariæ, Bosniæ & Trapezunti reges partim a Mohamete II. partim a Solimanno II. devicti? quæ Jugmanni eſt opinio. Sed 1. inter Mohametem & Solimannum fere ſeculum fluxit. 2 Rex quidem Ludovicus II. a Solimanno devictus eſt a. 1526. ſed regnum Hungariæ non eſt ſuperatum, & ſubactum. Reges ſolos per cornua intelligi, a ratione omni

ni alienum eſt. 3. *Bosniæ* rex, a Mohamete debellatus, quid habuit, quo *cornu* locum in capite beſtiæ meruit? Rectius ſine dubio de Conſtantinopolitano, Trapezuntino & Mammelucorum regno cogitaretur a Mohamete partim, partim a Solimanno deſtructo. ſed 1. idem temporis ſpatium obſtat; cum duo prima a Mahomete Sec. xv. & poſtremum Sec. xvi. a Solimanno ſit peſſundatum. 2. Trapezuntinum ſit æque Græcorum ac Conſtantinopolitanum, per familias regias tantum diſtincta. 3. Utrumque, & Trapezunt. & Mammeluc., eſt recentioris originis, quam ut cum reliquis, per cornua depictis, locum habere queat: cum *cornua* non legantur tam diverſo tempore nata; ſed unum tantum parvum cornu poſt reliqua. Sed abſtineo, cum diverſas has hypotheſes refutare animus non ſit.

§. XIX. 5. *Quintum* argumentum, quo hypotheſis de Romano Imperio oppugnatur, ex ipſa objectione, qua noſtra demonſtratio premitur, naſcitur, & tum præcipuam difficultatem e medio tollit, tum etiam evertit ipſam eam hypotheſin. Qui a Romano Imperio ſtant, haud ſine magna ſpecie urgent, fieri vix poſſe, quin, cum totus fere Orbis, ab occaſu ad ortum, ad Euphratem usque fuerit tempore nati Chriſti Romanis ſubjectus, Romano imperio locus in prophetia de ſucceſſione regnorum ſit dandus. Quem nodum ita ſolvam, ut Romano Imperio hic nullum locum competere ſimul pateſcat. Quo fini hæc tria notari velim, quæ regnorum, Nebucadnezari & Danieli oblatorum, criteria ducunt: nimirum regna eſſe intelligenda, quæ *a.* in Oriente ſedes haberent; Babylonia quoque poſſeſſa. *b.* Meſſiæ adventum præcederent, *c.* quibuscum Judæis præcipua fuerunt negotia. a. Primus caracter cum ex *imagine*, cujus ſcopus erat, Nebucadnezari, de regni ſui fatis cogitanti, varias ejus ſucceſſiones, quibus ab una gente ad aliam transferretur, ob oculos ponere, ut ex Dan. II: 28--30. liquet

quet, tum ex loco ortus animalium, *mari* ſcilicet *magno*, Orientis emblemate, Dan. VII. tum ex tribus præcedentibus regnis eluceſcit. b. Secundum criterium ex termino regni quarti, in primordiis regni Meſſiæ, ab ipſa ejus exaltatione repetendi, ut ſupra evici, facile demonſtratur. c. Tertium caracterem *ſcopus* prophetiarum de gentibus exteris, cum ipſis vaticiniis collatus, adfirmat. De quo ſupra quoque dixi.

§. XX. Hæc criteria num in Romanum Imperium quadrent, diſpiciamus. 1. Primum ab eo eſſe alienum nemo facile inficias iverit, qui Romanos nec in Oriente aliquod regnum condidiſſe, nec ultra Euphratem pomœria ditionis ſuæ dilataſſe, ubi tamen præcipua ſedes erat regni Chaldæorum, & ſequentium, ad animum revocaverit. *α.* Romani non tantum nullum in Oriente regnum erexerunt, ſed, qui verus eorum conſpectus eſt, regna omnia tandem deſtruxerunt, & in formam provinciæ redegerunt. Per ipſos eſt introducta regnorum Aſiæ ὁλοσχερὴς ἐπαναίρεσις *plenaria deletio*, quæ phraſis eſt Polybii l. II. p. 173. de regno Macedonico ab ipſis ſubacto. Quo etiam tendit phraſis, καταλυθέντων τῶν βασιλέων *regum poteſtate abolita*, qua de regnis Ponti & Bithyniæ utitur hoc in caſu Strabo l. XII. p. 816. & de Aſiæ imperio, a Perſis ad Græco-Macedonas devoluto, in genere l. XV. fin. Aſiæ *imperium*, dicit, in *complures ſucceſſores* (Alexandri M.) diviſum, tandem διελύθη *diſſolutum eſt*. quod Dion. Halic. l. 1. c. 2. exprimit per ἠφανίσθη *evanuit*, phraſi in hanc rem emphatica. Populi itaque, a Romanis ſubacti, *non per ſe civitas erant*, *ſed membra minus digna magnæ civitatis*, *quomodo ſervi membra ſunt familiæ*, quæ magni Viri Ill. Grotii J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 7. verba ſunt. Ex quo ſimul eluoet, ut id obiter anticipem, Romanos rectius pro inſtrumentis haberi, quibus *ſtatua* eſt disjecta, & *judicium Dei* in *animalia* executioni mandatum, de quo poſtea, quam pro uno regnorum

hic

hic depictorum. Verum quidem eſt, Regnum aliquod Romanorum poſt a Sec. IV*to* fuiſſe in Oriente conditum, ſede regni eo tranſlata: ſed illud nimis ſero contigit, quam ut hic in cenſum veniat. Per multa enim ſecula jam ſteterat Romanum imperium, & ad finem jam tum vergebat, quando hoc contigit. Quare inter digitos ſtatuæ, & cornua beſtiæ, locum tenēre ſolet in communi hypotheſi.

§. XXI. β. Regnum non tantum nullum in Oriente condiderunt Romani; ſed nec *populos*, penes quos ſuperiores fuerant Monarchiæ in hiſce viſis expreſſæ, ſuæ poteſtati habuerunt ſubjectos; cnm terminus Romani Imperii in Oriente fuerit Euphrates, nec ulterius ſeſe extenderit. Quod ipſum nos Romanos miſſos facere jubet. Fieri enim non poteſt, ut, cum ſucceſſiva regna fuerint, quorum alia aliorum poteſtatem & regimen ad ſe transtulerint, quemadmodum Medi Chaldæos, Medos Perſæ, & Perſas Græco-Macedones ſibi obnoxios reddiderunt, quod viſa omnino requirunt, Romani locum reperiant, qui nullos eorum populorum ſub jugum miſerunt. *Parthorum* longe majore jure ratio haberetur, qui cum Romanis Aſiam diviſerunt, ita ut Romanis ad Euphratem, reliqua ipſis ceſſerint, qui ἁπάσης τῆς ἐντὸς Εὐφράτȣ κύριοι κατέστησαν *quicquid eſt ditionis intra Euphratem in ſuam poteſtatem redegerunt*, teſte Strab. l. XI. p. 784. qui mox addit, eos ſuo tempore *tot gentium dominari*, *tantum terræ poſſidere*, *ut ob imperii magnitudinem Romanorum potentiæ aliquo modo pares ſint.* Sic & Juſtin. XLI: I. *penes Parthos*, *velut diviſione orbis cum Romanis facta*, dicit, *Orientis nunc eſſe Imperium.* Quam ob cauſam Euphrates adpellatur *fluvius Parthiæ* apud Stob. Serm. 98. ex Chryſermo Corinthio; & apud Virg. Georg. l. I. vſ. 519. in illo verſu,

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.

pro regno Oriente, ſeu Parthico ſumitur. De *Euphrate*,

te, Romani & Parthici imperii termino, teſtatur quoque Strab. l. XVI. p. 1085. Appian. Alex. in Præf., & alii. Poſtea quidem Meſopotamia a Trajano & L. Vero eſt victoriis peragrata, & coloniæ in ea ſunt conſtitutæ, ſed Euphrates tamen fixus manſit limes usque ad Severum; quando ad Tigrin eſt promotus, ſed Perſis jam in Oriente dominantibus. De quo vid. Ez. Spanhem. ad Jul. p. 173. Nec illud nihili eſt, *Babylonem* ipſam fuiſſe ſedem Medorum, qui regnum Babylonicum occuparunt, ſub Dario Medo, Cyrum quoque ſedem ibi voluiſſe collocare, imo idem animo fuiſſe Alexandro M., ut teſtatur Strab. XV. p. 1062, 1063. Seleucum quoque eam initio tenuiſſe, donec ſedem transtulerit *Seleuciam* ad Tigrin. Ibid. XVI. pag. 1073. Romani vero ne quidem eam poſſederunt. Duravit itaque Babylon per omnes regnorum ſucceſſiones, quæ in ſtatua Nebucadnez. comparent, & ſub ultimo regno Seleucidarum demum evaneſcere cœpit, in ſignum finis imperiorum in coloſſo depictorum: vid. Strab. l. c.

§. XXII. 2. Secundum criterium, a termino regni quarti, & initio *quinti* petitum, quantopere a Romano abhorreat, ſupra §. VII. &c. oſtendi. 3. De *tertio* charactere, ſeu imperii Romani relatione ad populum Judæum, ſupra §. III. quoque dixi. Mirum itaque non eſt, Romanum Imperium hic plane negligi in ſucceſſione horum regnorum: quemadmodum etiam nusquam in verbo Prophetico, ubi de regnis ante Meſſiam agitur, locum habet. Præfert illud imperium longe aliam ſpeciem; qua medii & inſtrumenti inſtar inſervit providentiæ Divinæ, in regnis Orientis delendis & exſtirpandis: ut ſuo loco patebit.

§. XXIII. Una ſupereſt e medio tollenda difficultas, ne quis vulgata opinione imbutus ad eam obhæreſcat, quam injicit ſtudio quæſita, & non caſualis, convenientia inter hanc *quartam* feram, & *beſtiam* Apocalypticam cap.

XIII.

XIII. quæ utraque 1. decicornis eſt 2. ſingularis formæ, & quidem ex pardo, urſo & leone conflatæ in Apocal. 3. invincibilis eſt potentiæ, & 4. ſuperbiæ ac blasphemiæ rea 5. bello cum ſanctis infamis. 6. ejusdem temporis ſpatio, quo graſſaretur, trium annorum & dimidii, circumſcripta. Quæ convenientia, ab eodem Spiritu prophetico profecta, alio ſpectare non poſſe videtur, ac ut idem regnum utrobique depingi indicaretur. Sed, ut hic ſcrupulus eximatur, 1. hoc ſi intendiſſet Spiritus propheticus, tantam non reliquiſſet inter duplicem hanc beſtiam, Danielis & Apocal., *diſcrepantiam*, ipſa convenientia longe majorem: quæ nemini non, hæc viſa conferenti, ſub oculos venit. Fera quarta *decem* tantum cornua, ſed Apocalyptica *ſeptem* præterea habet *capita*, quæ præcipuam ejus characterem ducunt. Inter decem cornua parvum aliquod ſubnaſcitur apud Danielem, cujus in Apoc. nulla eſt mentio. Præterea Apocalyptica ex tribus, Pardo, Leone & Urſo, fuit conflata, non *quarta* beſtia, quæ ab illis omnibus diſerte dicitur *diverſa*. Alia prætereo, cuivis obvia. 2. Utriusque beſtiæ longe diverſus eſt conſpectus & intellectus, qui, ut de eodem regno capiantur, nullatenus permittit. *a*. Decem cornua in quarta beſtia totidem regna, ex beſtiæ regno orta, & in quæ illud diviſum eſt, depingunt: ſed in Apocal. ſunt regna ipſi *beſtiae*, ſeu regno beſtiæ, cui ſua propria ſunt *capita*, ſubjecta, quæ illi inſerviunt, & a nutu ejus dependent: per quæ, ſcena dein mutata, ipſum regnum beſtiæ deſtruetur Apoc. XVII. Quæ longe diverſiſſima eſt utriusque beſtiæ facies. *b*. Quarta fera, quæ in ſucceſſione regnorum mundi occurrit, & quartum locum tenet, Monarchici regni politici & militaris, quod regna alia hoſtiliter invaſit & deſtruxit, emblema gerit, ut ex tribus præcedentibus beſtiis, & ex geſtis ejus elucet: ſed Apocalyptica ad tyrannidem Eccleſiaſticam tota pertinet. Quæ toto cœlo differunt. *c*. Quicquid de beſtia Apocalyptica dici-

 tur,

tur, ad ſolum *parvum* cornu quartæ feræ, non ad ipſam beſtiam, & decem ejus cornua, conferri aliquo modo poteſt, cum in Apocal. ut ipſa beſtia, ſic & *decem* ejus cornua ad dominium ſpirituale unice reſpiciant. *d.* Quarta beſtia *tertiam* mox excepit, ſed Apocalyptica, quæ Antichriſti regnum expingit, non niſi XI*mo* Chriſtianismi ſeculo ſeſe oſtentavit; adeoque plurimorum ſeculorum intervallo, ſi vel Syro-Macedonum regnum per tertiam beſtiam intelligatur, recentior. *c.* Denique, *quarta* beſtia ſublata, nihil eorum regnorum, quæ per feras & coloſſum repræſentata ſunt, amplius reſtabit, ut ſupra evictum eſt: ſed, beſtia Apocalyptica occiſa & deleta, eadem mundi regna ſupererunt, & Domini erunt: ut ex Apocal. teſtatiſſimum eſt. Quid? quod ipſa illa regna, quæ beſtiæ cornua fuerant, eam ſint deſtructura. Apoc. XVII.

§. XXIV. 3. Denique, ne quis, qui tanta diſcrepantia motus utriusque beſtiæ diverſum eſſe intellectum admittit, ad convenientiam tamen obhæreſcere pergat, & ex ea illud ad minimum colligendum eſſe contendat, beſtiam Apocalypticam ad aliquam beſtiæ quartæ periodum pertinere, & aliquid de ea ob oculos ponere, cum cæteroquin tantæ ſimilitudinis ratio non conſtet: *a.* illud non niſi hoc fundamento niti obſervari velim, beſtiam Apocalypticam ejusdem eſſe tyrannidis emblema, cujus eſt *cornu parvum*, ad cujus blasphemiam & perſecutionem unice in deſcriptione beſtiæ Apocalypticæ reſpicitur Quod fundamentum quam ſit ſubleſtum & nullum, ut ex ſupra dictis eluceſcit, ſic ab allis deſtructum eſt, qui non Anti-Chriſtianum, ſed Osmannicum regnum in *parvo cornu* conſpiciendum præberi contendunt. *b.* Præterea aliqualem emblematum Prophetarum V. & N. T. convenientiam huic hxpotheſi non ſufficere firmandæ qui nondum perſpexerit, Apocalypticas Imagines, ad eas Prophetarum V. T. paſſim fictas, relegat, & eorundem eſſe ſubjectorum ſi,

ſi, ut credat, in animum inducere queat, eamque ad normam antiqua Vaticinia explicanda velit; eum de verbo Prophetico peſſime mereri dicere haud vereor. Quid enim? *Locuſtarum* emblema Apoc. IX., ex Joële c. I. & II. deſumtum, idemne judicium Dei, eidemque populo & ab iisdem hoſtibus infligendum, denotabit? Ad antiquas de Babele, Ægypto, Edomo & Tyro prophetias ubique in Apocal. adludi, quis eſt, qui ignorat? nec tamen litteralem earum prophetiarum aut hiſtoricum ſenſum propterea eliminabit, ſolumque myſticum ex Apocalypſi ſectabitur prudens & eruditus earum Interpres. Quid itaque hic hæremus? convenientia factorum & dictorum Antiochi Epiphanis, qui ſeſe Dei Israelis & veræ religionis hoſtem inſolenter & crudeliter præſtitit, & Antichriſti, qui ſeſe ſimili modo erga Eccleſiam Chriſti geſſit; nonne ſimilitudini phraſium & linearum producendæ ſufficit? quid plura quærimus? ne dicam, dictorum V. T. ad res Novi T. *adcommodatione* nihil eſſe frequentius. Sine qua hypotheſi qui Prophetas explicare adgreſſus fuerit, cerebri ſui figmenta facilius, quam Spiritus cogitata, in vulgus propellet. Nec tamen, quo minus Antiochi Epiphanis perſecutio pro typo vel emblemate *Antichriſtianae* habeatur, intercedo; adeo ut, quemadmodum magna civitas Antichriſtiana adpellatur *πνευματικῶς Spiritualiter Sodoma* & *Ægyptus*, Apoc. XI: 8. eodem quoque ſenſu *Babel* Apoc. XVIII. & alibi; ſic & *cornu parvi* geſta ad Antichriſtum referri poſſint.

§. XXV. Quo animadverſo, nemo in eodem temporis ſpatio, quod tyrannicæ *cornu parvi* oppreſſioni & *beſtiae* in Apoc. datur, hærebit opinor: etſi ad hunc lapidem paſſim offendatur. Numerus enim hicce eſt in Apocal. myſticus, quo ad tempus cum diriſſimæ famis ſub Achabo, I Reg. XVII. coll. Luc. IV: 25. Jac. V: 17. tum adflictionis Epiphanicæ adluditur, nec tam *quantitatem* quam *qualitatem* temporum Antichriſti ſignat: de quo Cl. Vitringa ad Apoc.

XI. conſuli velim; ne prolixior ſim. Numerus itaque annorum *trium & dimidii*, de quo ſuo loco, apud Dan. *litteraliter & proprie*, in Apoc. *myſtice* ſumtus, eodem de ſubjecto utrobique agi tantum abeſt ut adſtruat, ut evertat potius, niſi inter litteralem & myſticum ſenſum nihil quis intercedere abſurde velit.

§. XXVI. Opinione de Imperio Romano, antiquitate licet & Magnorum Virorum & auctoritate munita, haud ſpernendis argumentis, quantum inſtituti ratio permittit, deſtructa: altera de regnis Lagidarum & Seleucidarum, vel horum tantum, quæ ſola proſtat, adoptanda videtur: quemadmodum omnes, qui a priore ſententia diſcedunt, quantum mihi notum eſt, faciunt. Atenim in hac ipſa hypotheſi haud leviores ſeſe offerunt difficultates, quæ adſenſum plane impediunt: quas, ne prolixa refutatione receptarum opinionum tædium, forte jam conceptum, augeam, quam potero breviſſime repræſentabo. Hypotheſis, quæ regna ſucceſſorum Alexandri in Syria & Ægypto per *quartam* imaginis partem, & *quartam* beſtiam, intelligit, & *decem* cornua ad totidem reges usque ad Antiochum Epiphanem, *cornu* denique parvum ad ipſum *illum* transfert, 1. in arctum regni Alexandri & ſucceſſorum *nexum*, qui *unum* fuiſſe eorum regnum docet, recta impingit. Regnum Alexandri in Aſia fundatum, & ad Lagidas ac Seleucidas translatum, nulla ratione cenſeri poteſt *deſtructum & abolitum*, novis in ejus locum conditis, tum quod ad alienæ gentis regna & reges non tranſierit, ſed penes *duces & cognatos* ejus, qui in regno hoc erigendo partes habuerunt cum Alexandro, & ejusdem quoque gentis erant, manſerit, tum quod regna ſua, nec contra Alexandri voluntatem, nec injuſtis bellis, deſtructo Alexandri regno, ſibi vindicaverint, ſed juxta Alexandri diſpoſitionem, & mutuam diviſionem, quam civilibus bellis ſinguli ſunt tuiti & dilatarunt. Alexander enim ab amicis interrogatus, *cuinam regnum relinqueret?* reſpondiſſe fertur, τῷ κρατίςῳ, id eſt,

eſt, ut jam obſervavit J. N. Loenſis Miſc. Epiph. l. vi. 18. *ſtrenuiſſimo* & *fortiſſimo*, addito hoc vaticinio ſecundum nonnullos, fore, ut *ingente certamine ſibi ſint parentaturi amici*. Arrian. Ex. Alex. l. vii. cap. 26. & Diod. Sic. l. xvii. p. 583. Hinc eſt, ut ἐπίγονοι & διάδοχοι *poſteri* & *ſucceſſores* fuerint adpellati; quod Ill. Scalig. ad Euſ. pag. 127. jam obſervavit, & ubique apud hiſtoricos occurrit. Sic Seleucus Nicator poſt Alexandri obitum regna Perſidis *ſucceſſorio jure* tenuiſſe dicitur Amm. Marc. l. xiv. cap. 8. & xxiii: 6. & Seleucidæ eadem de ratione *Macedonum reges* adpellantur a Curt. v: 7. ubi *Macedonum reges* eas *urbes tenuiſſe* dicit, *quas nunc habent Parthi*. Quo ipſo nomine *Lagidae*, vel Ægypti reges, inſigniti ſunt, ut refert Pauſan. l. vi. c. 2. & x: 7. ubi *Ægyptiorum reges* ſeſe *Macedones ſalutari libenter* fuiſſe paſſos, *ſicut & ſunt*, tradit. Apud Callim. in Del. vſ. 167. Ptolemæo Philadelpho titulus Macedonis quoque datur. Alia loca produxit Cl. Reland. ad Joſ. Ant. xiii: 1. Cum itaque regnum Græcorum & Macedonum, ab Alexandro in Aſia conditum, poſt ipſum penes Duces ejus continuaverit: regnum Alexandri & ſucceſſorum in duo diverſa non poſſe dividi, ita ut per duas diverſi metalli partes, in quo diverſi regni indicium eſt, in coloſſo, & duo diſtincta animalia in viſo Danielis cenſeantur depicta, ſponte ſua elucefcit. Quod ulterius ex emblemate *hirci*, primum *unicornis*, dein quatuor cornuum, in unius locum, cap. viii. confirmatur. Ex eo enim, regnum Alexandri in ſucceſſoribus eorumque regnis manſiſſe, & unius *beſtiae* imagine exhiberi, manifeſtum eſt.

§. XXVII. 2. Regna Lagidarum & Seleucidarum ſi emblemate ſingulari, ab Alexandrino ſeorſim, figuranda ſint, a. nimium fuerunt diviſa, quam ut *unius* beſtiæ imaginem ferant, b. ab ipſis primordiis fuerunt diverſa, quod *quartæ parti* coloſſi adverſatur. a. Regna illa non, niſi qua partes regni Alexandrini, fuerunt unita. Quem conſpe-

ctum

ctum ſi auferas, ut illi faciunt, qui regnum Alexandri & ſucceſſorum per diverſa animalia expingi volunt, pro diverſis & ſeparatis regnis haberi, & per diverſa animalia repræſentari deberent. Unum enim animal unius regni, & non diverſorum poteſt eſſe figura. Deinde *b.*, quod mox a prima erectione diviſa fuerint regna, illud cum quarta coloſſi parte, quæ *crura* ex *ferro*, & *pedes* demum diviſos exhibet, nullo modo conſiſtere poteſt. Diviſio enim non mox initio, ſed poſtea futura clare ob oculos ponitur, tum quod metallum in cruribus fuerit *unum*, quod unius & uniti regni eſt indicium, ut in ſuperioribus imaginis partibus, tum quod *diviſionem* ad pedes diſerte referat Daniel in expoſitione ſomnii vſ. 41.

§. XXVIII. 3. *Decem* beſtiæ *cornua*, quæ præcipuam in ea merentur animadverſionem, tanquam characteres diſtinguentes ducentia, ex hac hypotheſi nullo modo explicari & oſtendi queunt. Solent quidem ad *decem* reges, ſive partim Lagidas, partim Seleucidas, ſive ſolius regni Seleucidarum, referri, nec etiam alia via patet: ſed *a. cornua* non reges ſingulares, qua tales, verum bellicoſos, & regni vel fundatores vel inſtauratores una cum ſucceſſoribus repræſentant; ut *quatuor* cornua hirci poſt *unum* fractum enata c. VIII. & alia, de quo poſtea, demonſtrant. *b.* Non *decem*, ſed *plures* Ægypti & Syriæ reges ex indubia hiſtoria in vulgus noti ſunt: adeoque vel *indefinitus* numerus erit ſumendus, quod ſupra refutavi, & temere fit, vel *decem* reges ex reliquorum numero eligendi ſunt; quorum hic ratio tantum fuerit habita. In quibus recenſendis fruſtra hucusque laborarunt, & laborabunt in poſterum, cum nullus ad manus ſit character, quo reges, per cornua depicti, a reliquis diſtingui poſſint. Quæ ratio eſt, quare tantopere in eorum catalogo diſcrepent Docti illi viri: cujus ſpecimen non abs re fuerit dediſſe. Ex opinione Fr. Junii ſunt ſequentes, Seleucus Nicator, Antiochus Soter, Antiochus Theos, Seleucus

leucus Callinicus, Ptolemæus Euergetes, Seleucus Ceraunus, Antiochus M., Ptolemæus Philopator, Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes. III. Grotium ſi adieris, hos reperies, Ptol. Lagi, Seleuc. Nicat., Ptol. Eupat., Ptol. Euerget., Seleuc. Callin., Antioch. M., Ptol. Philopat., Ptol. Epiphan., Seleuc. Philop., Antioch. Epiphan. Rev. Bekker, vir Doctus, hos conſignavit, Ptol. Lagi, Ptol. Philadelph, Antioch. Theos, Ptol. Euerget., Ptol. Philopat., Antioch. M., Ptol. Epiphan., Seleuc. Philopat., Ptol. Philomet., Ptol. Phyſcon., alias Euerget. Tandem catalogum eorum texat Caſparus Abel, vir minime ſpernendus, in hiſtoria Monarch. l. 1. c. 1. ſecundum quem hi in ſcenam prodeunt, Ptol. Lagi, Seleuc. Nicat., Ptolem. Philad., Antioch. Theus, Ptolem. Euerget., Seleuc. Callinic., Antioch. M., Ptol. Philopat., Ptolem. Epiphan., Seleucus Ceraun.

§. XXIX. Ad hanc haud leviter discrepantem recenſionem notari velim. 1. reges hosce, ſi a tribus vel quatuor diſceſſeris, non tantum nihil præſtitiſſe, quo *cornuum* ſpeciem prætuliſſe cenſeri queant, ſed contra ignavos fuiſſe, qui regnum vix tuiti ſunt. Capitum utique longe aptius quam cornuum emblema ipſis competit. 2. Nullam dari poſſe rationem, nec quare alius catalogus alio ſit rectior, & alius præ alio ſit eligendus, nec quare hi & non alii reges locum inter cornua receperint, multo minus, quid Spiritum propheticum ad decem hos reges hac imagine ob oculos ponendum moverit. Duæ quidem rationes aliqua cum ſpecie proferri ſolent, altera in relatione eorum ad populum Judæum, altera in nuda prophetia cap. XI., quæ nonnullorum Syriæ & Ægypti regum meminit, quærenda: ſed quarum neutra ſufficit. Prior, quæ paſſim dari ſolet, eo tantum nititur fundamento, alios Lagidarum & Seleucidarum aliis fuiſſe graviores Judæorum hoſtes & perſecutores, quorum præcipuus character fuit in populum Dei ſævire. Sed hæc ratio in pauciſſimos tantum quadrat, in

neminem proprie & cum aliqua emphaſi, niſi Antiochum Epiphanem; cui tamen locus inter *decem* cornua non competit, cum *parvum* cornu haberi ſoleat. Ptolemæus Philopator quidem aliquid molitus eſt in Judæos, quod huc trahi poſſet, ſed cum ſolius *tertii* Maccabæorum libri, non utique magni pretii & dubiæ auctoritatis, fide nitatur; quis quæſo eſt, qui verbi prophetici interpretationem in eo fundaverit? Reges Ægypti & Syriæ, etſi mutuis bellis multum moleſtiæ crearint Judæis in Palæſtina, eos etiam ſervitute & tributis preſſerint: attamen nec omnes id fecerunt, nec eo gradu, ut *cornua* tam terribilis beſtiæ propterea audire mereantur. *Poſterior* ratio, quam ab Abelo prolatam vidi, non foret ſpernenda, ſi tot tantum, & illi in ſpecie reges cap. XI. in ſcenam producti eſſent. Sed præter reges, ab Abelo memoratos, ſeſe ibi offerunt, Seleucus Philopator, Heliodorus uſurpator, Ptolem. Philometor, Ptolem. Euergetes II. & Antiochus Eupator, ut ſuo tempore videbimus.

§. XXX. *c.* Obſtat denique huic hypotheſi de regibus Syriæ & Ægypti vehementer, quod cornua non *ſucceſſivos*, ſed *æquales* reges exhibeant; tum quod *ſimul* fuerint in capite beſtiæ viſa a Daniele, non unum poſt aliud, tum quod parvum cornu diſerte aliis *decem* dicatur poſterius & inter ea ſubnatum, quæ itaque unius fuerint temporis neceſſe eſt, tum quod parvum cornu *ſociis* adpelletur excelſius, vſ. 20. itaque & tunc adhuc exiſtentibus, tum poſtremo, quod *tria* legantur eradicata ab eo, quæ ſimul fuerunt *d.* Quæ omnia ex *decem* digitis in pedibus coloſſi confirmantur, ut cuique facile patet. Illi enim quemadmodum uno eodemque tempore exiſtunt; adeoque æquales reges vel regna figurant: ſic cum tanquam *diviſi* regni partes occurrunt, quod in reges ſibi in eodem regno ſuccedentes non convenit, tum locum demum reperiunt, poſteaquam regnum *unitum* aliquandiu ſtetiſſet: poſt *crura* enim ferrea *pedes* demum ex luto & forre

ferro mixti in decem digitos exeunt. Quæ duplex regni quarti epocha, altera uniti, altera in *decem* partes diviſi, & hæc illa poſterior, in regnis *Seleucidarum* & *Lagidarum* nulla ſpecie demonſtrari poteſt.

§. XXXI. 4. Succedat tandem *parvum cornu*, & reliquis decem poſterius ortu, & trium eorum, loco motorum, ſedes occupans; quod pro unius Antiochi Epiphanis emblemate, quæ Doctorum horum opinio eſt, haberi plane nequit. *a.* Quia *cornua* demonſtrari nequeunt, inter quæ, adhuc vigentia, ortum habuit, ut hic dicitur. De quo modo egi. *b.* Quia *parvi* cornu lineas non præſtitit; dum ſe oſtentavit. Fuit enim Antiochi M. filius, & Seleuci Philopatoris, regis præcedentis, quem excepit, frater, in eodem Syriæ regno, ſatis adhuc potente & illuſtri, ſucceſſor. Quid itaque eſt, quod ipſum ex *parvis* & *vilibus* initiis fuiſſe ortum arguit? num quod *obſes* Romæ degerit? ſed quid hoc ad regnum, quod accepit? quid ad regiam dignitatem, cujus reſpectu *cornu* dicitur, & crevit ex parvis initiis? cornu parvum audit, cum in regno ſeſe primum vel in medio regum aut regnorum erigere cœpit. Initia regni ejus, reſpectu aliorum, nulla de ratione haberi poſſunt *exilia* & abjecta. Vulgo quidem *ſpretus* cenſetur adpellari Dan. XI: 21. & ad ſtatum ejus abjectum, quo Romæ *obſes* fuit, referri ſolet. Sed a. tantum abeſt, ut Romæ fuerit contemtui habitus, ut contra *non pro obſide*, *ſed pro rege omnibus ordinibus* fuerit, teſte Livio l. XLII: 6. *b.* Titulus *ſpreti*, ſi de Antiocho Epiphane ſit capiendus, quod non putem, ut ſuo loco obſervabo, non niſi ad *vitam* & *mores* ejus adplicari poteſt; quod huc nihil facit. Ad regni enim initia nullo modo pertinere poterit, acſi a populo *ſpretus* contra ejus voluntatem regnum ſibi rapuerit, ut vulgo volunt. Eſt enim illud a vero alienum; cum a populo pronis animis fuerit exceptus, & propterea adpellatus ἐπιφανὴς *præſens Deus*, qui, cum regnum ab alienis rape-

peretur; adparuit tanquam rex οἰκεῖος, & *avitæ ditionis adſertor:* ut Appian. Syr. p. 187. tradit.

§. XXXII. *c.* Nec illud in Antiocho Epiphane faciles habet explicatus, quod cornu parvum *ſpecie*, vel potius *coruſcatione* & *ſplendore*, (quæ vis vocis חזות eſt,) dicatur *ſociis*, ſeu reliquis cornubus, ſuperior & excellentior, cap. VII: 20. Quid enim habuit, quid præſtitit Antiochus, quo Seleuco Nicatori, & Antiocho M. ex deceſſoribus, nec non Ptolemæo Lagi, Philadelpho, Euergetæ ex Lagidis præferri mereatur? Quod ſi a tyrannide & violentis oppreſſionibus Judæorum diſceſſeris, nihil egit, quo reliquis eminuit. Expeditiones ejus in Ægyptum aliquam bellicæ laudis gloriam ipſi conciliare potuiſſent, licet reliquis regibus præcedentibus non majorem, niſi turpi exitu fuiſſent contaminatæ; cum ſolo Romanorum juſſu diſcedere coactus fuit. Quæ nota eſt hiſtoria. Præterea in regni adminiſtratione ſe *metuendum* quidem, ſed non *glorioſum* aut excellentiorem demonſtravit. De quo poſtea pluribus.

§. XXXIII. *d.* Denique *trium cornuum eradicatio*, quæ præcipuum hujus cornu criterium continet, ab Antiocho Epiphane oculos avertere plane jubet. Quæ enim *tria* cornua, ſive reges, ſive, ut emblema poſtulat, regna intelligentur, quæ Antiocho locum fecerunt, ab eo evulſa? Porphyrius, ut ab eo incipiam, Ptolemæos duos, *Philometora* & *Euergetem*, reges Ægyptios, & *Artaxiam* regem Armeniæ, teſte Hieronymo, monſtrat. Cui reſpondet Hieronymus, *duo priores multo antequam naſceretur Antiochus fuiſſe mortuos, contra Artaxiam quidem dimicaſſe Antiochum, ſed illum in regno priſtino manſiſſe:* recte quod ad Artaxiam, quem ab Antiocho paulo ante mortem quidem victum & captum, ſed nec occiſum, nec regno privatum, multo minus regnum ejus deſtructum fuiſſe, tradit Appian. in Syr. p. 188. & 212. adeoque nulla ratione pro *cornu eradicato* haberi poteſt. Addatur,

datur, *Artaxiam* hic ſecundum vulgatam opinionem non poſſe in cenſum venire, quia inter *cornua beſtiæ* locum non habet: ut ex ſuperioribus liquet. In duobus prioribus refellendis doctum Patrem feſellit memoria, Philometora & Philopatora, duosque Euergetes, primum & ſecundum, non diſtinguentem. Fuit enim Antiocho cum duobus Ptolemæis fratribus, Philometore & Euergete II., alias Phyſcone, omnino multum negotii, ut ex hiſtoria eſt teſtatiſſimum. Rectius itaque regeſſiſſet Hieronymus, tantum abeſſe, ut hoſce reges de ſede deturbaverit Antiochus, eorumque regnum deleverit, ut, licet initio id facturus videretur, ſpe ſua exciderit, & juſſu Romanorum cum ſummo dedecore finibus excedere coactus fuerit: de quo ipſe Daniel c. XI: 29, 30. luculenter vaticinatus eſt, & hiſtoria indubia teſtatur. Nec debellati itaque ſunt hi reges, nec regnum diſparuit, ſed primo penes Philometora, dem Euetgeten fuit, & ad poſteros propagatum eſt. Hæc licet clara, & nemini in hiſtoria verſato non nota, facere tamen non potuerunt, ut recentiores, etiam eruditione celebres, eos miſſos fecerint; forte, quia alii non ſuppetebant, nec ab hypotheſi diſcedere fas putabant. Utique C. Abel ex Philometore & Artaxia, Bekker ex Philometore & Euergete *duo* cornua fecit; tertium *ille* in *Demetrio* Antiochi fratris filio, *hic* in *Seleuco* Philopatore Demetrii patre, & Antiochi fratre, quæſivit: uterque infeliciter. Demetrio enim præripuit quidem regnum Antiochus, ſed eum nec occidit, nec regno in perpetuum privavit, cum illud poſt filium Antiochi occiſum ſibi vindicaverit: ne dicam, Demetrium, quo tempore Antiochus ſucceſſit, nondum *regem* fuiſſe, nedum *cornu;* cum Romæ *obſidem* egerit. Sed quo jure *Seleucus Philopator* locum inter tria hæc cornua teneat, me haud perſpicere fateor; cum non *Antiochi*, ſed *Heliodori* fraudibus perierit, nec ſucceſſoribus caruerit, nequidem ex ſua ſtirpe. Quæ cum clara luce fulgeant,

geant, vel doctiſſimos adeo cæcutiiſſe, cui non mirum accidat? Ipſe etiam Ill. Grotius de Seleuco Philopatore & Demetrio, Patre & Filio, cogitavit, & tertium addidit *Ptolemæum Philopatora;* quod longius adhuc a vero eſt remotum, niſi *Philometora* dicere voluerit, ut ad vſ. 24. habet. Fr. Junius tamen *Philopatora* diſerte recenſet, & eum Antiochi Epiphanis fraudibus magis, quam Antiochi M. virtute & armis, coactum fuiſſe in Ægyptum regredi autumat. Quæ valde abſona ſunt, nec ullam merentur adtentionem. Hæc & horum ſimilia, quæ lubens prætereo, nihilo meliora Doctorum virorum cogitata, quantis in anguſtiis verſentur, & quam deſperata ſit eorum cauſa, luce clarius, ni fallor, arguunt.

§. XXXV. Moleſto hoc labore, quem aliorum ſententiis refutandis impendi, in quo ægerrime propter virorum eruditionem & auctoritatem, quam ſi quis alius ſuſpicio, verſari ſoleo, defunctus, lætiorem & forte utiliorem ad operam me adcingo; mea qualiacunque cogitata in publicum producturus, & illuſtraturus. *Libera enim*, ut Quinctil. Inſt. Or. l. 11: c. 8. recte decernit, *vel contra receptas perſuaſiones rationem ſequenti, ſententia eſt.* Quo fini ante omnia *duplicem* regni quarti periodum, alteram *uniti*, alteram *diviſi* regni, illam priorem & hanc poſteriorem, in *imagine* clarius, ſed in *viſo* animalium occultius, conſpicuam, adtendi velim. In coloſſo primum occurrunt *crura* unius metalli *ferrea;* dein pedes ex *luto* & *ferro*, qui in *decem digitos* deſinunt. Quod Daniel in expoſitione plane adſerit, regnum fore diviſum dicens. c. II: 41. Quæ diviſi regni periodus ad pedes eorumque digitos relata, ut a Daniele fit; non mox, ſed aliquandiu poſt regnum quartum erectum, locum ſit habitura neceſſe eſt. Decem vero cornua num mox in quarta beſtia conſpexerit Daniel, an poſt nata? ex ipſo viſo quidem definiri nequit: ſed comparatio cum decem digitis pedum, quibus hæc cornua manifeſte reſpondent, *cornua*

ali-

aliquando poſt orta fuiſſe facile evincit. Quod Angeli explicatio ulterius confirmat; quum c. VII: 24. cornua exponens, *ex eo regno* alia decem eſſe *oritura* dicit, regno itaque, per beſtiam depicto, poſteriora. Tertium vero viſum de *Hirco*, primum *unicorne*, dein *quatuor* cornuum in unius locum, extra dubium collocat. *Viſa* autem ſe invicem illuſtrare, ſupra jam ſuo loco obſervavi, & res ipſa docet.

§. XXXIV. Duplicis hujus periodi ratione habita, *quarta* pars imaginis, quæ *crura* ferrea, & pedes cum digitis mixtæ materiæ, *ferreæ* & *luteæ*, præfert, & *quarta* fera, *decem* cornua in capite gerens, ex mea opinione *Regnum* ab Alexandro M. fundatum, & poſt ipſius mortem in varia regna diſtractum, adeoque regnum primo *unitum*, dein *diviſum*, repræſentat; ita ut *crura ferrea* & *quarta* fera ad regnum Alexandri ipſius, *pedes* cum digitis & decem *cornua* ad Alexandrinum diviſum, ex quo vel in quo totidem regna exorta ſunt, pertineant: hoc tantum cum diſcrimine, quod *pedes* & digiti regna, quæ, ſive mox a morte Alexandri, ſive aliquandiu poſt orta, vigerent vel ſubſiſterent circa tempus, quo lapis in imaginem impingere inciperet, conſpicienda præbeant: *cornua* vero regnorum ſint emblemata, quæ brevi poſt Alexandri mortem in lucem prodirent, ſed aliquam ſubirent progreſſu temporis mutationem; qua fieret, ut *tria* per unum deſtruerentur, & loco cederent; cui poſtea *duo* alia regna ſe adjungerent, numerum denarium denuo completura. Quod aliquale diſcrimen ex ipſa viſorum conſtructione cuique paulo adtentiori facile ſeſe offert. Digiti enim ſunt pedum extrema; & *lapidis* impulſum primi exceperunt: adeoque eo tempore exiſterent. Cornua vero ſeſe mox oſtentarunt, ita ut eorum ortum vix animadverterit Daniel, & inter ea parvum aliquod ſubnatum *tria* eradicavit: abſque ut dicatur aut negetur, locum eorum ab *uno* illo, an a *tribus* eſſe ſupplendum; quod

quod ex comparatione cum viſo imaginis eſt colligendum. Viſa enim eo tendere, ut ſibi invicem lucem accendant, & regnorum eorundem diverſas qualitates ob oculos ponant, ſæpe notavi.

§. XXXVI. *Cornua* decem, ut ſyſtematis paulo pleniorem intellectum brevibus pandam, totidem reges ſunt, qui regna condiderunt in regno Alexandrino, una cum ſucceſſoribus, exceptis tribus exſtirpatis; quos ex hiſtoria ſequentes exhibeo, Antigonum & Demetrium in Aſia, Lyſimachum in Thracia, Caſſandrum in Macedonia, Ptolemæum Lagi in Ægypto, Philetærum in Aſia Pergamena, Bas vel Sipoeten in Bithynia, Mithridatem in Ponto, Ariarathem in Cappadocia, & Atropatem in Media Atropatia. *Parvum cornu*, inter ea in ſublime evectum, deſignat *Seleucum* Nicatora, qui partim ipſe partim in ſucceſſoribus, & in primis Antiocho Epiphane, omnes hujus cornu lineas exacte præſtitit. Tria denique cornua, ab ipſo dejecta, ſunt *Antigonus*, *Demetrius* & *Lyſimachus:* reliqua geſta Antiochus Epiphanes, unus ſucceſſorum ejus, executus eſt. Poſt Seleuci tempora in ejus regno exorta ſunt duo regna, Bactrianum a Theodoto, *Armeniæ* ab Artaxio & Zadriado: quæ cum Seleucidarum regno reliquis addita *numerum* denarium denuo conſtituunt, & regna per *digitos* coloſſi expicta. Quæ ſunt, Macedonicum, Lagidarum, Seleucidarum, Pergamenum, Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, Bactriæ, Armeniæ, & Mediæ Atropatiæ. Regnis *Parthico* & *Indico* quare locum nullum dederim, ſequente Diſſertatione explanabo.

§. XXXVII. Hoc ſyſtema quemadmodum cum præcedentibus horum viſorum partibus apte cohæret, regna enim Orientis ſibi ordine ſucceſſerunt, Babylonicum, Medicum, Perſicum & Macedonicum; ut ex ſuperioribus Diſſertationibus elucet, ſic ſeſe & eo commendat, quod 1. harmoniæ verbi prophetici, fata regnorum us-

que

que ad Meſſiam pertexentis, & in Syro-Macedonibus ac Lagidis deſinentis, de quo ſupra egi, reſpondeat 2. emblematum omnibus partibus, & hiſtoriæ ſatisfaciat, ut ſequentia docebunt. 3. reliquis hujus libri vaticiniis apte conveniat. Quæ enim de regni Alexandri diviſionibus cap. VIII. & XI. de cornu parvo cap. VII. & cornu ex uno regnorum Alexandrinorum orto cap. VIII. & Antiocho Epiphane cap. XI. habentur, adeo æqualia ſunt, ut nihil magis. Verum quidem eſt, in *unius* locum *quatuor* cenſeri cornua in Hirco ſucceſſiſſe cap. VIII: 8. 22. cum quartæ feræ *decem* adpingantur, totidem regnorum emblemata; quæ haud exigua videtur ad primam ſpeciem differentia, quæ forte alicui moram injiciat: ſed, rè accuratius explorata, quicquid hic videtur difficultatis facile evaneſcet. 1. Communis ſi obtineat opinio de *quatuor* præciſe regnis, ex Alexandrino ortis, per hæc cornua repræſentatis, *quaternarii* numerii ratio in promptu eſt, non inde, quod tot tantum regna poſt Alexandrum ſurgerent in ejus imperio, repetenda, ſed in eo quærenda, quod tum *primaria*, tum *ejusdem* gentis regna hic intelligantur. Cujus duplicis criterii veſtigia haud obſcura in ipſo textu ſeſe offerunt. Primaria regna comparatio cum *quatuor ventis coeli*, utique *cardinalibus*, cap. VIII: 8. exhibet. Eandem gentem, ſive Græcos, intelligi, Angelus docet vſ. 22. ubi in unius regis, ſeu regni ſub uno rege, locum *quatuor* dicit conſtitura regna מגוי *ex gente*, vel *gentis ejus*; adeoque regna, in quibus Gens Græcorum primas teneret. Quemadmodum itaque *decem* cornua in quarta fera totidem regna, in Alexandrino erigenda, in genere ob oculos ponunt, majora minora, ſive Græcorum ſive alius gentis: ſic hoc in viſo *quatuor* cornua tot fore *primaria* & originalia ejusdem *gentis* regna ſignificant. Quæ tantum abeſt ut ſecum pugnent, ut potius ſibi lucem mutuentur. Quatuor autem illa regna 1. mox poſt Alexandri mortem, & divi-

ſionem a Ducibus inſtitutam, fuerunt Macedonicum, Thracicum, Aſiaticum & Ægyptiacum: deinde, 2. Aſiatico in Antigono & Demetrio deſtructo, Ægyptiacum, Syro Macedonicum, Thracicum & Macedonicum. Sed 3. Thracico haud diu poſt deleto & Lyſimacho ſuperato a Seleuco Nicatore, Macedonicum, Syriacum, Ægyptiacum & Pergamenum, eo ipſo tempore a Philetæro erectum. Hac ratione niſi quatuor regna pro diverſitate temporum capias; in illis recenſendis aquam tibi hærere, niſi hiſtoriæ imperitus ſis, ipſe experieris.

§. XXXVIII. 2. Sed ne hæc ipſa quidem interpretatio nihil ſcrupuli reliquum facit. *a.* enim duo regna, *Aſiaticum* & *Thracicum*, antequam ſucceſſio Alexandrina eo ſuerit adducta, ut regna ſtabilem acceperint ſedem, in obſcurum fuerunt miſſa, & a Syriaco abſorpta. Pergamenum vero quare prae aliis in Aſia fundatis locum teneat inter quatuor cornua primaria, vix ad liquidum adduci poteſt *b.* Quatuor illa regna, difficulter cum quatuor ventis cœlorum in concordiam rediguntur, quia *Septentrionale*, aut *Orientale* vix demonſtrari poterit. Duo enim ex quatuor, modo recenſitis, fuerunt *Occidentalia*, primum Thracicum, dein Pergamenum, cum Macedonico. Ægyptiacum ad meridiem; ergo *Aſiaticum* primum, dein Syro-Macedonicum, utramque cœli plagam, vel alterutram reſpexit. Hæ difficultates vix commodius evitari poterunt, quam ſi *quaternarium* numerum non regnorum, ſed ventorum cœli cauſa fuiſſe electum, adeoque non regna hoc numero concludi, ſed in regno Alexandrino, quam late patebat ſecundum longitudinem & latitudinem ſuam, verſus *quatuor* cœli plagas, regna varia eſſe oritura. Quæ cogitatio robur acquirit ex eo, tum quod cap. VIII: 8. mox explicationis gratia addatur, *ſecundum quatuor ventos cœli*, argumento, eo tantum ſpectare quaternarium numerum, tum quod cap. XI: 4. regnum Alexandrinum in genere dicatur

tur *dividendum in quatuor ventos*, quaternarii regnorum numeri nulla facta mentione; manifeſta tamen cum adluſione ad hæc *quatuor cornua* Hirci. Secundum hanc hypotheſin cum regnorum numerus non definiatur; viſa de *decem* & *quatuor* cornibus re ipſa nihil ſecum diſſidebunt; ſed ſe amœna luce mutuo perfundent: *decem* quippe cornua *numerum* regnorum, & *quatuor* tot plagas cœli determinabunt; adeoque decem regna per omnes cœli plagas, ſive per totam regni Alexandrini amplitudinem, locum habitura, ex utroque viſo, ſecum collato, pateſcet. Quod hiſtoriæ omnino eſt conſentaneum, ut nemini non manifeſtum eſt.

§. XXXIX. Syſtemate in genere propoſito & confirmato, emblematum explicationem, quæ, ſi quid adhuc ſuperſit difficultatis, ſuo loco explanabit, adgredior, a priore regni Alexandrini, ſeu *uniti*, periodo ſumto initio. Primum emblema *crura ferrea* Imaginis præbent: Dan. II: 33., quod propheta his verbis verſ. 40. exponit. *Et regnum quartum erit penetrante rigore præditum inſtar ferri; propterea quod ferrum conterit & frangit omnia. Itaque ſicut ferrum confringit hæc omnia conteret & comminuet.* Quæ verſio ſicut facilem fundit ſenſum, ſic ſtructuræ vocum apte convenit, nec uberiore luce indiget: modo notetur, 1. ו in וכפרזלא vel inferendi, vel adſeverandi habere poteſtatem, adeoque vel *itaque*, vel *profecto* verti poſſe. Cujus utriusque uſus nimis nota ſunt exempla, quam ut ea proferam. 2. voces, *hæc omnia*, circa finem verſus ad præcedentia ſeſe & ſequentia porrigere: ut ſit; ſicut hæc omnia confringit ferrum, ita hæc omnia conteret hoc regnum. Verba, ut emblematis conſpectum ex hac Danielis expoſitione pandam, non tam *durabilitatem* denotant, quam *inſuperabilem* & omnia vincentem ejus vim, qua, quamdiu impetum fecit, penetrante ſuo rigore omnia ſubegit & contrivit; absque ut ei aliquid reſiſtere queat. Quo, præterquam quod tota explicatio

 de

de impetu irreſiſtibili agat, nihilque de longiore aut breviore duratione habeat, ipſa vox תַּקִּפָה, ſi originem & primariam poteſtatem adtendas, nos manifeſte ducit. Radicem תקף eſſe *praepolluit*, *vicit*, & proprietatem habere in *penetrante rigore*, obſervavit Cl. Schultens clav. p. 312. & in Comm. ad Job. XIV: 20. ubi primariam vim eſſe ait, συφελίζειν *invicta duritie ſuperare* aliquid, vel *domare*. Uſurpatur quoque de bellatore, qui omnia vi invicta opprimit Job. XVII: 24. Quod huc egregie quadrat. Sequens quoque imaginis pars, quæ *pedes* ex luto & ferro exhibet, perpetuam, vel longe duraturam, regni firmitatem refutat.

§ XL. Ferri denique metallum, cujus inflexa eſt durities, & præcipuus in bello uſus, σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς πολέμων ὄργανα, *ferrum vero & aes bellica ſunt inſtrumenta*, ut Plato inquit Leg. XII. p. 956. ſicut hoſtilem impetum, ita inſuperabilem vim, quæ per omnia penetrat, recte depingit, & eo ſenſu apud ſacros ac exoticos frequenter adhibetur. Sic Mich. IV: 13. *ſurge & tritura Filia Tſion, quia cornu tuum ponam ferrum - - - & conteres populos multos:* ubi de heroica Maccabæorum virtute, omnem vim hoſtilem frangente, agitur. Videatur etiam, ne plura citem, Jer. XV: 12. nec non Pſ. II: 9. ubi Meſſiæ eodem ſcopo *virga ferrea*, qua hoſtes confringeret *inſtar vaſis figlini*, adtribuitur. Apud Theocrit. Idyll. 22. verſ. 47. terribilis bellator dicitur:

Σαρκὶ σιδηρείῃ, σφυρήλατος οἷα κολοσσός.

Carne ferrea, quaſi malleis fabricatus coloſſus.

quod a ſcopo non erat alienum, ut nec quod civitas *bellicoſa* & rigida cum *ferro* comparetur apud Plut. Num. pag. 64. & *gravis armatura* cum *muro ferreo* a Veget. II: 17. Plura in re nota & ubique obvia citaſſe nihil adtinet.

§ XLI. Quid hoc emblemate aptius in Macedonum & Alexan-

Alexandri expeditiones; quibus, Græcis ſubito in ordinem redactis, Darii exercitus profligavit, populos quoscunque invicta virtute per Aſiam & Ægyptum proſtravit & domuit? Ferream vim præterea exſeruit tum in perpetuis victoriis, quibus nemini ſuccubuit, nulli hoſti ceſſit, tum in facili & ſubitanea omnium gentium oppreſſione, tum denique in multiplicibus hoſtium cædibus, & urbium multarum deſtructionibus: de quibus mox. Quæ omnia ſub hoc emblemate latent, & ex hiſtoria in vulgus nota ſunt. Unum itaque alterumve de infracto ejus animo, & invicta virtute, cui nihil reſiſtere poterat, teſtimonium protuliſſe ſuffecerit. Alexander, teſte Arrian. exp. Alex. l. IV: p. 180. nihil ſibi *inexpugnabile* cenſuit: quod mox p. 181. de ipſo teſtatur, dicens, *Alexandro, ejusque exercitui*, βιᾳ οὐδὲν ὅ, τι οὐχ' ἁλωτὸν εἶναι *nihil, quod vi non eſſet ſuperabile*. Quod ipſum l. VII: p. 294. & alibi repetit. *Cum nullo hoſtium unquam congreſſus eſt*, inquit de ipſo Juſt. XII: 16. *quem non vicerit, nullam urbem obſedit, quam non expugnaverit, nullam gentem adiit, quam non calcaverit.* Sed cui hæc non ſunt nota? Non poſſum tamen, quin ἀνικήτου *invicti* titulum, quo ipſum divinitus ornatum tradunt, huc adferam. Plut. in Alex. p. 671. Valer. Max. IV: 38. *Sic externa vi non interritus modo rex, ſed invictus*, Curt. VI: 7. audit. Nec forte abs re fuerit, ne de exercitu ejus ſileam, *Phalangem Macedonicam, quæ ut invicta tum temporis omnium ore celebratur*, quæ verba Arrian. l. II. p. 77. ſunt, uno verbo memoraſſe: de qua legendus eſt Polyb. l. XVII: p. 1063. Erat autem Alexandri & Philippi inventum, quo Macedones hoſtibus erant *maxime terribiles*, ut habet App. Alex. Syr. p. 159. Utique Æmilius Paulus, dux Romanorum, *ſe nihil terribilius hac phalange vidiſſe*, fatetur in fragmento, Polybio inſcripto ex Suida, Oper. Polyb. p. 1524. De *inveterata* totius gentis Macedonicæ *virtute*, quæ Curt. IV: 10. phraſis eſt, cum *ferro* comparanda, proferre etiam aliqua poſ-

ſem, ſi res non eſſet in vulgus nota. *Enimvero Macedones*, inquit Polyb. IV: 2. *in acie probatiſſimi fortiſſimique milites ſunt.* Fuerunt quoque ipſis adſidua certamina cum Thracibus & Illyriis, *quorum armis*, ut Juſtin. VII: 3. ait, *veluti quotidiano exercitio indurati gloria bellicae laudis finitimos terrebant.* Qui & alibi l. IX: 3. Athenienſes, licet militum numero longe præſtarent, *adſiduis bellis indurata virtute Macedonum fuiſſe victos*, tradit. Sic & Flor. II: 12. *fortiſſimi populi* elogio eos ornat. Erat utique populus quaſi in caſtris natus, & totus *militaris.* Hic tantus Heros, tantæ virtutis exercitu cinctus, & ipſe *ſolus a condito aevo inexſuperabili imperio orbis auctus* &c., ut de ipſo Apulej. I. Flor., haud procul ab initio, loquitur, *ferri* lineas quin exacte expreſſerit, dubium non eſt.

§. XLII. *Ferreum* hoc ejus regnum non fuit quidem *diuturnum:* ſed illud 1. nobis non obſtat, cum quod tale fuerit, quamdiu Alexander in vivis fuit, adeoque Alexandri regni prior periodus duravit, quia non *durabilitas* ſed *durities* hic tantum in cenſum venit, ut modo notavi, tum quod ipſum regnum in ſucceſſoribus diu ſteterit, & de *duritie ferri* aliquid retinuerit; ut mixtura ferri & luti in pedibus demonſtrat. 2. Imo tantum abeſt, ut noſtræ opinioni officiat, ut robur potius addat. Tanto enim magis cum *ferro* comparari meretur, quod breviſſimo tempore plura contriverit; quam alii longiſſimo. Quod *ferri* qualitatem plenius præſtat, quam ſi longum ſpatium fuiſſet inſumtum. Ipſe igitur *parvum amplisſimum effecit*, ut Valer. Max. IX: 12. verbis utar, *numerum annorum multitudine operum ſuperando.* De quo gloriatur apud Curt. IX: 6. *ego me metior non aetatis ſpatio*, ſed *gloriae:* & mox, *verum ego, qui non annos meos*, ſed *victorias numero*, *ſi munera fortunae bene computo, diu vixi. Itaque*, ut verbis Mamertini de Juliano cap. 14. concludam, *grandaevum jam imperium videbitur his, qui non ratione dierum, aut menſium,*

ſunt, ſed operum multitudine & effectarum rerum modo tempora metiuntur.

§. LIII. Denique *duo* crura, ſi quis numeri *binarii* rationem habendam eſſe velit, in regno Alexandrino faciles admittunt explicatus, ſive quis duo regni columina, ſive totidem *latera* & partes intelligi autumet. Crura, quæ corpori inſtar *columnarum* ſunt, quare *crura ſponſi* cum *columnis marmoreis* comparantnr Cant. v: 15. ad duos hujus regni fundatores, *Philippum* & *Alexandrum*, Patrem & Filium, qui *ſummum imperium in orbe terrarum Macedonum* fecerunt, ut verba Livii c. XLV: 7. de illis habent, æque recte, ac *duae* alæ aquilinæ Leonis ad Nabopolaſſarem & Nebucadnezarem, de quo in prima Diſſert. dixi, ſeſe transferri patiuntur; eoque majore jure, quod Philippus, qui Monarchiæ Macedonicae fundamenta jecit, *Dux* Graecorum contra Perſas aeque ac Alexander fuerit electus. Arrian. l. VII. pag. 285. Diod. Sic. l. XVI. p. 478. Sed ſi ad duo corporis *latera* reſpicias, quid facilius eſt, quam de utroque orbe *Europæ* & *Aſiæ*, ex quo regnum Alexandrinum conſtitit, cogitaſſe, Quare Alexander ἀμφοῖν ταῖν ἠπείραιν *utriusque continentis* rex adpellatur ab Arrian VII. pag. 311., ipſe etiam apud Curt. x: 3. in ſermone ad Perſas, *Aſiæ & Europæ unum atque idem regnum eſt.* Sic & Liv. XLV: 9. *inclitum* ipſi dat per *Europæ plerumque* & *Aſiam omnem* regnum. Cui concinit Dio Chryſ. Orat. XXV. p 282. Duae aquilae, ſupra culmen *domus Patris* ejus *ſedentes*, qua die natus eſt, *omen duplicis Imperii, Europæ Aſiæque*, praetulerunt ſecundum Juſt. XII: 16. Denique, ne plura congeram, *ſi Dii habitum corporis tui*, unus legatorum Scytharum ipſi dixit apud Curt. VII: 8., *aviditati animi parem voluiſſent, orbis Te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres.* Sic & victor *utriusque regionis* audit Curt. IX: 6. Praeterea ἀμφοτέρη μεσόγαια *utraque continens* adpellatur Aſia & Europa apud Callim. in Del. vſ. 168.

168. Xerxes quoque dicitur τῆς ἑτέρας ἠπείρου κύριος *alterius terræ dominus* apud Dion. Chryſ. Orat. XVII. p. 250. Oriens etiam & Occidens pro duobus mundi lateribus, illo dextro, hoc ſiniſtro, haberi ſolent apud antiquiſſimos Philoſophos, ut ex Plut. Plac. Phil. II: 10. patet. Novi equidem eſſe, qui *duo crura diviſi* regni volunt eſſe emblemata, adeoque vel ad Lagidarum & Seleucidarum Imperia, vel Senatum populumque Romanum, aut Orientale & Occidentale Imperium pertinere. Sed, ne plura proferam, *unitum*, & non *diviſum* regnum per *crura* expingi, ut ſupra demonſtravi, vel unum *ferri* metallum, ex quo fuerunt, demonſtrat: quod idem in ſuperio ibus imaginis partibus locum habuit.

§. XLIV. Conferamus nos nunc ad *quartam* beſtiam, quae his verbis deſcribitur cap. VII: 7. *Ecce quarta beſtia terribilis & formidabilis, & penetrante rigore prædita valde, & dentes ferrei ipſi erant multi: devoravit & comminuit, & reſiduum pedibus ſuis conculcavit: ipſaque omnibus beſtiis præcedentibus erat diſſimilis.* Quae deſcriptio repetitur vſ. 19. cum hac tantum varietate, quod *ungues ænei* addantur. Beſtia itaque depingitur adſpectu terrifica, invincibili potentia & inſatiabili cupiditate nocendi praedita, omnibus inſtrumentis ad laedendum inſtructa, quae & omnia ſubigebat ac diripiebat, & *vaſtationes* quaquaverſum circumferebat. Quae cum nullo nomine inſigniatur, ſive quod nullam feram habuerit ſimilem, ſive quod in Oriente ignota eſſet, in ea monſtranda & definienda fruſtra laborari exiſtimaverim. Ingenioſe quidem Cl. Commentator poſt Launaeum ex Ap. XIII: 2., belluam hanc ex Pardo, Urſo & Leone fuiſſe monſtruoſe conflatam, eruit; ſed minus ſolide, cum quod ejus aliquod in textu fuiſſet criterium, vel diſerte illud adnotaſſet Daniel, ut in Apocal. fit; tum quod beſtia Apocalyptica non quartae beſtiae, ſed *parvi* tantum ejus cornu dicta & geſta adumbret. Utique ex beſtiae Apocal.

Apo[illegible]ura ſine ratione eadem quartae ferae derivatur. Accedit, beſtiam quartam diſerte *reliquis* dici abſimilem; adeoque nihil de illis hebentem. Quod ſi *ſimilis pardo* fuiſſet, ut Apoc. XIII. habetur, & os tantum Leonis ac pedes Urſi: quo jure reliquis omnibus abſolute dici queat diſſimilis, equidem non perſpicio. Fuit itaque *ignotæ* formae, nullo nomine exprimendae, ut peregrinae gentis, hoc tempore in Oriente ignotae, imaginem eo perfectius gereret. In quo acquieſco.

§. XLV. Ceterum, licet beſtiae hujus characteres in regnis, per decem cornua repraeſentatis, aliquo ſenſu etiam fuerint conſpicui, de quo poſtea, attamen ad regnum unitum Alexandri M. primo & directo ſenſu eos referendos eſſe, ex ſupra dictis ſponte ſua in oculos ſeſe ingerit. Quod nunc ex hiſtoria eſt illuſtrandum & confirmandum. 1. Primum criterium, a rigore ſummo gradu penetrante, & vi invicta omnia domante, deſumtum, a quo יתירה תקפא *invicta* & omnia ſubigente *duritie* prædita adpellatur beſtia, de qua voce ſupra dixi, cogitationem injicit expeditionum bellicarum, quas Macedones ſub Alexandro ſuſceperunt, rapidiſſimarum & potentiſſimarum, quæ citiſſime & facillime per omnia perruperunt, omnia obſtacula & munimenta, quam valida & edita, ſuperarunt, exercitus quoscunque, licet longe majore, quin infinito, mulitum numero, & adparatibus firmiſſimos, proſtraverunt, & urbes, munitiſſimas licet, expugnarunt, absque ut aliquid in rerum natura eſſet, quod reſiſtere potuerit. De quo ad præcedens emblema, quantum ſatis eſt, egi. In ipſo Alexandro præter ſummam *rapiditatem* & *celeritatem*. de qua poſtea, præcipue, tanquam diſtinguens character, incredibilis *audacia*, quævis pericula & obſtacula ſpernens, & pervadens, ſummo gradu, quantum in nullo alio, eluxit. Diod. Sic. L. XVII. pag. 502. ipſi περιβόητον τόλμαν *famigeratiſſimam audaciam* adtribuit, & prælio ad Iſſum præcipuam forti-

 tudinis

tudinis laudem omnium conſenſu retuliſſe, ibid. p. 524. teſtatur. Idem præſtitit, eodem teſte p. 524. in expugnatione Tyri. In ultimo prælio cum Dario Alexander *periculoſiſſima quæque adgrediebatur, & ubi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper ingerebat;* ut Juſt. XI: 14. refert. Quid in oppido Oxydracarum, in quod ſolus inſiluit, & impetum hoſtium ſuſtinuit, egerit, nemini non ex Hiſtoricis notiſſimum eſt. Sed eundem animum ubique ſpiravit; adeo ut inter Alexandri exſtantiores qualitates locum præcipuum teneat audacia inſuperabilis. Auguſtus, nepotem in Hiſpaniam mittens, ei *audaciam* Alexandri adprecatus eſt, ut tradit Plut. Apopht. cap. 47. Ariſtid. Palin. de Smyrnæis pag. 463 Alexandrum inter omnes reges dicit maxime admirandum, τῆς εἰς τὰς πολέμους τόλμης ἕνεκα *ob audaciam in bellis*. Qua ipſum *maxime viguiſſe* quoque obſervat Curt. IV: 9.

§. XLVI. 2. Secundum criterium præbent *dentes ferrei*, & *ungues ænei*, quibus duriſſima & fortiſſima quæque partim vorare & commolere, partim conculcare apta nata erat hæc beſtia. Huc enim ſicut *ferrei* dentes, ita & *æneæ ungulæ*, quæ ſunt duriſſimæ, ut Mich. IV: 13., quare equi ac tauri χαλκόποδες, quod duriſſimam habeant ungulam, dicuntur, ut obſervavit Cl. Boch. H. p. II. l. V. c. 15. manifeſte ſpectant. *Dens* ab Orientalibus tribuitur omni *valido* ſimul, ſimul *lædere* aut *ſaevire* prono, inquit & illuſtrat Cl. Schult. ad Harir. conſ. VI. p. 251. quare cum *gladiis* & *lanceis* ac *Sagittis* comparantur Pſ. LVII: 5. Prov. XXX: 14. In genere itaque *dentes* & *ungues*, illi ferrei hi ænei, inſatiabilem cupiditatem, & inſuperabilem vim omnia ſubigendi, mihi exprimere videntur. Quæ in Alexandrum & Macedonas exacte quadrant. Alexandrum enim cum *ambitio*, qua *totius Orbis Imperium mente complexus eſt* Curt. IX: 2. Lucian. Dial. Mort. XII. p. 288. & jam in initiis *accepto imperio*,

perio, regem ſe terrarum omnium ac mundi adpellari juſſit, ut tradit Juſt. XII: 16. & *cui ſe uni devoviſſe* dicit apud Curt. IX: 6. tum *ira*, in primis in Perſas concepta, agitavit, & in quævis pericula intrepide conjecit: quod ex ejus hiſtoria eſt teſtatiſſimum. Cujus animi primum dedit indicium, cum, navi ad Aſiæ littus primum adpulſa, *tripudianti ſimilis* de *navi armatus proſiluit*. Juſt. IX: 5. qui, eum *incredibili ardore mentis accenſum veniſſe*, addit. De *ira* vero in Perſas in ſuperiore diſſertatione dixi. Specimina & effecta hujus cupiditatis, & vis potentiſſimæ mox proferam. Sed in ſpecie, ne de generalibus belli inſtrumentis, lædendo & deſtruendo aptis, quid dicam, *dentes* ad *comites* & *duces*, *ungues* vero ad milites, utrosque ſtrenuiſſimos, & eodem ſpiritu actos, retuliſſe quid vetat? Ducum virtutem, ex ipſa hiſtoria teſtatiſſimam, expreſſe celebrat Polyb. in Excerpt. Valeſ. p. 25. quem legi velim. De Parmenione ex gr. Curt. VII: 2. *multa ſine Rege proſpere, rex ſine illo nihil magnæ rei geſſerat*: ubi etiam *acer conſilio*, *manu ſtrenuus*, *dicitur*. De *militibus*, vel potius totidem *militiae magiſtris* Juſt. XI: 6. aliquid addam neceſſe quoque non eſt. Sola *phalanx* Macedonica *ungularum* ænearum lineas præſtare poteſt. Cum vero *dentes* capiti adhæreant, & *ungues pedibus*; illos ad comites, hos ad milites apte referri, ſponte ſua eluſcit. Quo facit ἑταίρων, & *proximorum* titulus, quo Macedonas Iſocrates in *Philippo*, & *comites* Alexandri ornat Curt. X: 3.

§. XLVII. 3. Veniamus ad *facinora* hujus beſtiæ, quæ, his dentibus & unguibus armata, edidit terribiliſſima. In quibus *tertium* ejus criterium ſitum eſt. Eam vidit Daniel א *devorare* & *comminuere* ב *reſiduum* pedibus *conculcare*. א. Prius repræſentare opinor α. opes & divitias congeſtas, β. innumeras & terribiles *hominum* cædes factas γ. regna & populos ſubactos. Quæ ſub *vorandi* & *comminuendi* emblemate latere, in *ſecunda* diſſertat.

 ob-

obſervavi: nec eſt difficile, aut longe remotum. Quare, in Macedonum & Alexandri expeditionibus hæc ſumma emphaſi fuiſſe conſpicua, verbo demonſtraſſe ſuffecerit. Hiſtoria enim Alexandri, in vulgus nota, tot tantaque præbet ſpecimina, ut pluribus hic opus non ſit. *α*. Quanta opum & divitiarum copia in Alexandri gremium confluxerit, cui demum, niſi qui de immenſis Aſiæ, & Perſici regni, theſauris nihil inaudivit, non eſt notiſſimum? De ditiſſimis Darii caſtris Diod. Sic. XXVII. p. 514. de *Suſis* Herod. V: 49. Diod. Sic. ib. pag. 540. Curt. V: 2. qui & ib. c. 6. de *Perſepoli*, quam Diod. Sic. *omnium ſub ſole ditiſſimam* ibid. pag. 544. & Juſt. XI. *orbis terrarum ſpoliis refertam* adpellat, de *Ecbatana* Polyb. cap. X. pag. 832. de divitiis Perſarum in genere, præter loca, ſuperiore diſſert. citata, Dionyſ. Perieg. vſ. 1057. & alii egerunt. Vid. etiam Briſſon. regn. Perſ. lib. I. §. 182. Nec minores fuerunt Indorum opes, quas Alexander in ſuam poteſtatem redegit. *Dives*, dicit in oratione ad milites apud Curt. IX: 2., *eſt & imbellis regio; itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam.* Conf. quoque Curt. VIII: 19., ne alios memorem.

§. XLVIII. *β*. De incredibili hominum cæde, hiſce expeditionibus orta, ſi dicere inſtituerem, ubi incipiam, ubi finiam non haberem. In prælio ad Iſſum ſupra 100 barbarorum millia cecidiſſe tradit *Arrian.* exp. Alex. II. pag 78. ad 130 millia numerat Diod. Sic. XVII. p. 515. Tyrus expugnata *multa caede* eſt repleta, Arrian. p. 99. quod & *Gazae* contigit. ib. p. 102. De ultimo prælio cum Dario tradit Juſt. XI: 14. *raro ullo praelio tantum ſanguinis fuiſſe fuſum:* utique 300 millia cæſa ferebantur, teſte Arrian. l. III. pag. 126. Tribus autem cum copiis Darii præliis *quinquies decies centena millia peditum equitumque* fuiſſe abſumta refert Oroſ. III: 17. In pugna

na cum Poro, Indorum rege; 13. millia periiſſe, inquit Arrian. v. p. 157. Hæc ſpeciminis ergo. Merito itaque conqueſti fuerunt aliquando milites, *in unius hominis jactationem tot millium ſanguinem impendi* apud Curt. IV: 10. merito quoque Oroſ. III: 7. eum *miſeriarum magnum gurgitem, & totius Orientis atrociſſimum turbinem* adpellat: & vere de ipſo cecinit Lucan. Pharſ. lib. x.

Perque Aſiae populos fatis urgentibus actus
Humana cum ſtrage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes &c.

ubi etiam terrarum *felix praedo*; & ab aliis *gentium latro* apud Curt. VII: 8., & alios, adpellatur. γ. De terris & populis ſub jugum miſſis ipſum Alexandrum apud Curt. IX: 6. gloriantem audiamus: *orſus a Mecedonia imperium, Graeciam teneo. Thraciam & Illyrios ſubegi. Triballis Maedisque imperito. Aſiam, qua Helleſponto, qua rubro mari alluitur, poſſideo. Jamque haud procul abſum a fine mundi, quem egreſſus aliam naturam, alium orbem mihi aperire ſtatui*, &c. Conf. etiam Arrian. l. v. pag. 229. & l. VII. pag. 285. ubi terræ ſubactæ recenſentur, nec non Plin. IV: 10. ubi etiam, Macedoniam *terrarum imperio potitam quondam eſſe*, dicit, ut & Liv. l. XLV: 9. Quare *dominium amplum* ipſi datur Dan. XI: 3. & τῆς οἰκουμένης ἀρχὴ *orbis imperium* ipſi æque ac Romanis adtribuitur, ut apud Æl. V. H. l. III. c. 29. & Juſt. XI: 6. Quo etiam pertinet; quod vſ. 23. *totam terram comediſſe* dicatur. Quod & de Hirco c. VIII: 5. diſerte traditur.

§. XLIX. ב. Alterum, quod inter beſtiæ facinora refertur, eſt, *reſiduum* fuiſſe *pedibus conculcatum*; quod Hirco etiam imputatur cap. VIII: 7. Quo 1. fœda & crudelia devictarum urbium & gentium ſupplicia ob oculos poni, cuique in oculos incurrit. Quorum haud unum exemplum hiſtoria Alexandri exhibet. Thebis,

 propterea

propterea quod præ metu Perſarum partibus faverent, teſte Polyb. l. IV. p. 417. quid evenerit, quis ſine horrore legerit? Nulla erat apud victores *miſeratio*, *nec dies*, *quamvis longa*, *ad explendam crudeliſſimae vindictae libidinem ſufficiebat;* ut habet Diodor. Sic. l. XVIII. pag. 497. qui de triſti hoc urbis fato, & Macedonum ſævitia, eſt legendus, nec non Arrian. I. pag. 20. &, præter alios Alexandri hiſtoricos, Ælian. V. H. XIII. 7. Nec minor fuit Tyri, ab Alexandro expugnatæ, miſeria. Urbe enim expugnata & cædibus repleta, omnes *juvenes ſuſpendio adfecti* ſunt ſecundum Diod. Sic. XVII. p. 524. Alexander, *exceptis*, *qui in Templa confugerant*, *omnes interfici*, *ignemque tectis injici jubet*, inquit Curt. IV: 4. qui mox addit, *duo millia*, *in quibus occidendi defecerat rabies*, *crucibus adfixi per ingens littoris ſpatium pependerunt*. *Triginta* vero *millia* fuiſſe venundata, tradit Arrian. II. p. 100. Gazæ expugnatio 10. millium cædes, reliquis venundatis, ſecum traxit. Præfectus vero urbis *Batis*, vir fortiſſimus, indigniſſime & crudeliſſime tractatus, Alexandro ſævitiæ notam ingentem inuſſit, Arrian. l. II. pag. 102. Diod. l. XVII. Curt. IV: 6. & alii. Sic, *Perſepoli* capta, *neque avaritia ſolum*, *ſed etiam crudelitas in urbe graſſata eſt*, ait Curt. V: 6. *Viros omnes fuiſſe trucidatos*, & calamitatem urbis præ reliquis fuiſſe inſignem, tradit Diod. Sic. p. 545. Urbe Indorum, in cujus oppugnatione Alexander vulnus accepit, capta, quotquot *vivi* in manus Macedonum venerunt, *trucidati* ſunt Arrian. IV. p. 184. Curt. VIII: 10., qui addit, *etiam in tecta fuiſſe ſævitum.* Sambi quoque regnum pervaſtavit, & *pleraſque urbes*, *venundatis civibus*, *evertit*: & *Barbarorum plus* 80. *milia delevit*. Diod. Sic. p. 569. Denique, ne prolixior ſim, Sogdianos rebelles domuit, & plures quam 12. *myriades* occidit, ut habet *lemma* Diodori Sic. p. 484. Cuſſæorum quoque gentem, *ad bellum tanquam venationem hominum egreſſus*, *excidit*, & *ad in-*

ter-

ternecionem delevit. Plut. in Alex. p. 704. ita cum Branchidis egit, Curt. VII: 5.

§. L *b.* Conculcationis reſiduorum ſpeciem quoque præbet tum urbium totalis exſtirpatio, tum civium venditio & ſervituti addictio. Cujus utriusque multa proſtant in hac hiſtoria exempla, ut in urbibus modo memoratis, & multis aliis. Sed omnium illuſtriſſimum, quod omnis *conculcationis* inſanæ partes habet, eſt in *Perſepoli*, totius Orientis regia, ab ipſo Alexandro, ebrio & furoris aliquo *aeſtro percito*, *incenſa*, & flammis abſumta, ſi non tota, quod Curt. V: 7. tradit, utique magnam partem, ut Arrian. III. p. 131. Plut. in Alex. Diod. Sic. XVII. p. 545. & Strab. l. XV. p. 1061. tradunt. Plura adferre ſuperſedeo. *c.* Denique, ne quid amplitudini ſenſus detraxiſſe videar, Prætores & Præfectos, quos Alexander ſubactis gentibus præfecit, multa nefanda patraſſe, & devictos populos multis modis expilaſſe, ac laceraſſe, obſervari velim. Cujus varia ad manus ſunt exempla: ſed ſuffecerit, id quod Curt. VIII: 3. de Alexandro narrat, in medium adduxiſſe, ubi Alexandrum refert *animum convertiſſe ad vindicandas injurias eorum, quibus a praetoribus ſuis avare ac ſuperbe imperabatur.* Sic Mediæ præfectos Id. l. X. c. 1. narrat fuiſſe accuſatos graviſſimorum criminum, quod, quum *profana omnia ſpoliaſſent, ne ſacris quidem abſtinuerant: virginesque & principes foeminarum ſtupra perpeſſæ, corporum ludibria deflebant. Inviſum*, addit, *Macedonum nomen avaritia eorum ac libido barbaris fecerat.* Vid. & Arrian. VI. pag. 268. qui ib. p. 273. de Orxino, Perſarum præfecto, tradit, eum *Templa & ſepulcra regia ſpoliare, & multos Perſarum injuſte peremiſſe.* Præfectos Alexandri fuiſſe a *multis devictis gentibus accuſatos*, habet Juſt. XII. 10. Vid. etiam Plut. in Alex. pag. 702.

§. LI. 4. Hæc, & horum ſimilia, qui adverterit, in *quarto* criterio, quo beſtia tanquam *terribilis* & *formi-*

da-

dabilis deſcribitur, minime hærebit. Hoſtes enim tanta virtute & præſtantiſſimo robore præditi, qui omnia ſubigunt, vaſtant & proſternunt; qui fieri poſſet, quin omnibus ſint terrori? Clades Thebana, tam improviſa, tam horrenda, omnes Græcos ἐξέπληξε *perculit*, inquit Arrian. I. p. 20. ut & Alexander apud Lucian. dial. M. XI. pag. 288. In prima Macedonum pugna cum Perſis Joniæ præfectus Spithrobates, fortiſſimus vir, recta petiit Alexandrum, ut, ſi fieri poſſet, Aſiam a *maximis terroribus liberaret*, ut refert Diodor. Sic. l. XVII. pag. 502. Tanto jam in principiis terrore correpti erant populi, quo factum eſt, ut præfectos Darii *non tam armis*, *quam terrore nominis ſui vicerit*, Juſt. XI: 6. ipſi quoque Dario *metus* ac *terror* Alexandri jam diu ante ultimum prælium *inſederat*, Arrian. l. III. pag. 124. Poſtea, cum Alexander ſeſe ubique *invictum* demonſtraſſet, quemadmodum *totus* orbis in Ipſum oculos *conjecit;* ut inquit Anaxarchus apud Plut. in Alex. pag. 694. ſic *metus* ad omnes orbis populos pervaſit, quo factum eſt, ut *cunctæ gentes veluti deſtinato ſibi regi* fuerint adulatæ; ut tradit Juſt. XII: 13. Cujus indicium præbuerunt legationes, undiquaque ex Europa & Africa ad Alexandrum miſſæ, quas ibid. recenſet Juſtinus, nec non Diod. Sic. l. XVII. p. 579. qui *ſcopum* legationum etiam exponit, partim ut regi gratularentur, partim ut *coronas* offerrent, partim ut amicitiam & *fœdus* ſancirent. Teſtatur quoque iis de legationibus Arrian. l. VII. p. 294. ſed *Romanas* excipit, tum quod principes vitæ Alexandri Scriptorum eorum non meminerint, tum quod a rebus Romanorum hoc alienum videatur. Ex Polybio vero l. I. pag. 3. pugnaciſſimas Europæ nationes etiam exemtas fuiſſe, videtur colligendum, cum *eas ne quidem notas fuiſſe Macedonibus adſerit*. Quod ſuo loco relinquo. Illud addo, *terram coram ipſo ſiluiſſe*, nec pipire quemquem fuiſſe auſum præ metu, I Macc. I: 3.

§. LII. Ter-

§. LII. Terribiliorem hanc belluam fecit *iracundia*, quia ad *iram* fuit *proclivior*, teſte Pauſan. l. VI. p. 496. teſtibus hiſtoricis omnibus, & ipſis geſtis, quam in hoſtes non tantum effudit, ut ſuperiora exempla docent, quibus adjungi poteſt immane ſupplicium de præfecto Gazæ ſumtum apud Curt. IV: 6. ubi *ira ejus in rabiem* dicitur *vertiſſe*: ſed & ipſi Græci, quin ſocii & comites, experti ſunt. Ne, ipſum in Perſas moturum *cognatos* & *proximos* interfeciſſe, ut Juſt. XI. & Oroſ. III: 16. habet, aut Thebanos *iræ* ſuæ devoviſſe, teſte Pauſan. l. VII. pag. 563., dicam; in ipſos *ſocios* ipſum ſæviiſſe, & hiſtorici, ut Juſt. IX: 8. XII: 5. aliique, & ipſa facinora, *foeda* nimirum ſupplicia, ut cum Liv. IX: 18. loquar, *&*, *inter vinum* & *epulas*, *cædes amicorum* teſtantur, quare & ipſe ſe *ſervatorum ſuorum latronem* clamitavit, interfecto Clito, apud Curt. VIII: 2. & Arrian. l. IV. Quorum nemo, niſi in hiſtoria hospes, ignarus eſt: vid. Curt. VIII: 7. Iracundiæ & potentiæ ſi denique *ſuperbiam* & *inſolentiam* adjungas, nihil, quo vel omnium terribiliſſima evadat fera, in ipſo deſiderabitur. Secundarum enim rerum nemo fuit *eo intolerantior*, ſecundum Liv. IX. 18. & faſtus modum humanum exceſſit. De quo mox.

§. LIII. 5. Ultimum reſtat criterium regni quarti, in *diverſitate* ejus a ſuperioribus tribus poſitum; quod bis repetitur & in viſo vſ. 7. & ejus repetitione vſ. 19. ac explicatione vſ. 23. in quo ſi quis nobis aquam hærere reputaverit, cum regnum Alexandrinum eandem regiminis formam prætulerit, quam præcedentia, in qua *diverſitas* hæc quæri ſolet, is duplici nomine ſe deceptum ſentiet: *altero*, quod inter Orientis & Macedonum regiminis formas nihil putet fuiſſe diſcriminis, quod omnino fuit, cum reges non *vi*, ſed *lege* regnarint apud Macedones, & major fuerit penes populum libertas, adeoque *mixtum aliquid ex regis* & *procerum poteſtate*, de quo

 ill.

Ill. Grotius J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 20. conſuli poteſt: *altero*, quod in *Regiminis* forma hanc diverſitatem, ſine ulla ratione ac neceſſitate, collocet. Præterquam enim quod nullo indicio, diverſam regiminis formam hic intendi, pateſcat, ne *uno capite* præditam beſtiam longe rectius *Monarchale* regimen expingere dicam; utique *diverſitas* hæc aptiſſime refertur 1. ad *terribilitatem* & *magnitudinem*, qua ſuperioribus excelluit; *illam* in ipſo textu conſignatam, *banc* ſub voce אמתני, quæ de *gigantibus* uſurpari ſolet, latentem. Quod utrumque regni Alexandrini, & *terribilioris*, & latius longe ſeſe porrigentis per Europam & Aſiam, præ ſuperioribus, eſt criterium. Nec ſine ratione id fieri, vſ. 19. & 23. ſecum collati evincunt: vſ. 19. diverſitati mox ſubjungitur *terribilitas*, & vſ. 23. ſola diverſitas, nulla *terribilitatis* facta mentione, memoratur. 2. ad *dentes* ferreos, & *ungues* æneos, & in ſpecie ac præſertim ad *decem cornua*, & *unum* inter ea ſubnatum: quod plane ſingulare in hac beſtia fuit: de quo poſtea. Cui anſam præbet, quod in viſo *diverſitas* cum *cornubus* connectatur vſ. 7. 3. Quid addere vetat, *diverſam* a reliquis adpellari beſtiam, ut de peregrina & ignota gente, & regno Originali, cogitaremus. Cum enim *diverſa* tantum dicatur, absque ut beſtia nomine aliquo inſigniatur, aut diverſitatis ratio explicetur: *ignotæ* ſpeciei feram ſimpliciter indicari, non eſt abs re alienum. Quod quam apte in *Macedones*, aliam longe & ignotam in Oriente gentem, cum ſuperiora regna fuiſſent Chaldæorum, Medorum & Perſarum, vicinorum & notorum populorum, conveniat, in promptu eſt. Huc etiam ſpectat, quod hircus ab *occaſu* venire diſerte dicatur cap. VIII: 5. 4. Nec illud forte plane abſonum fuerit, regnum Alexandrinum, Oriente ſubacto, fuiſſe & gentium & morum quandam *mixturam;* Macedonibus & Barbaris in unum regnum, in unum aliquod corpus, conflatis, & utriusque gentis inſtitutis ſecum permixtis.

Quemad-

Quemadmodum enim Alexander Barbaros cooptavit, ſuosque ἐπιγόνυς *poſteros* adpellari voluit, & multa eorum inſtituta adſumſit, ſacro quoque conjugii fœdere Perſas & Macedonas copulavit, de quo legendus eſt Arrian. L. VII. p. 279, 280. & Curt. X: 3. ſic Græcorum ritus cum ipſa lingua ad Orientales tranſierunt, ut multis demonſtravit Plut. in Alex. *Inveteravi*, dicit ad Perſas apud Curt. l. c. *peregrinam novitatem*, *& cives mei eſtis*, *& milites*, *omnia eundem ducunt colorem. Nec Perſis Macedonum morem adumbrare*, *nec Macedonibus Perſas imitari indecorum* eſt. Quod in quarto hoc regno plane ſingulare fuit, & illud a reliquis *diverſum* fecit.

§. LIV. In tertio emblemate *Hirci unicornis*, qui Arietem bicornem, rapidiſſimo & validiſſimo in eum impetu facto, proſtravit & conculcavit, quod omnes ad Alexandri & Macedonum expeditiones in Perſarum regnum adplicant, moras nihil neceſſe fuerit nectere. Angelus enim *hircum* de rege vel regno Græciæ, & *cornu* coruſcum unum de *primo* rege, interpretatus, licet emblematis partes non fuerit executus; ea tamen jecit fundamenta, quibus ſingularum partium ſolida expoſitio facile ſuperſtrui poteſt. Quod antequam præſtem, de ipſius Angeli explicatione tribus, ut ajunt, verbis abſolvam. *Hircus* ubi *rex Græciæ* adpellatur, & *unum cornu* mox *primus rex*: regnum Græciæ ſub primo rege Alexandro, nec tamen in ipſo terminandum, ſed ad alios, licet *diviſum*, transferendum, ut per *quatuor* cornua repræſentatur, intelligi manifeſtum eſt. Macedones enim, Alexandro duce, regnum Perſarum, per *arietem* delineatum, ut verbi Angeli habent, & nos ſuperiore diſſertatione peregimus, deſtruxerunt. Regnum vero Macedonum hic nomine regni *Græciæ* venit, non tantum quod primas eo tempore, quo Perſarum imperium foret delendum, teneret, quod a Philippi tempore incepit, ſed in primis, quod Alexander Macedo, *Græcis* ſuperior factus, ab iis electus

 fuerit

ſuerit *Græcorum* omnium dux & Imperator ad Perſas debellandos, eorumque nomine hoc bellum geſſerit. Id quod in ſolenni Græcorum concilio Corinthi factum eſſe tradit Arrian. init. & Juſt. XI: 2. quare Græci, a Perſarum partibus ſtantes, id contra *communem* Græcorum *ſententiam* feciſſe dicuntur, ibid. I. p. 36. & Alexander ipſe illum titulum uſurpavit in Epiſtola ad Darium, ib. l. II. p. 84. vid. etiam Lucian. Dial. Mort. p. 288. Nomen יון *Javan*, quo Angelus hic & Dan. X: 20. ad exemplum Veterum Gen. X. Jeſ. LXVI: 19. aliorumque, ut Joël IV: 6., utitur, cui Gr. Ιαων & Ιων reſpondet, & unde deſumtum, modo pro יָוָן legas יֵוָן vel יון, ſic אָוֶן Am. I: 3. pro און, quæ vox *ſolem* Ægyptiis denotat Gen. XLI: 45. etſi apud Græcos de Atticis uſurpetur, etiam ab antiquiſſimis temporibus, ut vel ex columna a Theſeo in Iſthmo poſita, apud Strab. l. IX. p. 601. & Plut. in Theſeo. p. 11. patet, apud extraneos tamen, ſive *barbaros*, ut eos Græci adpellant, eosque etiam ſolos, quod notari velim, latius ſeſe ad omnes Græcos extendit, ut ex Ariſtoph. Acharn. vſ. 106. & Æſchyl. Perſ. vſ. 178. patet, ubi chori barbari introducuntur, & a Scholiaſtis adnotatum eſt. De quo hic agendi non eſt locus, ut nec de *origine* nominis a filio Japheti ejus nominis Gen. X: 2. de quo vid. Cl. Boch. Geogr. S. l. III. c 3. Sed quare *primus* rex Græciæ vocatur Alexander? cum Philippus *orbis Imperii fundamenta jecerit*, ut Juſt. IX: 8. ait; & ipſe quoque *Dux* Græcorum contra Perſas fuerit conſtitutus; ut ſupra obſervavi. Ratio non eſt longe arceſſenda. Sicut enim Nebucadnezar *caput aureum* in ſtatua dicitur, licet Pater ejus viam ad Monarchiam Babyloniorum ſtraverit, quia Filius rem perfecit: eadem de ratione Alexander, qui operis *totius gloriam conſummavit*, ut Juſt. ib. addit, & *Ducem* Græcorum vere egerit, quod Pater per mortem impeditus eſt facere, *primi regis* titulum meretur. Nullus tamen dubitaverim, quin *primus rex* audiat, quia ipſe Monar-

narchiam Orientis ad Macedones transtulit, & ſequentia regna, ex ſuo orta, in Oriente reliquit. Quare non primus rex Græciæ, ſed abſolute *primus rex*, per *cornu* illud coruſcum repræſentatus, adpellatur, qui *regnum Perſiæ* deſtruxit.

§. LV. *Hircus*, quocum regnum Græciæ, quod penes Macedonas fuit, in primis ſub Alexandro, comparatur, ſi ad characteriſticas ejus qualitates reſpicias, ut oportet, animal eſt, ut *hirſutum* & *piloſum*, quo nomen שעיר vera ſua poteſtate nos ducit, ſic *petulcum* & impetuoſum, ardua etiam & prærupta montium ſuperans, gregis dux. Quas qualitates 1. Macedones præſtiterunt, ſive ad antiquum ſtatum, ſive præſentem ſub Philippo & in primis Alexandro, animum advertas. Ante Philippum *viles* fuerunt, *inopes* & *ſerviles*, incertis ſedibus oberrantes, ſub *pellibus* degentes, & *exiguos ovium greges in montibus paſcentes*, quales eos deſcribit Alexander apud Arrian. VII. pag. 284. & Dio Chryſ. Orat. II. pag. 18. & Orat. XXV. pag. 282. Quid? quod *ducibus capris* imperii initia adtribuenda eſſe antiquitas tradat apud Juſt. VII: 1. qui primum regem *Caranum* ante ſigna *capras* propterea habuiſſe, & Edeſſam, primam ſedem, *Ægeas*, ac populum *Ægeadas* vocaſſe addit. Quod tamen præſtare nolim. Progreſſu temporis, præcipue ſub Philippo, animal *petulcum* ſe demonſtrarunt, & in quoscunque populos hoſtiliter irruerunt; donec *primas* obtinuerint inter Græcos, & reges eorum *duces* fuerint facti totius Græciæ contra Perſas. Sed ſub Alexandro, qui Macedonas, ante ταπεινους καὶ ἀσθενεῖς *humiles & infirmos*, ἰσχυροὺς *firmos* fecit, & πολεμικοὺς *Martiales* Dio Chryſ. XXV. pag. 282. ab his qualitatibus facti ſunt celebratiſſimi: quod ex hiſtoria eſt vulgatiſſimum. Quare illud unum obſervo, eos inſtar caprarum prærupta montium & editiſſimas petras ſuperare fuiſſe ſolitos, eoque ſe præſtitiſſe *pendentes de rupibus capras*, quæ Virg. Ecl. 1. phraſis eſt. Cujus unum, ſed illuſtriſſimum,

mum, ſpecimen in *Petra Sogdiana* capta citaſſe ſuffecerit. Quam cum ſibi dedendam Alexander poſtularet, Arimazes, præfectus arcis, *ſuperba multa reſpondit, ad ultimum, an Alexander volare poſſit? interrogat*, ut Curt. VII: 11. refert, vel, ſecundum Arrian. IV. pag. 178., ut Alexander *alatos ſibi milites quæreret, juſſit.* De quo etiam teſtatur Polyæn. IV: 3. Julian. Orat. II. pag. 73. & Euſtath. ad Dionyſ. pag. 238.

§. LVI. 2. Ipſe Alexander, in quo, licet per *cornu* figurato, quominus *hirci* qualitates quæramus, nihil impedit, cum *Hirci* cornu fuerit, eas longe majore gradu conſpiciendas in ſe præbuit, ſive ad *ambitioſum* & gloriæ cupidiſſimum animum, ne quidem toto orbe explendum, ut Arrian. VII. pag. 274. de ipſo judicat, cui alii uno ore adſtipulantur, & geſta quoque teſtantur, ſive ad ſtupendam in bello audaciam, ſive ad invincibilem impetum in hoſtes reſpiciatur. De quibus ſupra dixi. Sed illud non erat negligendum, ipſius *juvenilis* ætatis, qua 24 annos natus has expeditiones ſuſcepit, indicia ſeſe in Hirci emblemate offerre. Hircus enim *caprarum* diſerte adpellatur, ut de *juvenili* ætate cogitaremus. Phraſis *hircum* ſignat, qui a matre recens eſt: ut recte obſervavit Cl. Coccejus. Alias Hirci & Alexandri convenientias, quas C. a Lapide & alii congeſſerunt, ſciens prætermitto; nec hic legi velim.

§. LVII. Oculos in primis ferit *excelſum illud & coruſcum cornu inter oculos;* quod tria habet ſingularia, in hirco animali non obvia. Cornu ſcilicet 1. *unum*, 2. *coruſcum*, 3. *inter oculos.* Solent enim emblemata *ſubjectis*, quæ expingunt, aptari; licet ab illo, unde deſumta ſunt, aliena. Cujus multa ſunt in Apoc. exempla, & ſupra in *animalibus.* Cornu 1. nobis ob oculos ponit Alexandrum, non tantum tanquam ſupremum exercitus ducem, & regem in ſublimi loco poſitum, & ſupra reliquos eminentem, nec tantum *unum* orbis domiti dominum, ut *arietis unicorne caput* ad Periclem adductum *unius* dominatum portendit, Plut. in Pericle

Pericle p. 154, ſed in primis tanquam fortiſſimum *Herōa*, quo nomine inſignitur Dan. XI., qui, inſuperabili in hoſtes impetu facto, omnes & omnia proſternit & ſubigit, novumque regnum, ſumma vi præditum, condit, ad poſteros propagandum: quare *cornu magnum*, & *primus rex* ab Angelo, & ab Hiſtoricis Alexander *Magnus* adpellatur. De quo *cornu* conſpectu poſtea, ubi de decem *cornubus*, agemus. 2. Atenim præcipuam meretur animadverſionem, quod vocetur *coruſcum*, & *radians*. Hunc enim intellectum præbet vox חזות vſ. 5. cujus radix חזה convenit cum חז, & proprietatem habet in *crenatim ſecando*, vel incidendo in partes crenatas; unde ad *coruſcationem* radii, & oculo vibrante ac coruſco intueri, tranſiit; ut ex Arab. lingua pateſcit. Cornu itaque *coruſcum* audit Alexander. 1. quia omnium *oculos* præſtrinxit, quos *totus orbis* in eum conjeciſſe dicitur apud Plut. in Alex. pag. 694. 2. quia, qua orbis domitor & famoſiſſimi regni fundator, ut *Macedoniæ columen* & *ſidus* fuit ac adpellatur apud Curt. IX: 6. ſic ſumma fulſit bellicæ virtutis & geſtorum gloria; qua omnes, & barbaros & Græcos, longo poſt ſe reliquit intervallo. *Neque quisquam eſt mortalium*, inquit Arrian. l. 1. pag. 26. *qui ſolus tam præclara, & numero & magnitudine, aut inter Græcos, aut inter Barbaros, facinora ediderit.* vid. etiam l. VII. pag. 311. ubi *neminem mortalium ipſi parem* fuiſſe judicat. Cui concinit Diod. Sic. l. XVII. pag. 583. qui *Eum rebus geſtis omnes tum ante, tum poſt, ſe reges ad noſtram usque ætatem ſuperaſſe*, dicit. Quod l. XX. pag. 809. alieno licet loco, repetit, ubi Eum *omnium, quorum memoria celebratur, potentiſſimum adpellat.* Ita *ſolus ſine æmulo clarus, adeo ut nemo ejus audeat, vel ſperare virtutem, vel optare fortunam*, Apul. Flor. p. 562. Sic & *primus* & *maximus* judicatus eſt ab Annibale apud App. Syr. p. 149. & Liv. XXXV. 14. nec non a Minoe apud Lucian. dial. M. p. 209. 3. Denique, quia μεγαλοφυέϛερος *praeſtantiore vi mentis ſupra quam fert humana conditio* omnium conſenſu habitus,

habitus, ut Calliſthenes habet apud Polyb. in Excerpt. Valeſ. p. 54. & ipſe *immodicus æſtimator ſui*, Curt. VIII: 1. ac *hominum ambitioſiſſimus*, Dioni Chryſ. orat. IV., nec non τετυφωμένος ταῖς εὐτυχίαις, *ſecundis rebus inflatus*, ut Strab. XV. p. 1007. inquit, *quarum nemo*, teſte Livio IX: 18. fuit *intolerantior*, divinam *originem* divinosque *honores* ſibi ſumſit, & tanquam Numem ſe *adorari* voluit: de quo mox. Quod huc recte referri, nemo inficias iverit, qui, *lumen coruſcum* caput *ambiens* pro Divinitatis ſigno haberi, reſciverit. Quo ipſa *cornua*, Alexandro adpicta olim, tanquam *divinae* originis ſigna, omnino pertinent. De quo vid. Ill. Ez. Spanhem. Num. Diſſ. VII. p. 387.

§. LVIII. 3. Singulare quoque eſt, quod hoc tam excelſum & ſplendidum cornu *inter oculos* hirci fuerit. Quo hæc duo mihi ſignificari videntur. *a*. Inſignem Alexandri *prudentiam* & artem bellicam, quam æque ac fortitudinem in ipſo celebrant autores, ut Arrian. l. III. p. 117. & in primis l. VII. p. 310. Plut. in Alex. p. 683. & de fortuna Alex. p. 342. alii, ut Curt. X: 5. qui *conſilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat aetas ejus capere ſolertiam* adtribuit; & ipſa geſta ac ſtratagemata, quorum multa recenſet Poliænus l. IV. c. 3., oſtenderunt. Perſas in primo *conflictu non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum ſuperatos*, dicit Juſt. XI: 6. Utrumque in ultimo prælio conjunxiſſe, tradit Curt. IV: 16. *Temeritas* vero, quæ in Ipſo notatur, partim *audaciæ* & *fortitudinis* nomine rectius inſignitur, partim fiduciæ, qua *ſe fortunam in poteſtate* habere putabat, ut habuiſſe dicitur Curt. X: 5. adſcribenda eſt. *b*. Prudentes conſiliarios, quibus cinctus fuit. Habuit enim miniſtros, qui & ipſi tanto rege digniſſimi erant, & quibus ipſe erat digniſſimus; ut Curt. IV: 16. loquitur. *Oculos* vero pro *intimis adminiſtris*, pro regni *proceribus* & magnatibus, ſumi, tralatitium eſt. *Quot quis poſſidet amicos, tot oculis ea, quae vult, videt*, inquit, Dio Chryſ. or. 1. p. 7. De *oculis* regum Perſiæ, vid. Stanlej.

kej. ad Æſchyl. Perſ. vſ. 985. *c.* Neſcio, an oculum *Providentiae* addere, & *prudentiam Alexandri* cum ſingulari Numinis directione copulare liceat, quibus *virtus*, inſtar cornu, fuit circumdata. Hiſtoricis utique nihil vulgatius eſt *Fortunae* nomine in hiſtoria Alexandri, *quam ipſe in poteſtate babuiſſe* dicitur. De quo Plut. in *Fortuna Alexandri* disputat.

§. LIX. Supereſt, ut de *geſtis* Hirci dicamus. Inter quæ *α.* introitus ejus in ſuperficiem totius terræ ſeſe offert vſ. 9. his verbis: *& ecce Hircus Caprarum venit ab occaſu in ſuperficiem totius terrae, nec tamen terram adtingebat.* Quæ ſingula fere inſigni pollent emphaſi. 1. *Venit* eſt ſupervenit, ſubito & hoſtiliter magno impetu irruit. Quam poteſtatem ſæpe alibi habet verbum בוא, ut Pſ. XXXVI: 12. XXXVII: 15. XLIV: 18. & Dan. XI. frequenter. 2. Locus, unde venit, המערב *occaſus*, proprie *veſpera*, Hebr. pro *occaſu*, ut Gr. ἑσπέρα, de quo vid. Cl. Hemſterhuis ad Luc. ſomn. pag. 20., hic *Europam* ſignat, quæ Aſiæ, ſeu regno Perſico, eſt ab *occidente:* vid. Doctiſſ. Hyde ad Peritz. p. 14. 3. Sed quo ruit Hircus? *ſuperficiem totius terrae*, habet textus. Quæ phraſis uberem fundit ſenſum. a. Late ſumpta univerſam, quam late patet, terram denotat: cujus ſicut longe maximam partem, antiquiſſimis notam, occupavit Alexander, quod phraſi ſufficit, de quo ſupra: ita totam animo ſuo complexus, & *orbem terrarum adgreſſus* eſt, quæ Front. Strat. IV: 1. de Ipſo phraſis eſt, ut & Juſt. XI: 6. quod, *totum terrarum orbem animo volvere, dicitur* Luciano Dial. Mort. XII: p. 288. ut ſupra quoque vidimus. Nec inſolens eſt, verbum, quod actum ſeu effectum notat, de *voluntate* & *conatu* agendi, intelligi, ut canon Glaſſii l. III. tr. 3. can. 8. habet, exemplis confirmatus. Quibus nunc tantum addo Dan. XI: 42, 43. ex hoc canone explicandum, ut ſuo tempore adfirmabo. *b.* Strictius vero accepta phraſis, *facies totius terrae*, totius terræ *latitudinem*, adeoque terram, qua eſt *latiſſima* & ampliſſima, deſignat.

Quod eſt *Aſiae* epitheton, oppoſite ad *Europam*, per maria & fluvios longe arctiorem & anguſtiorem. Quo forte etiam phraſis *latitudinum terrae*, quas Chaldæi perambularunt, pertinet Hab. I: 6. *c.* Poſſet quoque *tota terra* pro univerſo Perſarum imperio, in quo *Aries*, regni iſtius emblema, conſiſtebat, & quo Hircus tendebat, ſumi. Quo nihil eſt in Scriptura, & apud exoticos, vulgatius. Quo etiam facit, quod *terra*, ut Gr. ἤπειρος, pro Aſia uſurpari ſoleat, ut Ariſtid. *gratulat.* in Smyrnam: *quam, ab initio Graeci Aſiam dixerunt*, ἤπειρον *continentem praecipue adpellarunt.* Quid? quod de Perſarum imperio adhibeat quoque Iſocrat. in Philippo p. 208. ubi de Jaſone dicit, ut qui εἰς τὴν ἤπειρον in *Aſiam tranſiturus*, & *bellum regi eſſet facturus*. De quo videndus eſt Ill. Ez. Spanhem. ad Jul. p. 123. qui & alia protulit. Vid. etiam, quæ ſupra §. XLV. de utraque *continente*, Europa & Aſia, dixi. *d.* Denique, cum Hircus in *faciem* terræ veniſſe dicitur, cogitare licet de modo bellandi, quem Alexander amabat, & ut plurimum tenere ſolebat; quo *palam* & *de die* cum hoſtibus congrediebatur. Alexander *gaudebat hoſtibus palam fuſis, ſed Philippus deceptis*, quæ Juſt. IX: 8. phraſis eſt. Parmenioni, qui decretorium prælium ad Gaugamelam *noctu* ſuadebat ineundum, reſpondiſſe fertur Alexander apud Arrian. l. III. pag. 117: *turpe eſſe* κλέψαι τὴν νίκην *furari victoriam, Alexandri vero eſſe* φανερῶς καὶ δίχα σοφίσματος *aperto marte* & *ſine aſtu vincere.* vid. & Plut. in Alex. pag. 683. Cui recte adplices illud Claudiani VI. Conſ. Honorii, quo ipſa phraſis *furtivae victoriae* & *coram omnibus* pugnare, illuſtratur.

Et Diomedeis tantum præclarior auſis
Quantum lux tenebris, manifeſtaque prælia furtis.

Quo admiſſo, phraſis ſuper *faciem totius terrae* idem ac *coram* tota terra, omnibus inſpicientibus, *palam* denotabit, ut Nah. II: 2. *adſcendit diffractor* על פניך *coram facie tua*, & alibi,

alibi, quod alias לפני dicitur. Nec multum abhorret בראש העם 1 Reg. xxi: 9, 12. *ad caput populi* pro palam, publice, coram populo.

§. LX. 4. Modus, quo venit, celerrimus & rapidiſſimus, elegante phraſi, *& non adtingebat terram*, exprimitur. Quod uno verbo Gr. dicitur ἀκροβατεῖν. Quem ſenſum Interpretes paſſim viderunt, & non nulli quoque illuſtrarunt. Quare ad Alexandum, ejusque expeditiones, retuliſſe ſuffecerit. Alexander, qui & ipſe erat ἐλαφρός καὶ ποδώκης *agilis & celer pedibus*, teſte Plut. in Apopht. pag. 179., in eo *Achilli* ſimilis, quem hoc Elogio ornat Homerus, & Euripides ἰσάνεμον æqualem *vento* adpellat in Iphigen in Aul., quique *armatus de navi*, ad littus Aſiæ adpulſa, *tripudianti ſimilis proſiluit*, Juſt. xi: 5., Diod. Sic. xvii. p. 499. *nulla virtute ſeſe mirabiliorem præſtitit*, quam *celeritate*, ut Curt. v: 5. ſignificat. Erat etiam *natura acer*, & *ab omni dilatione negotiorum alienus*, Diod. Sic. xvii. p. 499. Ipſe quoque rogatus, qui terram totam tam brevi ſubjugare potuerit, reſpondiſſe fertur, μηδὲν ἀναβαλλόμενος *nihil cunctatus*, apud Schol. Hom. Il. β. vſ. 435. De quo excerptum *Himerii* declamatoris apud Phot. Cod. 243. legiſſe non pœnitebit, qui eum propterea cum *fulmine* & *tonitru* ſcite comparat. Quod jam diu ante melior autor, Appian. Alex. in Præf., fecerat; ubi regnum Alexandri ταχυεργίᾳ *celeritate* illuſtre, & ἀστραπῇ λαμπρᾷ *fulguri ſimile* dicitur. Principem itaque inter eos Duces locum meretur Alexander, quos Græci διαπύρεις vocant, *ardentisſimos* ſtylo Flori iv: 2., ubi Julium Cæſarem, Alexandro, ſi quis alius, ſecundum, Vellej. Patere ii: 41. eo titulo inſignit. Plura exempla ejusmodi Ducum protulit Freinshem. ad Curt. v: 5. n. 2. & Rupert. ad Flor. l. c. p. 611. Ceterum res ipſa ex *geſtis* Alexandri, & breviſſimo temporis ſpatio, nec non hiſtoricorum teſtimoniis notior eſt, quam ut verbum addere neceſſe fuerit.

§. LXI. β. Hoſtilis Macedonum & Perſarum congresſus per varios articulos diſtincte narratur vſ. 6, 7. 1. Primus eſt, quo perniciſſimo curſu ad Darium venit Alexander

der vſ. 7. *Venit autem ad Arietem duorum cornuum, quem videram ſtantem ad fluvium; & incurrit ad eum in fervore roboris ſui*: id eſt, *incredibili ardore mentis accenſus venit*, ut verbis Juſt. XI. 15., ſane aptiſſimis, utar. Venit & ira Græcorum, jam ab antiquo in Perſas concepta, inflammatus, de qua ſuperiore diſſert. egi, & totus ambitione ac cupiditate gloriæ flagrans: *venit* autem *citiſſime*, currentis potius quam incedentis inſtar, ut vix terram contingere videretur. Incitato curſu per Aſiam minorem, poſt copias Darii ad Granicum fuſas, fugataſque, volavit ad Darium, qui copias ad Iſſum collegerat. Nihil hic, quod obſervari mereatur, cum hiſtoria ſit notiſſima, & verba clariſſima ſint, vel ab Interpretibus illuſtrata. Phraſis, *æſtu roboris currere*, eſt emphatica, dicitque, viribus omnibus intenſis, & *ira* vehemente adhuc concitatioribus factis, involare in hoſtes. Vox חמה a radice, quæ *fervere* denotat, tum quemvis *fervorem* & *æſtum*, tum *iram* in ſpecie *æſtuantem* ſignat. Altera vox כוח ut Gr. ἰσχὺς & Lat. *vis*, egregie virtutem heroïcam exprimit: ut Hab. I: 11. Pſ. XXXIII: 16. *Heros non eripietur amplitudine virium*: ut Propert. III: 17.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem.

Qualis autem rex & imperator fuit, talem habuit exercitum, quem Frontin. Strat. I: 3. *vehementem exercitum* adpellat. Nec a voce כוח, Gr. ἰσχὺς, abhorret *copias* ſignificari, de quo alias. Ceterum non alienum eſt ab hac phraſi, quod Deus de Chaldæo dicit Jer: I: 44. *fulminare faciam currere faciam*, id eſt, *fulminis ritu eum immittam*, ubi vid. Cl. Schult. Orig. I: 11.

§. LXII. Secundus articulus eſt, quo ipſum Darium recta petiit, & profligavit ad Iſſum in Cilicia, verſ. 7. *Et vidi ipſum pervenientem ad Arietem, & exacerbatus in eum eſt vehementer, & percuſſit Arietem.* Quod prius Alexandri prælium fuit cum ipſo Dario; in quo, *oculis per omnia*

omnia circumverſis, Diod. Sic. l. XVII. p. 513. verba ſunt, *Darium ſicubi videret, inveſtigabat. Quem ſimul ut in conſpectum accepit, cum equitum circa ſe delectu* ἐπ᾽ αὐτὸν ἐφέρετο τὸν βασιλέα, σπεύδων ὐχ ὕτω καταπροτερῆσαι τῶν περσῶν, ὡς τὸ δὶ αὐτῦ περιποιήσασθαι τὴν νίκην, *in ipſum regem invebitur, non tam ut Perſas præverteret, quam ut ſuo marte victoriam acquireret.* Ceterum *percuſſit* Darium, copiis ejus partim magna clade adfectis, partim fugatis, tanto cum ſucceſſu, ut ab hoc tempore ſeſe jam pro *rege Aſiæ* geſſerit, Arrian. II. p. 86.

§. LXII. 3. Tertius articulus eſt *cornuum arietis* confractio, & arietis *debilitatio*, his verbis. *Et confregit duo cornua ejus, nec ſupererat arieti robur ad conſiſtendum coram ipſo.* Quod altero, & decretorio, prælio cum ipſo Dario ad Arbelam, ſeu potius Gaugamelam, in campis Aſſyriacis factum eſt; quo denuo, ut Arrian. l. III. pag. 124., ἦγε δρόμω τε καὶ ἀλαλαγμῷ ὡς ἐπὶ αὐτὸν Δαρεῖον, *concitato curſu & ingente clamore ſublato in ipſum Darium irruit*. Quod Diod. Sic. l. XVII. p. 535. quoque teſtatur. Hac in pugna συνέβη νικηθῆναι καὶ ἀποϐαλλεῖν τὴν ἀρχὴν Δαρεῖον, *contigit, ut victus ſit Darius, & imperium perdiderit*; ut Strabo l. XVI. p. 1072. adſerit, & ex hiſtoria eſt teſtatiſſimum. Ultimum enim fuit prælium, quod Darii vires omnes fregit & diſſipavit, ita ut *nulla vis amplius conſiſtendi* coram Alexandro ſuperfuerit, & Darius quoque brevi poſt fuerit obtruncatus. Quod emblemati intelligendo ſufficit. Tantum de *duobus cornubus* fractis uno verbo defungar. III. H. Grotius *duo* hæc *cornua* in *Artaxerxe Mnemone*, contra quem Græci, ut Cyro in bello cum fratre opem ferrent, miſerunt auxilia, in quibus fuit Xenophon, & *Dario Codomanno* quærit. Quod ſummo Viro nollem excidiſſet. Nec enim Artaxerxes, ſed Cyrus, fractus eſt, nec multum damni Perſis intulerunt Græci eo tempore, niſi quod in *cornu*, *in quo ſteterunt*, *vicerint*, ut habet Juſt. V: 11., *magna* etiam *Barbarorum clade facta*, Diod. Sic.

xiv. prg. 253. de quo legendus eſt Xenoph. Exp. Cyri l. I. & Perſas ab eo tempore contemnere cœperint, ut obſervat Plut. in Artax. p. 1021. Rectius ſine dubio de Ageſilai, regis Lacedæmoniorum, expeditione in Aſiam cogitaſſet, quæ regnum Perſarum magna clade adfecit, & Græcis animum ad Perſas debellandos addidit, ut Polyb. l. III. pag. 226. obſervat. Sed regni Perſici ſub Dario Codomanno deſtructionem hic deſcribi per *duorum cornuum* deſtructionem, ex ſerie orationis dubio caret: ne dicam, duo cornua non ſucceſſive, ſed ſimul concidiſſe, & ad arietis cornua vſ. 3. manifeſte pertinere. De quo in præcedente Diſſert. fuſius egi. Quid itaque? duo cornua, quæ mihi ſunt *Cyrus* & *Darius Hyſtaſpis*, qui regnum Perſarum fundarunt & amplificarunt, & per quorum familias ſucceſſio devoluta eſt usque ad Darium Codomannum, ſeu finem regni, de quo ſupra dixi, tam diu cenſentur ſubſtitiſſe, quamdiu regnum Perſarum, quod ipſorum erat regnum, viguit & floruit. Deſtructo vero hoc *regno cornua* illa fracta fuiſſe, recte dicitur. Ipſum itaque regnum, quod *duo* prætulit *cornua*, Cyrum & Darium, quorum virtuti originem & durationem ſuam debebat, & in quo duæ illæ familiæ regnarunt, hic intelligendum eſt: quæ cornua cum fracta dicuntur, illud idem eſt, acſi regnum Cyri & Darii fuiſſe confractum dicas. Iu quo nihil eſt *difficilis*, nihil inſolens. Darius Codomannus hic in cenſum non venit, quia ipſe non fuit *cornu novum*, ſed regnum, duobus cornubus illis inſigne, tantum ad breve tempus adminiſtravit, ſed & mox perdidit.

§. LXIII. 4. Quartus articulus complectitur regni, a Perſis ad Macedonas tranſlati, ulteriorem vaſtationem & deſtructionem, his verbis, *& dejecit eum in terram, & proculcavit eum, nec erat, qui arietem ex manu ejus eriperet.* Quod quartæ beſtiæ geſtis, quibus *reſiduum conculcaſſe* dicitur, ſupra illuſtratis, plane reſpondet: nec uberiore explicatione indiget. Dario ad Arbelam devicto, & mox a

ſuis

ſuis trucidato, regnum Perſarum exſtinctum, violatum, & varie vaſtatum eſt; omneſque conatus eorum, qui Alexandro ſeſe oppoſuerunt, ejusque progreſſui obicem ponere voluerunt, fruſtra ceciderunt. Quod ex hiſtoria ſatis notum eſt.

§. LXIV. *γ*. Hoc facto, regnum Macedonum in ſublimi faſtigio gloriæ & potentiæ eſt poſitum, & Alexander caput ad aſtra extulit, ſupra humanam ſortem ſeſe elevans: quod his verbis vſ. 8. proponitur: *& hircus caprarum ſeſe magnifice extulit ad valde usque*, & c. XI: 3. *& fecit pro lubitu ſuo*. Quæ cum de *Ariete*, ſeu regibus Perſarum, eadem fuerint dicta, & in Superiore Diſſ. illuſtrata, nobis hic moram non injicient. Alexandri enim *arma* victricia, quæ per totum Orientem usque ad fines ejus circumtulit, ſumma quoque *ambitio*, qua, *totum orbem animo complexus, ſtatuit, omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, inde -- -- -- curſum Gades dirigere*, ut de ipſo Curt. X: 1. cui concinit Diod. Sic. XVIII. pag. 588. Plut. in Alex. pag. 702. quod ab animo ejus non fuiſſe alienum Arrian. VII. init. & ipſum *animo* etiam *deſtinaſſe*, tradit l. IV. pag. 160. *arbitrarium* regimen, quo cœpit uti, poſteaquam in primis Anaxarchus, teſte Plut. in Alexand. pag. 695. eum docuit, *omnia regum facta & geſta eſſe licita & juſta*, quo acrius ſimul, ſimul dulcius, venenum Regibus & Principibus propinari nequit, de quo rectam tulit ſententiam Arrian. l. IV. pag. 164. denique *divina* origo, quam ab *Hammone* duci voluit, Dei & filii Dei titulus, quo inſigniri ambivit, divina *adoratio*, quam ſibi deferri juſſit, *honores* divini, quibus Diis ſe æquari ſtatuit, ſimiliaque alia, nemini, niſi in Hiſtoria hoſpiti, ignota ſunt. Quare, ne ſine ratione prolixior ſim, in generalioribus de ſuperbia & faſtu ejus teſtimoniis acquieſcam. Verum utique eſt, quod de Alexandro 1 Macc. 1: 3. habetur, ὑψώθη καὶ ἐπήρθη ἡ καρδία ἀυτȣ̃ *exaltatus & elatus eſt animus ejus*; habebat enim *animum ſupra humanum*

num faſtigium elatum, Curt. ix: 10. *inſolentiam & mirum animi faſtum ipſi* adtribuit Juſt. xi: 11. τετυφωμένον ταῖς ἐυτυχίαις *proſperis ſuccesſibus inflatum* adpellat Strab. xv. p. 1007. *Spiritu & fortuna in tyrannidem elatum* Ael. V. H. ix: 3. *intolerabili arrogantia* ſuperbum Julian. Orat. 1. p. 45. *hominum ambitioſisſimnm*, qui neminem ſecum comparari voluit, Dio Chryſ. Orat. iv. p. 59. De quo ſupra jam aliqua protuli.

§. LXV. Idem tamen ipſe in tanto gloriæ faſtigio poſitus, Diis, non amplius hominibus, ſeſe adnumerari geſtiens, brevi poſt ludibrium fortunæ, quam in poteſtate habere videbatur, expertus eſt. Anno enim ætatis 33*mo*, & quod excurrit, in flore ætatis Babylonem redux, cum in ea amplianda & exornanda, tanquam ſede regni futura, eſſet, verum eſſe ſenſit, quod ex uno legatorum Scytharum diu ante audiverat, teſte Curt. vii: 8. *arbores magnas diu creſcere, una hora exſtirpari;* & eum, *dum ad cacumen pervenire contendit, cnm ipſis ramis, quos cemprehendit, decidere.* Quod Dan. viii: 8. his verbis exprimitur: *& cum in oſſe ſuo eſſet, confractum eſt cornu illud magnum:* cap. xi: 4. *& cum ſtaret ille, confractum eſt regnum ejus. Cornu* itaque eſt rex cum regno; ut collatio horum locorum docet: adeoque *confractio* ejus cum regis, familiæque ejus regiæ, exſtinctionem, tum *violentam* exſtirpationem denotat, nec tamen ab hoſtibus & in bello, ſed alio modo factam. Hoſtibus enim hoc non eſſe adtribuendum, non tantum ex eo colligitur; quod, cum *arietis* cornua per *hirci* impetum legantur *fracta*, hic nihil ſimile occurrat, ſed &, quod in pleno ſuo *vigore ſtans* violenta cæde fuerit dejectum. Quæ ratio eſt, quare illud utrobique emphatica phraſi expreſſe fuerit additum; cap. xi. כעמדו cum firmiter & in ſummo culmine dignitatis, & potentiæ ac gloriæ, conſiſteret. De qua verbi poteſtate in ſuperiore Diſſ. monui. Cap. viii. habetur כעצמו, quod verti, *cum in oſſe ſuo eſſet*, ad propriam vocis

voeis poteſtatem, in *oſſe* ſitam, reſpiciens. Hinc ſicut ad firmitatem & *robur*, licet rarius, ita in primis ad *multitudinem* & *copioſitatem*, qui longe frequentior uſus eſt, ut præclare oſtendit Bootius *anim.* S. l. IV. II., tranſitum fecit, ſignificatione a *ſummis* computandis, in quibus *oſſium* uſus fuit, ducta, ut Cl. Schult. ad Job. XXI: 23. verbo monuit. Sed, quod Idem diu ante in anim. Philol. ad Pſ. CXXXIX: 17. obſervavit, in *bonorificentia* & *magnificentia* quoque teritur. Phraſis denique, *in oſſe ſuo*, numerum *ſolidatum* & *plenum* eleganter ſiſtit, eandemque cogitationem injicit, quam Job. XXI: 23. *in oſſe* vel *ſolido intactæ ſuæ integritatis*, ut Magnus Comm. vertit. Quod ipſum effatum Jobi, *atqui bic moritur in ſolido intactæ ſuæ integritatis, totus quantus liquidisſime defæcatus & opimus*, in Alexandrum ejusque domum aptiſſime quadrat, noſtrique loci commentarium præſtat.

§. LXVI. Alexander enim, Aſia & Oriente toto ſubacto, utriusque orbis rex, in ſummo potentiæ, gloriæ, & omnium rerum invidendæ copiæ ac proſperitatis, culmine poſitus, cum operi colophonem Babylone impoſiturus eſſet, ἀνίκητος *invictus* ille, ſine hoſte & bello, ἄνευ μάχης καὶ τραυμάτων *absque pugna* & *vulneribus*, ut Dio Chryſ. Orat. LXIV. pag. 598. in ipſo ætatis flore, plenoque virium vigore, vel *vino*, vel *veneno*, fractus & exciſus eſt. Dubie vero locutus ſum, quia, num nimio potu, indeque orta febri, an veneno fuerit exſtinctus? discrepant autores. Arrian. l. VII. pag. 307. ex diariis morbi & mortis ejus, *venenum* ipſi propinatum fuiſſe negat, Plut. in Alex. p. 706. etiam refutat. Diod. Sic. XVII. pag. 582. tradit, Eum, *cum multo ſe oneraſſet mero*, & *grande Herculis poculum adbuc ebibiſſet*, ὥσπερ ὑπό τινὸς πληγῆς ἰσχυρᾶς πεπληγμένον *tanquam violento ictu percuſſum*, *magna voce ingemuiſſe*, & *brevi poſt mortuum eſſe*. Quod Juſt. XII. *media potione repente veluti telo confixum*, expreſſit. Quæ phraſes *confractionem* cornu haud male exponunt. Sed

hac

hac de re quicquid ſit, mors ejus quin ad *violentam*, unde unde ortam, prope acceſſerit, ſatis liquet. Nec tamen hic ſubſiſto: verum domus exſtirpationem, utique violentam, ab ipſis ejus ſociis profectam, hic ſimul comprehendi velim, ut modo obſervávi. Caſſander, poſtquam Olympiadem matrem Alexandri, quæ haud diu ante *Aridæum*, cui regnum nominetenus erat, *Alexandro mortuo*, delatum, una cum uxore Eurydice e medio ſuſtulerat, Macedonibus *lapidibus obruendam* obtuliſſet; duos Alexandri filios, Herculem ex Barſine, & Alexandrum ex Rhoxane ſuſceptos, venenis peremit; ut tradit Pauſan. l. IX. p. 725. Alexandrum cum ipſa matre per Glauciam, cuſtodiæ præfectum, obtruncari fecit, Diod. Sic. XIX. p. 739. Herculem vero per Polyſperchontem ib. p. 766. Quibus ſi adjungas *Cleopatram*, ſororem Alexandri, Sardibus juſſu Antigoni occiſam, ut narrat Diod. S. XX. pag. 775. totam Alexandri domum, intra *ſedecim* a morte ejus annos, exſtirpatam, & *cornu* illud *magnum* omni parte fractum habebis.

* * * *
* * *
* *
*

DISSER-

DISSERTATIO QUINTA

DE

POSTERIORE PARTE REGNI QUARTI,

EXPICTA PER

PEDES, EORUMQUE DIGITOS, EX FERRO ET ARGILLA IN COLOSSO

CAP. II: 33. 41—43.

QUARTÆ BESTIÆ DECEM CORNUA, UNUMQUE PARVUM

CAP. VII: 7, 8.

ET

HIRCI QUATUOR CORNUA CUM UNO INTER EA NATO

CAP. VIII: 8, 9.

§. I.

POſteriorem regni Alexandrini periodum, quæ eſt regni diviſi, & in varia regna poſt Alexandri mortem diſtracti, *tria* quoque emblemata clare depingunt, quæ ſeſe mutuo illuſtrant, ordine a nobis explicanda, & ex Hiſtoria confirmanda. Quorum primum, ut ab eo ordiar,

diar, in Coloſſo Nebucadnezaris conſpicuum, pedes, in x. digitos deſinentes, diverſæ & mixtæ materiæ *ferreae* & *argillaceae*, exhibent. Quod verbo in ſomnii propoſitione vſ. 33. ſed fuſius in ejus explicatione traditur vſ. 41–43. Priore loco, vſ. 33. pedes eſſe partim ex *ferro*, partim ex *argilla*, in genere, nec ſine quadam ſenſus ambiguitate, dicitur. Sumi enim vel de *mixta* pedum materia, ex argilla & ferro ſecum permixtis, poteſt, vel de diſtinctis pedum partibus, aut digitis, aliis ex puro ferro, aliis ex mera argilla conſtantibus: Quemadmodum Interpretes circa duplicem hunc ſenſum in partes ſcinduntur. Sed poſteriore loco, vſ. 41–43, docemur, utrumque ſenſum eſſe admittendum; ita ut 1. aliæ pedum partes fuerint *ferreae*, aliæ *luteae*; 2. neutræ partes ex puro ferro lutove, ſed ex utroque mixtæ, diverſo tamen modo & gradu; in aliis *ferro*, in aliis *argilla*, dominante; unde aliæ *ferreae*, aliæ *argillaceae* fuiſſe dicendæ ſunt, ferreæ, quæ lutum, & luteæ, quæ aliquid ferri habuerint admixtum. De utroque hoc ſenſu expreſſe monuit in explicatione Daniel: Cum enim vſ. 41. viſum, generali & ambigua phraſi prolatum, repetiiſſet, generali addita expoſitione: mox vſ. 42 & 43. diſtinctius, utriusque ſenſus reſpectu, evolvit; vſ. 42. de diverſis pedum partibus, aliis ex ferro, aliis ex luto, & vſ. 43. de partium illarum mixtura, ex ferro & luto, diſerte agens. Quod cum ex ipſis phraſibus, tum ex mixtione luti & ferri vſ. 33., expreſſe memorata, clare eluceſcit. Phraſes utroque verſu diverſæ occurrunt, quæ diverſum intellectum præbent. vſ. 42. digitos partim ex ferro, partim ex luto fuiſſe cum dicitur, illud non niſi de diverſis digitis, ita ut alii ſint ferrei, alii argillacei, capi poteſt: ſequente vero vſ. 43. *ferrum* luto mixtum, niſi de mixtura utriusque materiæ, intelligi nequit. Continet quoque vſ. 43 quid novi, ſupra non memoratum, ut vel inſpicienti patebit. Pedes itaque, in digitos diviſi, alios habuerunt

runt ferreos, alios argillaceos, ſed neutrius generis puros, verum mixtos, ferreos, quibus multum luti, & luteos, quibus multum ferri fuit intermixtum, adeoque ex parte ferreos, & ex parte argillaceos ſimul, ſimul ex utroque mixtos. Ceterum, lutum vel limnm hic indicari *coctum* & *teſtaceum*, igni induratum & firmioris conſiſtentiæ, ut res ipſa docet, ſic phraſes quoque requirunt, quod jam ab aliis obſervatum eſt: modo enim *teſta* vſ. 33, modo *teſta figuli* vſ. 41. modo *teſta luti* vſ. 43. adpellatur.

§. II. Duo ſeſe in hoc emblemate ſingularia, quæ hic in cenſum veniunt, offerunt, alterum in pedum ſciſſione, alterum in materiæ diverſitate, & ferri argillæque mixtura ſitum. Quorum *illud* ad regni partes diviſas, easque ad *denarium* numerum, pro *digitorum* numero, redactas, totidem diverſa regna repræſentantes, nos ducit: *hoc* vero partim ad firmitatem & fragilltatem, partim ad conjugiorum vincula, referendum eſſe, ipſe Daniel auctor eſt, ut mox pateſcet. De priore, præterquam quod digiti, expreſſe memorati vſ. 41, 42, id exigant, ex Danielis expoſitione clare conſtat 1. quia *regnum diviſum fore* vſ. 41. ipſis verbis dicit, non ad *diverſitatem* materiæ, ſed pedum in digitos diviſionem, clare reſpiciens, tum quod eorum expreſſe meminerit, tum quod a diverſæ materiæ mixtura diſtinxerit. Cum enim *diviſum fore regnum* dixiſſet, diviſi regni diverſas *qualitates*, firmitatis & conjugiorum reſpectu, primum in genere vſ. 41. dein in ſpecie, firmitatis & fragilitatis vſ. 42. conjugiorum vero reſpectu vſ. 43, diſtincte tradit. Diviſio itaque regni non per diverſam materiam, ferri & luti, ſed per *digitos* ob oculos ponitur. Quod ipſa *diviſionis* notio, cum *diverſitate* materiæ non confundenda, confirmat. Aliud enim eſt *diviſum;* aliud *ferreum* vel *luteum* regnum: illud enim *partium*, in quas diſtractum eſt, hoc *qualitatum* partium illarum, cogitationes ſuſcitat. 2. Diverſos reges cum reg-

nis Danieli ob oculos fuiſſe verſatos, vel ex eo luculenter elucet, quod vſ. 43. eos *ſe ſemine humano* mixturos eſſe adſerat, reges utique diverſos per digitos expictos: imo mox vſ. 44. *regum illorum*, quorum tempore *lapis* in imaginem rueret, mentionem faciat; qui alii, ac per digitos repreſentati, in quos regnum quartum divideretur, eſſe nequeunt, tum quod ad proxime præcedens phraſis, *regum illorum*, referenda ſit, tum quod *lapis* in *pedes* impetum faceret, reges itaque ultimæ partis coloſſi.

§. III. Primum igitur regni quarti, vel poſterioris ejus periodi, adtributum eſt, illud, antea in una gente & rege unitum, in varias partes eſſe diſtrahendum, easque ad *decem* regna, inde oritura, commode referri poſſe, per *decem* digitos pedum repræſentata. Quæ in regno Alexandrino, poſt Alexandri mortem, haud difficulter demonſtrantur; ſive ad *diviſionem* in genere, ſive ad numerum *denatrium* in ſpecie reſpicias. Regnum Alexandri, magno ejus conditore mortuo, primum in præfecturas, & Satrapias, mox in regna fuiſſe disjunctum, notius eſt, quam ut adfirmare neceſſe ſit. Tantum, ut characterem regni Alexandrini in eo fuiſſe poſitum adpareat, antiquorum hiſtoricorum nonnulla teſtimonia non abs re fuerit in medium adtuliſſe. In multas *ſatrapias* fuiſſe illud regnum *diſtractum*, habent App. Alex. in præf. & Dionyſ. Halic. Ant. l. 1. pag. 2. in *regna* diviſum, Pauſan. Att. cap. 6. Sic & Latini loquuntur. Liv. XLV: 9. *tum maximum in terris Macedonum regnum, nomenque, inde a morte Alexandri diſtractum in multa regna.* Curt. X: 5. *Huic regi, ducique ſucceſſor quærebatur; ſed major moles erat, quam ut unus eam ſubire poſſet. Itaque nomen quoque ejus & fama rerum in totum propemodum orbem reges ac regna diffudit; clariſſimique ſunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæſerunt.* Juſtin. l. XIII. c. 4., diviſione accuratius expoſita, ita pergit. *Cum hæc diviſio veluti fatale munus ſingulis contigiſſet, ita magna incrementorum materia*

materia plurimis fuit. Siquidem non magno poſt tempore quaſi regna, non præfecturas, diviſiſſent; ſic reges ex præfectis facti, magnas opes non ſibi tantum paraverunt, verum etiam poſteris reliquerunt. Corn. Nep. in Eumene c. 2. *Alexandro Babylone mortuo, cum regna ſingulis familiaribus diſpartirentur* &c. Ipſam quoque diviſionem, de qua hic agere non licet, accuratius præter Juſt. l. c. & Diod. Sic. l. XVIII. tradiderunt Arrianus & Dexippus apud Phot. cod. LXXXII. & XCII. & ex recentioribus Freinshem. ad Curt. x: 10.

§. IV. Cum vero *diviſionis* verbum apud Hebr. *legitimæ* diſtributionis intellectum quoque præbeat, ut cum terra primum fuit diviſa, Gen. x: 25. coll. Deut. XXXII: 8., hunc ſignificatum ab hac hiſtoria non eſſe alienum, verbo operæ pretium fuerit notaſſe. Ipſum Alexandrum teſtamento ſingulis præfectis provincias diſtribuiſſe, quod quidam, teſte Curt. x. fine, tradiderunt, inter quos auctor I Macc. I: 6. quoque eſt, equidem, repugnantibus hiſtoricis, qui ſuperſunt, non adfirmaverim; ſed variis vicibus & modis eam ab ipſis præfectis & ſucceſſoribus Alexandri fuiſſe factam, ex hiſtoria conſtat. Prima vice, mox poſt Alexandri mortem, inter duces convenit, ut ſumma rerum penes Philippum Aridæum eſſet *nomine*, ſed *re* penes Perdiccam tanquam tutorem, & adminiſtratorem regni, reliquis ducibus partes, tanquam *ſatrapiæ*, cederent. Ex qua diviſione *Antipater* præfectus Macedoniæ & Græciæ factus eſt, *Lyſimachus* Thraciæ & finitimarum regionum ad Pontum, *Eumenes* Cappadociæ, Paphlagoniæ & vicinarum regionum ab Alexandro non occupatarum, *Antigonus* Pamphiliæ, Lyciæ & Phrygiæ majoris, *Caſſander* Cariæ, *Laomedon* Syriæ & Phœniciæ, *Ptolomæus* Ægypti. Secunda vice, poſt Perdiccam loco motum & Antipatrum gubernatorem conſtitutum, eadem diſtributio fuit in Triparadiſo, urbe ſuperioris Syriæ a. P. J. 4393. repetita, cum hac tantum variatione, quod provinciæ Eumeni ademtæ & Nicanori datæ

tæ fuerint, Seleucus quoque Nicator, antea præteritus, acceperit præfecturam Babyloniæ. Antigono denique belli cum Eumene gerendi cura eſt demandata, qui propterea ἐπισκοπ𝔊 *Epiſcopus totius Aſiæ*, & ςρατηγὸς *dux ſupremus* dictus eſt. Tertia diviſio, poſt bellum inter fœderatos, qui erant Caſſander, Lyſimachus, Ptolemæus & Seleucus, & Antigonum ac Demetrium, ejus filium, varia fortuna, ſed Antigono tandem iniquiore, geſtum, & pacem initam a. P. J. 4403. hanc in formam facta eſt, ut *Caſſander* ſupremus Europæ dux, donec Alexander, Rhoxanis ex Alex. M. filius, adoleſceret, eſſet, Lyſimachus teneret Thraciam, Ptolemæus Ægyptum cum vicinis in Libya & Arabia urbibus, Antigonus totam Aſiam, Græciæ vero urbes forent liberæ. Novis mox exortis motibus, poſt domum Alexandri M. exſtirpatam, belloque inter fœderatos Caſſandrum, Lyſimachum, Ptolemæum ac Seleucum ab altera, & Antigonum, Demetriumque ejus filium, ab altera parte, ſuſcitato, Antigonus, poſteaquam Demetrius Ptolemæum ingente clade adfeciſſet, & Cyprum ei eripuiſſet, hoc rerum ſuarum ſucceſſu elatus, primus diadema ſumſit, & Demetrio quoque impoſuit. Quod cum fœderati mox imitarentur, *ſex* reges ſubito in ſcenam prodierunt, Antigonus, Demetrius, Ptolemæus, Lyſimachus, Caſſander, & ultimus Seleucus, qui per Orientem ditionis ſuæ pomœria jam dilataverat. Factum hoc eſt a. P. J. 4408. ante Aer. Vulg. 304. Bello deinde majoribus utrinque viribus renovato, & prælio decretorio apud Ipſum in Phrygia commiſſo, Antigonus debellatus & occiſus, regnumque ejus exſtinctum eſt, a. 4413. *Victores vero reges totum Antigoni & Demetrii regnum*, ut verbis Plut. in Demetrio p. 902. utar, *ſicut magnum corpus diſcerptum diviſerunt inter ſe, ſuisque provinciis adjunxerunt.* Ex hac *quarta* & *ultima* diviſione Ptolemæus regnum ſuum retinuit, eique adjunxit Cœleſyriam, Phœniciam & Judæam; Lyſimachus præter Thraciam accepit Bithyniam, aliasque regiones ad latus Aſiaticum

ſiaticum Helleſponti & Boſpori, Caſſander Macedoniam & Græciam conſecutus eſt, Seleucus reliqua Aſiæ, adeo ut ab eo tempore regnum Syro Macedonum condiderit. Supererat *Demetrius*, multas in Aſia regiones tenens, mox iis relictis Macedoniam occupans. Cum vero, regno Macedoniæ & Græciæ non contentus, Aſiam invadere, & regnum paternum recuperare adgrederetur, Lyſimachum, Ptolemæum & Seleucum, fœderatos in ſe concitavit; novique, ſed ſibi fatalis, belli ſemina jecit. Regnum enim Macedoniæ a Phyrro Epirotarum rege, qui ſe fœderatis adjunxerat, occupatum, non tantum perdidit, ſed & in Aſia ab Agathocle, filio Lyſimachi, in tantas conjectus eſt anguſtias, ut fuga ſibi conſulere, & ſe Seleuco in manus tradere, fuerit coactus. Quod regno ejus in Aſia finem impoſuit. Quo facto Lyſimachus, Pyrrho ejecto ex Macedonia, eam ſibi ſubjecit a. P. J. 4428, tenuitque ann. 5, donec, bello inter Lyſimachum & Seleucum, qui ſoli reſtabant, conflato, Lyſimachus & vitam & regnum perdiderit in prælio decretorio in Phrygia apud κυρουπέδιον *Cyri campum*, a. P. J. 4433. de quo poſtea.

§. V. Ex hiſce continuis bellorum fluctibus, per Alexandri duces ſuſcitatis, tria maxima emerſerunt Regna, ad poſteros longa ſerie propagata, MACEDONICUM, quod poſt Seleucum tenuit Ptolemæus Ceraunus, & dein in domo Demetrii aliquandiu ſubſtitit, SYRO-MACEDONICUM, a Seleuco Nicatore conditum, de quo poſtea, & ÆGYPTIACUM, quod Ptolemæus *Lagi* fundavit, & ad poſteros tranſtulit. Sed, præter hæc præcipua & majora regna, exorta ſunt plura alia, partim eodem tempore, partim paulo poſt: quorum origines verbo pandam. Primum locum, ut ordinem temporis, quo nata ſunt, obſervem, ſibi vindicat MEDIA ATROPATIA, ab Atropate, regni conditore, ſic adpellata: qui Medorum præfectus in bello Darii cum Alexandro conſtitutus, ut patet ex Arrian. exp. Al. III: 8. & IV: p. 177. VII. p. 277. Diod. Sic. p. 588.

in prima diviſione regni ſub Perdicca, qui ejus gener fuit, Satrapiam retinuit, Diod. Sic. XVIII. p. 588. ſed in *ſecunda* ſub Antipatro amiſit, Id. ib. p. 618. Qua injuria motus minorem Mediam, de nomine ſuo Atropatiam dictam, occupavit, & regnum ibi condidit haud ſpernendum; cum 40 peditum, & 10 equitum millia in campum producere potuerit, teſte Apollonide apud Strab. l. XI. pag. 794. qui addit, *ſucceſſionem* ejus ad ſuum tempus duraſſe; obſtitiſſe vero Atropata, ne in *Macedonum poteſtatem*, ſcilicet poſt Alexandrum, *venerit* Media Atropatia, ea ſibi vindicata. Polyb. l. V. p. 557. ubi de amplitudine, & fortitudine hujus regni etiam teſtatur, minus accurate ejus durationem a Perſarum temporibus derivat, illudque tempore Alexandri fuiſſe neglectum addens.

§. VI. Haud diu poſt, durante adhuc tempeſtate bellica inter duces Alexandri, duo regna, eodem fere tempore, condita ſunt in PONTO & CAPPADOCIA, illud a *Mithridate*, hoc ab *Ariarathe*, utrumque tempore belli fœderatorum cum *Antigono*. Mithridates, ortu Perſa, imo ex ſtirpe unius 7 Perſarum, qui Magum Smerdim occiderunt, ſecundum Diod. Sic. XIX. pag. 685. & Polyb. l. V. pag. 540. cujus majores, Satraparum titulo, ſub Perſis in Ponto dominatum tenuerant, Antigono in bello cum Eumene familiaris, & ſub ipſo militans, ſubito in odium ejus incidit, occaſione ſommii, quo Antigonus ſomniarat, *ſe aurum ſeminare in arvo, illud vero demeſſum Mithridatem in Pontum aſportare.* Stetit quoque poſtea cum Eumene contra Antigonum. Diod. Sic. l. XIX. c. 40. Antigoni animo, quo necem ſuam volvit, intellecto, Mithridates cum paucis comitibus in Pontum aufugit, & Antigoni viſionem brevi implevit. *Ampla enim & præclara regione potitus eſt*, ut verba Plut. in Demetr. pag. 890. habent, *regumque Ponti ille ſtirpem, quæ actava ferme ſucceſſione a populo Romano deleta eſt, edidit.* Conf. etiam Id. in Apophtegm. pag. 183. & App. Alex. in Mithrid. pag. 303. Hinc ὁ Κτίϛης *conditor*, diſtinctio-

ſtinctionis ergo, adpellatus fuit, ut habet Strab. l. XII. pag. 842. qui addit, *ſucceſſionem ejus ad Eupatorem*, ſeu Mithridatem magnum, de quo poſtea, duraſſe. Epitheti vero ejus quoque meminit Luc. in Macrob. pag. 470. & eo reſpexit App. Alex. in Mithrid. pag. 411. ubi Mithridatis mentionem facit, τοῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε, καὶ κτησαμένου τὴν ποντικὴν ἀρχὴν, (ſi κλισαμένου cum Viro Docto legas,) *qui a Macedonibus defecit*, & *regnum Ponticum condidit*. De Ponti regibus, eorumque ſucceſſione, plura ſuppeditabunt Reineſ. ep. 21. & 23. Rupert. ad Flor. l. III. c. I. Ez. Spanhem. Num. diiſſ. VII. Vaillant in *Achæmenidarum* imperio. Initium vero æræ Ponticæ Cl. Morellus a. U. C. 448. æræ Seleuc. 7. adligavit.

§. VII. Regnum CAPPADOCIÆ, ſic proprie dictæ, alias *magnæ*, ſtruxit *Ariarathes* II poſt Perdiccæ & Eumenis mortem, cum Antigonus & Seleucus eſſent bello inpliciti, profligato *Aminta* duce Macedonum. De quo legendus eſt Diod. Sic in Eclog. pag. 894. Alexander M. Cappadociam reliquerat intactam, ſi Diod. Sic. l. XVIII. pag. 599. adcredimus, ſed, ſi Arriano exp. Al. II. pag. 65. ſtandum ſit, *ſubegit eam*, *quæ cis Halyn. fluvium eſt*, *magnamque partem trans Halyn*, Sabicta Satrapa ibi conſtituto. Videtur tamen gens ſeſe poſtea in libertatem vindicaſſe, dum Alexander *certaminibus* cum *Dario* eſſet diſtractus, ut indicat Diod. Sic. l. Utique Perdiccas, mortuo Alexandro, Ariarathem Satrapam Cappadociæ devicit, & cum præcipuis ducibus cruci adfixit, & *Eumeni* hanc Satrapiam gubernandam dedit, ut Diod. Sic. l. narrat, & Plut. in Eumen. p. 584. Quo facto Ariarathes II, ut dixi, regionem illam recuperavit, & regnum, ad poſteros propagandum, condidit, ipſeque propterea *primus* Cappadociæ rex adpellatus eſt; Strab. l. XII. p. 807. Antea ſub Perſis Cappadociam, ſatraparum titulo, tenuerant Ariarathis majores, ſed ipſe primus ſtabile regnum ibi erexit. Hac ratione utramque Cappadociam, alteram Ponticam,

alteram hanc, alias *magnam*, Macedones, Perſis ereptam, ex duabus Satrapiis, ut antea fuerant, paſſi ſunt, partim ſponte partim inviti, in *duo regna* mutari, ut Strab. XII. p. 808. tradit: quorum alterum *Mithridatem*, alterum *Ariarathem* habet conditorem.

§. VIII. In BITHYNIA, ut ejus regnum, circa idem tempus erectum, ſuperioribus adjungam, licet ante Zipoeten principatum habuerint majores ejus, ut ex Memnonis excerptis apud Phot. cod. 224. & aliunde conſtat, ſive regum, ſive Satraparum ſub titulo, Bas quoque, ſive Bias, pater ejus, quominus in præfecti, ab Alexandro miſſi, poteſtatem venerit, impediverit, eodem Memnone teſte: attamen *Zipoetes* pro regni fundatore, tempore Lyſimachi, habendus eſt, tum quod antea tributarii fuerint Alexandro & Macedonibus, quod de omnibus illis regionibus adfirmat App. Alex. in Mithrid. p. 302. tum quod ipſe, partim a duce Antigoni repreſſus, & in ordinem redactus, *ſocietatem* cum ipſo inierat, datis obſidibus, ut narrat Diod. Sic. l. XIX. p. 702. partim ſeſe a Lyſimacho vindicaverit, & regnum tuitus fuerit, ac ad poſteros transmiſerit: ut ex eodem Memnone colligitur. Utique Zipoetes, *cum pulcherrima Alexandri hæreditas*, ut Viri Doctiſſ. J. Baptiſtæ Gramay in Hiſt. Aſiatica p. 663. verbis utar, *inter principes ejus & duces divideretur, ſpem faciente illorum diſcordia, Bithyniam, excuſſo Macedonum jugo, occupavit*, & regni fundamenta ita jecit, ut ab eo epocha regni Bithyniæ duci ſoleat. Ita G. Syncellus Chronogr. p. 220. *Bithyniæ reges octo regni exordium circa hæc tempora, teſte Dionyſio, ſortiuntur, anniſque* 213. *perſeverant.* Quorum primus fuerit Zipoetes, neceſſe eſt, cum 7 poſt ipſum fuerint. Ceterum, cum Bithynia in Romanorum poteſtatem venerit a. U. C. 679., annorum 213. initium in a. U. C. 466. erit figendum: quo anno Demetrius excidit regno Macedonico, quod a Lyſimacho eſt occupatum. Cujus æræ veſtigia in Nummis reperit Ill. Ez. Spanhem. Num. diſſ. VIII.

§. IX.

§. IX. Sub finem Lyſimachi, & Seleuci *Nicatoris*, primordia regni PERGAMENI fecit Philetærus, Tianus, ex obſcuro genere, & caſu enuchus factus, vir ſtrenuus & fidelis, cui Lyſimachus curam & cuſtodiam theſaurorum in arce Pergamena commiſerat. Is vero, cum ſibi ob familiarem cum Agathocle, filio Lyſimachi, a Patre occiſi, amicitiam metueret, bello mox inter Lyſimachum & Seleucum inde orto, arcem eam ſibi vindicavit, &, dum ad ſuperiorem ſemper ac potentiorem ſe adplicaret, ſtatum ſuum ita firmavit, ut potentis ac diuturni regni fundamenta poſuerit: quod ſub Eumene I. & Attalo I, nepotibus ejus, valde crevit, & per Aſiam eſt dilatatum; adjuncta etiam ſub Eumene II., filio Attali, tota Aſia, quæ Syriaco regno ſubjecta, & Antiocho M. per Romanos erepta, Eumeni donata fuit. De origine & ſucceſſione regni vid. Strab. XII. p. 818. & XIII. p. 925. Pauſan. in Att. cap. 8, 10. App. in Syr. p. 209. & ex recentioribus Rupert. ad Beſold. p. 213. & Ez. Spanhem. Num. diſſ. IX. Refert quidem Strab. l. c. Attalum II. primum regium titulum, devictis Galatis, ſumſiſſe: ſed, niſi illud ad ipſum Attalum, non niſi poſt præclarum illud facinus ſe eo titulo dignum judicante, ut jam obſervarunt Docti, reſtringas, cum aliis autoribus & monumentis vix conciliare poteris. Nomen enim *regis* Eumeni & Attalo, deceſſoribus ejus, datur apud Hiſtoricos, & ipſe Philetærus in Nummis eo ornatur, ut ab Ez. Spanhem. eſt notatum, nec non ab H. Valeſio ad Excerpt. Polyb. p. 19. Sed, quicquid de titulo ſit, Philetærus fuit ἀρχηγέτης *princeps generis regum Attalicorum*, Strab. XII. pag. 818. ὁ περγάμου δυναςεύσας *qui pergami principatum tenebat* App. Alex. in Syr p. 209. qui *primus* ἐκτήσατο τὴν περὶ πέργαμον ἀρχὴν, *poſſedit principatum Pergami*, *&* *retinuit*. Luc. Macrob. p. 470. jure merito itaque regni Pergameni fundator.

§. X. BACTRIÆ regnum, quod Alexander Satrapæ Oxyartæ, ducta etiam ejus filia Rhoxane, reliquerat, ut

Curt. VIII: 4. & alii narrant, Græci, qui ſuperiores Satrapias tenebant, Alexandro mortuo, a Macedonibus deficientes duce Philone Æneane occuparunt: ex quibus, licet initio a Perdicca, duce Pithone, repreſſis, ut narrat Diod. Sic. l. XVIII. pag. 591., ortum eſt regnum, quod deinde firmavit & amplificavit *Theodotus* ſub Antiocho Theo. Ab iis enim regnum hoc repetendum eſſe, ex Strab. l. XI. p. 783. 785. & XV. p. 1006. clare elucet. De quo pluribus diſſerere non licet. De Theodoto & ſucceſſoribus vid. Strab. l. c. & Juſt. XLI. qui illud *opulentiſſimum mille urbium imperium* adpellat. De Bactriana gente, ejusque potentia, legendus eſt Curt. l. V: 21. Amm. Marcell. XXIII: 6. præter Strab. l. c.

§. XI. ARMENIAM a Perſis ad Macedonas, & dein Syro-Macedonas tranſiiſſe, cum Strab. l. XI. p. 804. in genere tradidiſſet, ſubjungit, ultimum, qui principatum ibi tenuit, fuiſſe *Orontem* ex ſtirpe unius 7. Perſarum; quando ſub Antiocho M. in duas Satrapias regias diviſa eſt, quas tenuerunt *Artaxius* & *Zadriadus*, qui mox ab eo ad Romanos deficientes libera regna ad poſteros tranſtulerunt; donec Tigranes utrumque conjunxerit. Ex quibus mihi haud improbabile fit, ante Artaxium & Zadriadum, Armeniam ab uno fuiſſe rectam; qui regis titulum habuit: ultimum enim fuiſſe *Orontem*, dicit Strab. l. c. &, quod robur huic opinioni addit, Diod. Sic. in Eclog. p. 894. regem Armeniorum *Ardoatum* memorat, ad quem opis cauſa ſe receperat *Ariarathes*, qui regnum Cappadociæ condidit. Quod ſi admittatur, regnum Armeniæ fuerit eodem tempore, vel initio motuum bellicorum inter duces Alexandri, ortum; deinde ſub Antiocho M. in *duo* diviſum; poſtea in Tigrane rurſus *unitum*: adeo ut in coloſſo pro uno haberi, & per unum pedis *digitum* expingi potuerit.

§. XII. Præter hæc regna, quæ ſeſe in ampliſſimo regno Alexandrino, poſt ejus mortem, oſtentarunt, alia citius

alia

alia tardius, duo alia fuerunt, eaque diuturna, & potentiſſima; alterum INDICUM, a androcotto, tempore Seleuci Nicatoris, conditum, cui omnes trans Indum regiones fuerunt ſubjectæ, vid. App. in Syr. p. 198. Strab. l. xv: p. 1054. Juſt. l. xv. alterum PARTHICUM, ab Arſace ſub Antiocho Theo quidem fundamentis jactis, ſed ſub *Seleuco Callinico* firmatum, & exſtructum: qua ratione diverſæ auctorum narrationes de tempore orti regni Parthici recte conciliantur, ut jam obſervavit H. Valeſ. ad Amm. Marc. l. xxiii: 6. & Rupert. ad Beſold. p. 223. Sed quorum ratio hic non habetur, *Indici* quidem, quia partim nimis remotum eſt *ad* vel *extra* terminos regni Alexandrini, partim non tam occupata fuerit Indiæ aliqua pars, & regno adjuncta, quam victorioſe peragrata ab Alexandro, ut ejus hiſtoria demonſtrat. Taxili & Poro regna reliquit Alexander cum plena poteſtate Diod. Sic. l. xviii. p. 588, 619. nec Satrapæ in eas regiones miſſi fuerunt in regni diviſione poſt Alexandrum; *Parthici* vero, quod non tantum nimis ſero fuerit ortum, ſed in primis alium conſpectum gerat, quam ſcopus & natura viſorum horum requirit. Parthi enim, præterquam quod originitus Scythæ ſint, homines plane Barbari, ut ex Juſt. xli. Arrian. apud Phot. cod. 58. & aliis patet, ipſe etiam Arſaces, regni conditor, *Scytha* Dais quibusdam, cognomento *Parnis*, Nomadibus, imperans, qui Ochum adcolebant, *Parthiam* invaſit & occupavit, teſte Strab. l. xi. p. 783. novum plane regnum condiderunt, quo regni Alexandrini partes ſunt laceratæ, & diſtractæ. Pro regno itaque ex Alexandrino orto non eſt habendum, ſed extraneo, novo, hoſtili & Alexandrini deſtructore, quod æque ac Romanum judicio Dei in deſtruenda imagine Nebucadnezaris, & quatuor feris occidendis, inſerviit. De quo poſtea ſuo loco. Accedit denique, utrumque, Indicum & Parthicum, longe diutius ſtetiſſe, quam horum viſorum, quae ultra tempora Meſſiæ non tendunt, ut ſuo

loco

oco obſervavi, ſcopus permittit. Parthicum usque ad annum 230. poſt Chriſtum ſeſe porrigit, quando Perſis ſub rege Artaxerxe ceſſit, uti notum eſt. Indicum quoque tempore Auguſti longe lateque ſeſe adhuc extendit. Porus enim, ut ex Nic. Damaſceno narrat Strab. l. XV. p. 1047. Indorum rex, 600 reges habuit ſubjectos.

§. XIII. Patet itaque, regna, poſt Alexandrum orta, ad *denarium* numerum reduci haud incommode poſſe: quod nobis ſufficit. Etſi enim unum alterumve forte regnum, præter modo memorata, hic illic fuerit: ejus nulla haberi potuit in hisce viſis ratio, cum quod minoris momenti & durationis fuerit, tum quod harmonia imaginis, humanam formam præferentis, *denarium* numerum, ob *decem* digitos pedum, requiſiverit. Verum quidem eſt, nonnulla horum regnorum a ducibus & ſucceſſoribus Alexandri, aut Græcis, non fuiſſe poſſeſſa, ut Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ & Mediæ: ſed illud non tantum non obeſt, cum præcipua regna & potentiora ab iis fuiſſe fundata ſufficiat, verum cum ipſo emblemate videtur conjunctum, tantum abeſt, ut ab eo abhorreat. Præterquam enim, quod unius ejusdem gentis regna non requirant viſa, modo poſt Alexandrum & intra regni ejus pomœria orta ſint, *diverſitas* materiæ, ferreæ & luteæ, anſam quoque de diverſis populis cogitandi præbet. Quemadmodum in ſuperioribus imaginis partibus, *aurum*, *argentum*, *æs* & *ferrum:* ſic in extrema hac parte *ferrum* & *lutum*, ad diverſarum gentium regna ſeſe transferri patiuntur, ſed non *ſucceſſiva*, ut in ſuperioribus, verum *ſimultanea* & *æqualia*, ut ferri & luti mixtura poſtulat. Accedit, alios ac Macedonas hic in cenſum venire, haud obſcure ex c. VIII: 22. patere, ubi regna, per quatuor cornua expicta, ſecundum quatuor cœli plagas, adeoque præcipua & principalia, *ex gente* Alexandrina oritura dicuntur, de quo in præcedente Diſſert. egi. Quod idem ex cap. XI: 4. roboris forte aliquid acquirit, de quo poſtea. Denique, ut

omnis

omnis difficultas hac parte evaneſcat, notari velim, Barbaros ipſos, ab Alexándro in ſocietatem adſumtos, pro *poſteris* & *ſucceſſoribus* ſuis agnoscendos eſſe, ipſum voluiſſe & juſſiſſe. Sic, Oxyatræ filia Rhoxane ducta, ad *ſtabiliendum regnum pertinere*, dixit apud Curt. VIII: 4., *Perſas* & *Macedonas connubio jungi:* imo eos ἐπιγόνυς *poſteros* adpellavit *ſuos* apud Arrian. l. VII. p. 279, 283. qui proprius eſt *ſucceſſorum* Alexandri titulus, ut obſervavit Ill. Scaliger ad Euſeb. p. 127. Hoc nomine inter Alexandri ſucceſſores legitimum locum tenet Atropates, Philetærus, Mithridates & alii; quemadmodum omnes, qui orientis & totius Aſiæ regiones gubernarunt, διάδοχοι *ſucceſſores* Alexandri dicuntur, Herodian. l. V. c. 2. a quibus primus *Arſaces* Parthus defecit, & novum regnum condidit, ut ibid. mox addit: cui concinit quod de Perſis habet Julian. Orat. I. p. 17. poſt Alexandrum ab ejus ſucceſſoribus deficientibus.

XIII. Secundum regni diviſi adtributum eſt *infirmitas* & *fragilitas* ejus, major minorve, in diverſis ejus partibus, per *ferri* & *argillæ* mixturam depicta, ipſo Daniele interprete c. II: 41. 42. Pedum digiti, alii *ferrei*, alii *argillacei*, illi argillam, hi ferrum admixtum habentes 1. fragilitatem horum regnorum in genere exprimunt. 2. majorem vero minoremve eorum in ſpecie. Quod, ſicut ipſis verbis Dan. VIII: 22. *quatuor regna ex gente conſiſtent, at non in robore ejus*, adſeritur, ita ex hiſtoria facile demonſtratur. Regnum ſub Alexandro unitum, & ferreum, poſt in varia regna divulſum, multum de fortitudine & firmitate perdidiſſe, nec amplius pure ferreum manſiſſe, facile percipitur, *Atque adeo, ſicut, anima deſerente, cadavera non conſiſtunt non cohærent* (Plut. de fort. Alex. pag. 338. verba ſunt) *ſed diſſipantur & diſſolvuntur: ita exercitus, Alexandro amoto, palpitabat, concutiebatur & æſtuabat, Perdiccis, Meleagris, Seleucis & Antigonis, tanquam ſpiritibus etiamnum calidis, ac pulſibus, in corpore*

diſcurrentibus: tandem plane flacceſſens & putreſcens vermium inſtar ex ſeſe pullulavit degeneres reges atque principes ſemianimes. Concinit Dion. Halicarn. Ant. I. p. 2. *Macedonum potentia - - - - - mox ab Alexandri obitu* ἐπὶ τὸ χεῖρον *in deterius vergere cœpit. Diſtracta enim in multos duces ab ejus ſucceſſoribus, & poſt illos ad alteram tertiamve ætatem progreſſa,* ἀσθενὴς αὐτὴ δὲ ἑαυτῆς ἐγένετο, *infirma per ſe ipſa facta eſt, ac poſtremo Romanis armis ſublata eſt e medio.* Sic & Liv. l. XLV: 9. *Macedonum regnum inde morte Alexandri diſtractum in multa regna, dum ad ſe quisque opes rapiunt, laceratis viribus.* Ipſa quoque majora & potentiora regna vim, virtutemque ſuam, brevi perdiderunt, ita ut aliorum potius, quam ſuis, viribus ſtatum tuita ſint. Utique, poſt tertium Ptolemæum, Lagidæ χεῖρον ἐπολιτεύσαντο ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένοι, *male regnum geſſerunt, luxu perditi,* teſte Strab. l. XVI. p. 1146. Seleucidæ quantopere fuerint, mox poſt Seleucum Nicatora, dein, rebus ab Antiocho M. initio inſtauratis, ab ejus tempore debilitati & fracti, ex hiſtoria notum eſt. Quando vero & qua ratione regna illa, alia citius alia ſerius, peſſum iverint a Romanis partim, partim a Parthis abſorpta, ſuo loco exponam.

XIV. Tertium adtributum characteriſticum in mutuis conjugiis, quibus reges illi, ſtatum ſuum firmare conati, non tantum id non effecerunt, ſed e contra magis infirmarunt, ſitum eſt. Quod *luti*, ferro admixti, emblema ob oculos ponere, Daniel expreſſe docuit vſ. 43. *Quod vidiſti ferrum argillæ miſtum: ſe miſcebunt ſemine humano; ſed non conglutinabuntur ſecum invicem, ſicut ferrum teſtæ non miſcetur.* Quibus verbis non illud vult propheta, *luti* admixtionem nullum alium, ſed & hunc habere ſenſum myſticum, quo mutuæ regum illorum copulationes, ad regna firmanda, denotantur. Verſu enim præcedente ad *fragilitatem* illud manifeſte retulerat. Addidit itaque hanc mixturæ luti & ferri ſignificationem, ne ea negligeretur;

retur; cum ſine expreſſa hac Danielis interpretatione nemini facile in mentem veniſſet, utique non, ut in eo acquieſcere potuerit. Admoniti vero elegantiam emblematis haud difficulter perſpicimus. Lutum, etſi ferro ſeſe facile admiſceri patiatur, tantum tamen abeſt, ut inde aliquid firmitatis acquirat, ut contra diſſolutionis facilioris anſam præbeat. Quæ ipſa ratio eſt, quare mutua regum illorum connubia, rebus ſuis firmandis deſtinata, cum *argilla* comparantur, ut, inepta illa fore media, repræſentaretur. *Miſcebunt ſeſe ſemine humano*, dicit Daniel, *ſed non conglutinabuntur*, ſcilicet, ut firmiter cohæreant. Verbum דבק, quo utitur, proprie dicit, *conglutinatus fuit*, firmiter adhæſit, tanquam tenaciſſimo glutine conjunctum, cui apte reſpondet Gr. κολλᾶσθαι, a κόλλα *glutine*. Quæ verbi poteſtas, ſicut huc apte quadrat, *lutum* enim ferro miſtum cohæret, ſed non tanquam *glutine* tenaciſſimo, ſic aliis etiam locis adtenditur, ut Job. XLI: 8. *alterum cum altero ferruminantur, conglutinata ſunt, & non divelluntur.* & alibi. *Semine* itaque *humano* mixti, non *glutine* tenaci, ſed *luto* cohærebunt: quod, *ferro* mixtum, non eſt firmum & durabile. Quam ipſam ob rationem *ſemine* אנשא hominis infirmi & debilis, quæ vocis poteſtas eſt, *miſceri* dixiſſe videtur propheta. Ceterum ad *conjugia* mutua, indeque ortas neceſſitudines & ſocietates, reſpici, ſatis convenit inter Interpretes: nec longe quæſita eſt hæc verbi, *miſceri*, ſignificatio; quæ & alibi reperitur, ut Ezr. IX: 2. Pſ. CVI: 35. Sic etiam Gr. μιγῆναι, & συναναμίγνυσθαι, & Lat. *miſceri*, pro *concubitu* uſurpatur; nec tantum de viro cum muliere conſueſcente apud Atticos, licet illud Atticum eſſe notet Tom. M., ſed & de muliere cum viro, a Cl. viris, Grævio ad Luc. Solœc. pag. 744. Bos ad Tom. M. exemplis eſt comprobatum; quibus alia addi poſſent, ſi illud tanti, & hujus loci foret.

§. XV. Criterium regni Alexandrini, ut ad illud ex

hiſtoria demonſtrandum accedamus, adeo clarum & certum eſt, ut nullum magis. Ipſe Alexander animo volverat, teſtibus commentariis ejus apud Diod. Sic. l. XVIII. pag. 588. hominum ex Aſia in Europam, & vice verſa, translationem inſtituere, *ut maximas orbis continentes*, ταις ἐπιγαμίαις, ϗ ταις οἰκειώσεσιν εἰς κοινὴν ὁμόνοιαν ϗ συγγενικὴν φιλίαν καταστήσῃ, *per connubia & neceſſitudines concordia mutua & cognationis amicitia inter ſe devinciret.* Ipſe quoque ſibi, & amicis, illuſtrium Perſarum ac Medorum filias 80 matrimonio copulavit, ut narrat Arrian. l. VII. pag. 278. Duces vero & ſucceſſores ejus, vel reges, poſt mortem ejus exorti, paſſim *conſanguinei* fuerunt, ſed ſimul *oriens Romanorum*, *diſcordia conſanguineorum regum*, *factus eſt*, ut notavit Juſt. XL: 2. Proferamus illuſtria quædam ad id confirmandum exempla. Antipater, Caſſandri filius, ut ſe in regno Macedoniæ tueretur, Eurydicen duxit, Lyſimachi filiam: ſed hoc eventu, ut ab ipſo ſocero fuerit regno privatus, & dein occiſus. Juſt. XVI: 2. Eodem ſcopo Demetrius Poliorceta filiam Stratonicen dedit Seleuco, & Seleucus eam propterea petiit: Lyſimachus quoque Arſinoën duxit filiam Ptolemæi Lagi. Plut. in Dem. pag. 903. Sed quid factum? Demetrius brevi poſt in poteſtatem Seleuci venit, & periit. Arſinoë vero Lyſimacho autor fuit, ut Agathoclem filium trucidarit: ex quo bellum inter Lyſimachum & Seleucum, & illi & regno ejus fatale, ortum eſt. Ptolemæi Philadelphi filiam Berenicen ſibi copulavit Antiochus Theus, ſed ſuo, & uxoris, & filii exitio: de quo Dan. XI: 6. Antiochus M., bellum cum Romanis adgreſſurus, propinquos reges ut per connubia ſibi devinciret, filias ſuas iis partim obtulit, partim dedit uxores. Cleopatram quidem Ptolemæo Epiphani cum dote Cœleſyriæ, unde poſtea belli cauſa inter Antiochum & Ptolemæos exſtitit, de quo Dan. XI: 17. *Antiochidem* vero Ariarathi, Cappadociæ regi; *tertiam* miſit Eumeni regi Sergameno,

meno, qui tamen, noxia conſequentia prævidens, renuit: de quo legi meretur ejus oratio apud Polyb. leg. 25. pag. 1140. vid. de hisce, quæ dixi, App. in Syr. p. 145. Liv. l 37. c. 53. Joſ. Ant. XII: 3. Alexander Bala uxorem habuit filiam Ptolemæi Philometoris, ſed propterea bello cum ipſo fuit implicitus; quod idem Demetrio Nicatori, cui filiam Alexandro ereptam dederat, contigit. Joſ. Ant. XIII: 4. Ariamnes, filius Ariarathis, regni Cappadociæ conditoris, cum Antiocho Theo adfinitatem contraxit, conjugio inter Ariarathem, ejus filium, & Stratonicen, Antiochi filiam, contracto; quod poſtea quoque fecit Ariarathes, ſucceſſor ejus, ducta Antiochide, filia Antiochi M. unde cum Antiocho M. fuit bello Romano implicitus. Mithridates, Ponti rex, Ariarathem Laodices ſororis ſuæ maritum occidit; Laodice mox nupſit Nicomedi, Bithyniæ regi, ut eum, Cappadociæ regnum invadentem, placaret; ſed hinc bellum inter Mithridatem & Nicomeden exarſit. Juſt. l. XXXVIII. Sat exemplorum! plura hiſtoriam legenti ſponte ſua ſub manus venient.

§. XVI. Succedat emblema DECEM CORNUUM, & PARVI alicujus inter ea elati, cum TRIUM excidio; in viſo Danielis cap. VII: 7, 8. *Cornua*, in quibus robur, vis nocendi & ſe defendendi, potentia ac gloria animantium conſiſtit, aptiſſima virorum bellicoſorum, & potentium regum emblemata, hic non qualescunque heroäs & principes, ſed bellica virtute illuſtres, qui regnum vel fundarunt, vel collapſum inſtaurarunt, una cum poſteris, quibus regnum reliquerunt, depingunt. Quod cum ex ariete *bicorne*, & hirco *unicorne*, tum ex ipſa Angeli explicatione eluceſcit. Angelus enim vſ. 24. de decem *regibus*, & c. VII: 22. de *regnis* interpretatur, regibus itaque, qui regna ſtruxerunt, & ad ſucceſſores transmiſerunt. Ipſum vero emblema nimis vulgatum, & facile intellectu eſt, quam ut opera noſtra indigeat. Quid tamen addere vetat,

 tat,

tat, Attalum, præ reliquis potentem Pergami regem, dictum fuiſſe ab oraculo ταυρόκερων; ut ex Suid. & Pauſ. jam obſervavit H. Valeſ. ad Exc. p. 19. *arietina* quoque cornua fuiſſe Alexandri & ſucceſſorum inſignia, Seleuci vero *taurina*, de quo in Libris Diſſ. l. 1. c. 2. diſſerui. Nec abhorret, antiquos *cornua* in *galeis* prætuliſſe, de quo vid. Lindenbr. ad Amm. M. l. xix. 1.

§. XVII. Hæc DECEM cornua num mox, an paulo poſt, prætulerit quartum animal, etſi expreſſe non dicitur: comparatio tamen cum *decem* digitis pedum in ſtatua, & quatuor cornibus hirci, non mox adfuiſſe, ſed poſt nata fuiſſe evincit. Nec tamen diu, ſed brevi poſt ſeſe oſtentare cœpiſſe, in quo levis eſt cornuum & digitorum diſcrepantia, ex eo liquet, quod ortus eorum vix fuerit Danieli animadverſus, & parvi cornu elationem anteverterit. Totidem itaque reges, qui *cornua* ſeſe præſtiterunt, intelligendi ſunt, qui haud diu poſt Alexandri mortem, antequam Seleucidarum regnum, per cornu parvum expictum, de quo mox, fuerit ad ſummum faſtigium evectum, in ſcenam prodierunt: quos in ſuperiore Diſſert. ſequentes exhibui, *Antigonum*, & *Demetrium* in Aſia, *Lyſimachum* in Thracia, *Caſſandrum* in Macedonia, *Ptolemæum* Lagi in Ægypto, *Philetærum* in Aſia Pergamena, *Sipoeten* in Bithynia, *Mithridatem* in Ponto, *Ariarathem* in Cappadocia, & *Atropatem* in Media Atropatia. Nec video, quid in hac hypotheſi multum offendat. Fuerunt enim omnes viri illuſtres & potentes, qui partem regni Alexandrini tenuerunt, regio titulo inſignes, & regnorum conditores, quorum tres tantum regna ſua ad poſteros non propagarunt, ſed perdiderunt, ut mox explicabo. Primi vero, qui coronam capiti impoſuerunt, *Antigonus* & *Demetrius* ejus filius fuerunt, poſt præclaram illam de Ptolemæo victoriam, & Cypri occupationem, quos alii ſecuti ſunt, ut ſupra narravi. vid. Plut. in Demetr. pag. 896. Diod. Sic. l. xx. pag. 789. alii. Exſtiterunt

runt denique hæc regna, antequam *parvum cornu*, ſeu regnum Seleucidarum, ſupra reliqua fuerit elevatum; quod, ut de novem memoratis notum eſt ex ſuperioribus, de ſolo Pergameno dubitari poſſet. Sed, licet unius regni exceptio parum difficultatis adferret, *decem* enim cornua ante parvum cornu elatum adpellari potuiſſent, unum eorum licet paulo poſt natum eſſet; eo non neceſſe eſt veniamus, cum Philetæri defectio, quæ regni fundamenta poſuit, fuerit regno Seleucidarum in ſummum culmen educto prior: ut ex Philetæri hiſtoria, ſupra memorata, & Strab. l. XIII. pag. 925. colligi poteſt.

§. XVIII. De PARVO hoc CORNU, inter reliqua in ſublime evecto cum *trium* eradicatione, antequam accuratius agam, illudque ad regnum Seleuci Nicatoris adplicem; notari velim, illud non poſt reliqua *natum*, ſed *elatum* fuiſſe viſum a Daniele. Statim ac *cornua* in oculos prophetæ incurrerunt, *decem* tantum animadvertit. Sed oculis in ea accuratius defixis *parvum* inter ea cornu advertit, quod cum *trium* excidio ſeſe vehementer ſupra alia extulit. Ortum itaque cum reliquis fuit, ſed non niſi in altum creſcens oculos feriit. Unde eſt, quod de *ortu* ejus nihil, ſed de *incremento* & *altitudine* tantum loquatur Daniel. Ac enim verba habent vſ. 8. *Cum vero cornua adtentius conſiderarem; ecce aliud cornu parvum adſcendit inter ea, & tria ex anterioribus eradicata ſunt coram eo:* quod vſ. 24. in hæc verba exponitur, *& alius in ſummo culmine ſtabit poſt eos, eritque a prioribus diverſus & tres reges deprimet.* Patet itaque nihil hic de *primo* hujus cornu *ortu*, ſed de *incremento* ſermonem fieri. Quid? quod adtentior contemplatio, quæ cornu parvum detexit, illud jam fuiſſe, ſed non animadverſum, haud obſcure indicet; ne dicam, ipſum *parvi* epitheton eodem omnino tendere. Parvum cornu cum dicitur adſcendiſſe, jam tum fuiſſe, ſed *exile* & *tenue*, clare ſignificatur. Errant itaque, qui verbum סלקה vertunt, *ortum eſt;*

eſt; cum parvum jam tum fuerit cornu, quando illud aſcendere vidit Propheta. Verbum quoque סלק non *ortum*, ſed *incrementum* ob oculos ponit. Denotat enim *adſcendere*, ἀναβαίνειν, quo hic uſus eſt Gr. Interpres. Sic. c. VII: 3. & alibi. Verbum vero קום, quod vſ. 24. occurrit, *ſurgendi* non tantum, ſed & in vigore & ſummo faſtigio ac culmine ſtandi intellectum præbet; de quo vid. Cl. Schultens ad Job. XI: 17. Denotat quoque cum ſtudio & impetu aliquid adgredi, ut Id. ad Job. I: 20. obſervavit.

§. XIX. Offert ſeſe nobis in hoc emblemate 1. Parvum cornu 2. trium eradicatio ab eo facta 3. elevatio poſt & ſupra reliqua cornua 4. *diverſitas* ejus ab illis. De quibus ordine eſt agendum, ut quam apte in Seleucum Nicatora, quem in ſuperiore diſſertatione hic depingi dixi, tanquam regni Syro-Macedonum conditorem, conveniant, in omnium oculos incurrat. 1. Seleucus, cujus notitiam, hic non tradendam, lectoribus meis in genere notam eſſe cenſeo, duplici reſpectu pro *parvo* cornu inter reliquos duces & reges, in regno Alexandrino ortos, haberi poterit, *altero* ante, *altero* poſt regium titulum adſumtum. Temporis, quo duces regia potentia contenti a titulo abſtinuerunt, ratione habita, Seleucus locum inferiorem tenuit, & tenuiore in ſtatu fuit. In prima diviſione, qua reliqui duces, Caſſander, Antigonus, Lyſimachus & Ptolemæus, qui hic præcipue in cenſum veniunt, ampliſſimas præfecturas, poſtea in regna converſas, conſecuti ſunt, Seleucus, nullam adeptus, *præfectus* equitum Sodalium factus, vel firmatus fuit. Secundæ diviſionis tempore, cum reliqui præfecturas jam confirmaſſent & ampliaſſent, *Babyloniæ* præfectura potitus eſt: ſed qua per Antigonum, Aſiam ſibi ſubjicientem, privatus, & ad Ptolemæum auxilii gratia confugere coactus eſt: quo tempore Caſſander Macedoniam jam occupaverat, & Antigonus Aſiam tenebat; a quo

10

10 anni principatus Antigoni apud Dexippum & Porphyrium in Græcis Euſebianis Scaligeri numerantur; Demetrius quoque Poliorceta, filius Antigoni, celeberrimum inter duces nomen habuit. Bello deinde inter duces fœderatos, Ptolemæum, Lyſimachum, Caſſandrum ab altera, & Antigonum ac Demetrium ab altera parte, exorto a. P. J. 4400. Seleucus cum parva militum manu, a Ptolemæo impetrata, in Babyloniam profectus eam ſibi adſeruit; & mox a Demetrio ſibi ereptam recuperavit: a quo tempore ſtabili in poſſeſſione manſit, ſuasque ditiones per vicinas regiones extendit, & Babylonii quoque celeberrimam æram Seleucidarum inceperunt. Hoc bello finito, regnum Alexandri inter hos quinque diviſum eſt; quo Caſſander ſummus Europæ dux dictus eſt, Lyſimachus Thraciam cum vicinis regionibus accepit, Ptolemæus Ægyptum & vicinas terras, Antigonus cum Demetrio totam Aſiam. Verum cum novum mox inter eos exarſiſſet bellum, & Demetrius celebrem de Ptolemæo reportaſſet victoriam, Cypro etiam ei erepta, primus regium titulum ſumſit Antigonus, quem reliqui imitati ſunt, & poſtremus quoque Seleucus. Quo facto, *parvum* nihilominus *cornu* manſit Seleucus, ſive cum reliquis regibus, ſive cum ſequente ejus ſtatu comparatio inſtituatur. Hoc enim tempore Syriam nondum habuit, nec rex Syro-Macedonum fuit, quod Antigono devicto demum factum eſt: quando ſeſe ſupra reliqua cornua efferre, & *cornu* conſpectum, qui hic requiritur, præferre cœpit. Dubium itaque non eſt, quin *parvum* cornu recte audiat, quod poſtea longe excelſiſſimum factum eſt.

§. XX. 2. Quæ elatio cum TRIUM cornuum eradicationem ſecum habeat conjunctam; eam ex hiſtoria nunc in lucem proferamus. In quo non eſt quod multum operæ ponamus, cum hiſtoriæ perito ſeſe ſponte ſua *Antigonus*, *Demetrius* & *Lyſimachus*, a Seleuco potiſſimum ſuperati, & regnis ſuis privati, offerant. *Antigonus* in

 prælio

prælio ad Ipſum Phrygiæ occiſus eſt, & regno Aſiæ excidit; a P. J. 4413. ante Ær. V. 301. Plut. in Dem. p. 902. Diod. Sic in exc. Valeſ. pag. 252. Porphyr. in Euſebianis Slalig. pag. 61. ubi Antigonus φοβερώτατος τῶν τότε βασιλέων *terribilisſimus regum ejus temporis* adpellatur: cui concinit Diod. Sic., qui l. XIX. pag. 699. eum tum *copiarum* tum *divitiarum* magnitudine terribilem fuiſſe dicit: totius quoque Aſiæ regem, ſuperato Eumene, fuiſſe proclamatum tradit Poliæn. Strat. IV. pag. 381. *Demetrius*, cum regnum Aſiæ recuperare conaretur, in Seleuci manus venit, & captivus mortuus eſt. Quod a. P. J. 4433. accidit. Hic autem Plut. in Dem. p. 912. βιαιότατος καὶ μεγαλοπραγμονέστατος βασιλέων *violentisſimus & ad res gerendas magnificas acerrimus* audit. Seleucus quoque, prælium cum ipſo initurus, ſe θηρίῳ δεινῷ *immani feræ* commiſſum inclamavit, ut narrat Plut. ib. pag. 913. Celebrat quoque Diod. Sic. l. XX. pag. 818. in ipſo τὸ τῦ βασιλέως βίαιον καὶ φιλότεχνον εν ταῖς πολιορκίαις *regis vim & ſolertiam in oppugnationibus urbium.* unde πολιορκητῆς *Poliorceta* adpellari meruit: corporis quoque *magnitudine & elegantia* ἡρωικὸν ἀξίωμα *heroicam dignitatem* præ ſe tulisſe dicitur, ib. p. 819. addit Pauſ. Att. p. 24. *paternum ipſi fuiſſe, regnum promovere.* Uterque itaque inter beſtiæ cornua locum jure meritiſſimo tenet. Bello denique inter *Lyſimachum & Seleucum* exorto, & prælio decretorio apud *Cyri campum*, κυρουπεδίον, ut refert Porphyrius in Euſeb. Scal. pag. 63. (ſic enim pro κόρυ πεδίον legendum eſſe recte obſervavit Cl. Driebergen in not. ad Prid. pag. 735.) poſtratus eſt exercitus Lyſimachi, & ipſe occiſus, Regnum quoque ejus Seleuco ceſſit. De quo vid. App. in Syr. pag. 128. Pauſ. in Att. pag. 25. Memnon apud Phot. c. 9: 13. Juſt. l. XVII. Quo titulo jus ſuum in regnum Thraciæ poſtea defendit Antiochus M. in diſceptatione cum Romanis, ut refert Polyb. l. XVII. p. 1072. & Liv. l. XXXIII. c. 40. c. XXXIV. c. 58.

§. XXI. Hæc

§. XXI. Hæc cum liquida nec ignota ſint, duo reſtant verbo obſervanda, ne cui ſcrupulus ſuperſit. Alterum eſt, Antigonum, licet a fœderatis regibus junctis viribus oppugnatum & ſuperatum, recte tamen coram *Seleuco* dici cecidisſe, ut hic de tribus cornibus coram uno, parvo, in altum elevato, habetur: tum quod bellum illud Seleuco incentore, & ejus cauſa, fuerit geſtum, & ipſius præcipuæ etiam in eo fuerint partes, tum quod Antigoni ditiones ipſi acceſſerint. Quæ ex App., Polyb., & Pauſ. egregie firmantur. App. in Syr. pag. 197. Seleucum duo maxima bella cum Macedonibus, *poſterius* cum Lyſimacho, ſed *prius* cum Antigono geſſiſſe, & hunc ad Ipſum Phrygiæ deviciſſe, licet opibus fœderatorum adjutum, diſerte tradit. Polyb. l. v. pag. 572., ſummam diſceptationum inter Lagidas & Seleucidas de Cœleſyria exhibens, refert, Seleucidas adſeruiſſe, Ptolemæum Lagi διαπολεμῆσαι πρὸς Ἀντίγονον, οὐκ αὑτῷ, Σελεύκῳ ϗ συγκατασκευάζοντα τὴν ἀρχὴν τῶν τόπων τούτων, *cum Antigono bellum geſſiſſe, non ut ſibi quicquam pararet, verum ut Seleucum provinciæ ejus imperium ſibi adſerentem adjuvaret.* Quod Lagidæ reſpectu Aſiæ quidem, ſed non *Syriæ*, conceſſerunt: quod nobis hic ſufficit. Pauſ. in Att. p. 38. Antigonum a Seleuco eſſe fuſum & occiſum, Demetrium prælio victum ab ipſo captum, & Lyſimachum eſſe profligatum, ipſis verbis enarrat. Chaldæi quoque *Antigono* prædixisſe feruntur apud Diod. Sic. l. xix. pag. 698. ipſum in prælio cum *Seleuco eſſe occidendum.* Pauſan. in Eliac. p. 491. denique, ut in eo finiam, Seleuci, tum ob alias res geſtas, tum ob captum bello *Demetrium*, *illuſtre fuiſſe apud omnes nomen*, tradit. Ecce *tria* cornua coram *parvo*, ſeſe elevante, evulſa!

§. XXII. Demetrium, licet Antigono Patri in regno Aſiæ fundando opem tulerit, & una cum ipſo rex fuerit declaratus, dein Patre occiſo regnum Macedoniæ occupaverit, quo quidem per Pyrrhum & Lyſimachum ex-

cidit, ſed poſteri ejus diu ſunt gaviſi; hoc non obſtante, inter cornua quartæ beſtiæ ſeu reges, in regno Alexandrino ortos, locum mereri, notandum eſt, non qua MACEDONIÆ regem, cum illius regni fundator hic ſit *Caſſander*, diſtinctum in capite beſtiæ *cornu*, ſed ASIÆ; partim quod rex cum Antigono & reliquis expreſſe fuerit proclamatus & agnitus, partim quod Cyprum ſubjugaverit, Syriam poſſederit, adeoque partem regni Alexandri; partim denique, quod, Antigono mortuo, retinuerit initio Cyprum, Tyrum, Sidonem, & alias regiones, Ciliciam etiam occupaverit, &, poſteaquam regnum Macedoniæ per ſex annos occupatum habuiſſet, in Aſiam, ad regnum paternum recuperandum, trajecerit; quando devictus eſt & captus a Seleuco. Quæ nobis abunde ſufficiunt. vid. Plut. in Dem., & Diod. Sic. l. XXI. pag. 862. alii.

§. XXIII. 3. Tertium *cornu parvi* characteriſticum adtributum eſt, quod, ſicut poſt alia cornua elatum, ita ſupra ea longius evectum ſit. Prius ex dictis ſatis conſtat. *a.* enim, cum alii præfecturas jam haberent, Seleucus adhuc nullam. *b.* cum alii in præfecturis essent firmati, ipſe ſua excidit, & alienæ opis indigus ad Ptolemæum ſe recepit. *c.* ejus etiam copiis recuperavit præfecturam Babyloniæ. *d.* poſt alios etiam diadema ſibi impoſuit. *e.* cum alii ampliſſima haberent regna, ipſe nondum Syriæ, vel Syro-Macedonum rex fuit, quem conſpectum hic cum maxime gerit. *f.* denique non, niſi tribus cornibus eradicatis, locum ſuum occupavit, qui ipſi in hoc viſo datur. Quæ ſtrictim repetiiſſe, non abs re fuerit. Poſterius vero illud, quod c. VII: 20. his verbis diſerte exprimitur, *& ſpecies ejus major erat ſpecie ſociorum ejus*, ſcilicet reliquorum cornuum in capite beſtiæ, quo anſa de excelſo illo Hirci cornu Alexandro M., quocum tacite comparatur, cogitandi injicitur, ſicut faciles explicatus, ita haud difficiliorem habet ex hiſtoria demonſtrationem. Excelſa illa cornu parvi, jam elati, ſpecies

præ

præ reliquis partim in eo, quod ampliſſimum & potentiſſimum, a glorioſiſſimo rege conditum, præ reliquis fuerit regnum, partim in eo eluxit, quod Seleucidæ ſeſe præ reliquis pro genuinis Alexandri ſucceſſoribus geſſerint, ita ut excelſum Hirci cornu in eo cenſeri potuerit aliqua ratione reſuſcitatum; beſtia quoque quarta vim potentiamque ſuam in eo præcipue demonſtraverit. Quod c. VII: 11. clare indicatur. Hujus enim cornu arrogantia & intoleranda ſuperbia ac tyrannis, tanquam cauſa occiſi corporis beſtiæ, ibi profertur: de quo ſuo loco.

§. XXIV. Præſtitit ſeſe Seleucus *cornu* præ reliquis *excelſum*, & in ſublime evectum 1. per *efficaciam* ſuam *mpenetrabilem*, & *victoriarum celebritatem*, unde *Nicatoris* cognomen ipſi adhæſit, ut Amm. Marc. l. XIV: 8. & XXIII: 6. adnotat, & App. Alex. Syr. p. 200. confirmat. qui, ipſi ab exercitu fuiſſe adclamatum, *regi poſt Alexandrum maximo*, ib. p. 207. narrat. 2. per ampliſſimum omnium regnum ab ipſo fundatum, & ſucceſſoribus traditum. Alexandro excepto, *neminem unquam plures terras in Aſia tenuiſſe, nam a Phrygiæ terminis Indum usque Mediterranea omnia Seleuco parebant*, adſerit App. Alex. Syr. pag. 198., qui pag. 200. eum in *maximam ditionis* Alexandrinæ *partem ſucceſſiſſe*, & pag. 206. *majus habuiſſe imperium quam ullum ex Alexandri ſucceſſoribus*, adfirmat. Quam in rem notabilis quoque eſt Arriani, Exp. Alex. l. VII. c. 22. p. 304. teſtimonium, in hæc verba prolatum: *Seleucum* ex *Alexandri ſucceſſoribus maximum accepiſſe imperium, & plurimis terris imperaſſe, animoque maxime regio præditum, minime dubium mihi videtur.* 3. Accedit, Seleucidas ſeſe ſolos fere genuinos Alexandri ſucceſſores jactare fuiſſe ſolitos, in nummis quoque Seleuci Nicatoris crebro comparere *caput leonino rictu armatum*, & *Jovis effigiem*, inſignia Alexandri & Macedonum; denique *regni Græciæ* titulum iis eſſe proprium apud Judæos; ut obſervavit Cl. Relandus diſſ. 1. de *Nummis Samarit.* Ne nunc dicam, terribilis

 beſtiæ

beſtiæ characteres reſpectu Judæorum, quorum ratio in viſis propheticis haberi ſolet, in Seleucidis in primis fuiſſe conſpicuos. Recte itaque pro eminentiſſimo beſtiæ cornu habetur Seleuci regnum.

§. XXV. Quartum characterem, qui reſtat, diverſitas ejus ab aliis præbet c. VII. 24. ubi de ultimo hoc rege diſerte dicitur, *& ipſe diverſus erit a præcedentibus;* quod ipſum *beſtiæ quartæ* erat criterium vſ. 23. Quæ *diverſitas*, dubium mihi non eſt, quin, ut aliorum cogitata ſuo loco relinquam, 1. in *amplitudine* & *magnitudine* ſit conſtituenda, de qua modo egi: quo etiam ducere videtur, quod vſ. 20. ubi viſum repetitur, *ſpecies ejus* dicatur *major ſpecie ſociorum ejus;* cujus explicatio vſ. 24. *diverſitatis* ejus *a præcedentibus* meminit. 2. Qui ipſe vſ. 20., cornu parvo *oculos*, & *os magna loquens*, adtribuens, & hæc adtributa ad *diverſitatem* ejus pertinere, admonet: cum in expoſitione vſ. 24. ſolius diverſitatis in genere mentio fiat. Quæ adtributa licet in ſucceſſoribus Seleuci, in primis Antiocho Epiphane, qui una cum primo regni conditore hoc emblemate comprehenduntur, majore emphaſi ſeſe conſpicienda præbuerunt, ut ſuo loco exponam; a Seleuco tamen plane non abhorrent. Ipſe enim Appiano in Syr. pag. 197., quæ verba commentarii vicem præſtare poterunt, dicitur ἐφεδρεύων ἀεὶ τοῖς ἐγγὺς ἔθνεσι, καὶ δυνατὸς ὢν βιάσασθαι, καὶ πιθανὸς προσαγαγέσθαι, *inſidioſos oculos in vicinas gentes habens, viribus potens ad cogendum, & vi perſuaſoria pollens alios ſibi adjungendi.* Ecce cornu oculatum & magniſonum! Ad quod accedit, ipſum ut *prudentia* inſignem, ſic & *ſuperbia* fuiſſe elatum: cujus ſingulare ſpecimen, ne de regni Alexandrini in ſuo regno reſuſcitatione ipſum præ reliquis gloriatum fuiſſe, & divinos honores ſibi adrogaſſe, dicam, in eo dedit, quod, plane ut Alexander, legem tulerit, *ſemper aequum eſſe, quod regibus placet.* App. l. c. pag. 207. Quid eſt *os*, magna loquens, ſi hoc non eſt?

§. XXVI. Ad

§. XXVI. Ad reliqua parvi cornu geſta, quæ Seleuci ſucceſſores, ſeu aliqui eorum præſtiterunt, antequam pedem promoveam; viſum de *quatuor hirci cornibus*, & *uno* ex uno illorum nato, nec non nudam prophetiam cap. XI. cum modo explicitis viſis comparemus neceſſe eſt, ut, quam apte cuncta conveniant, & ſibi mutuo lucem infundant, pateſcat. In viſo de HIRCO, ejusque *quatuor* cornibus in unius fracti locum exortis, nihil explicandum relictum eſt, præter *unum* cornu, ex uno quatuor illorum ortum. *Quatuor* enim illa *cornua* ſuperiore Diſſertatione demonſtravi, & cum decem *digitis* in Coloſſo, ac decem *cornibus* quartæ Beſtiæ comparavi: quæ hic non repetam. Curam itaque noſtram tantum requirit UNUM illud *cornu*, ex *uno* quatuor cornuum, & quidem *parvo* illo, ortum. De quo in hæc verba Daniel c. VIII: 9. *Et ex uno illorum prodiit cornu unum, ex parvo illo; ſeſeque valde extulit ad meridiem, & ortum, & ad decus ipſum.* Interpretes, quibus mens læva non eſt in verbo Prophetico interpretando, de *Antiocho Epiphane* cogitant, & nonnulli eorum cum *parvo* cornu c. VII: 8. conferunt, *unum cornu* & hic *parvum* adpellari exiſtimantes; vocem מצעירה, ut vulgo fieri ſolet, vertentes, *parvum*, vel *perparvum*. Digito monſtrari *parvum* cornu c. VII. admitto, ſed utrobique idem cornu & de eodem intelligendum eſſe neutiquam conceſſerim; cum quod *ex uno* quatuor cornuum hirci illud natum dicatur, quod cap. VII. ſecus ſe habet, tum quod non *parvum*, ſed ex *parvo* illo, verti debeat, tum denique; quod Antiochus Epiphanes nullo modo *parvum* cornu adpellari queat, ut ſuperiore differt. demonſtravi. Vox מצעירה non *parvum*, ſed *ex parvo illo*, reddenda eſt, ut vel ex ipſa forma vocis elucet; adeoque nos ad cornu dicit cap. VII. quod זעירה vſ. 8. diſerte adpellatur. Cum itaque initio vſ. 9. c. VIII. dictum fuiſſet, *ex uno illorum exiit cornu unum*, absque ut, ex *quonam* eorum naſceretur, additum ſit: mox explicationis gratia adjungitur מצעירה

ex

ex *parvo illo;* ut de parvo cornu, uno cornuum in capite beſtiæ c. VII. cogitaremus, & ad illud reſtringeremus. *Cornu* itaque unum, ex uno quatuor illorum enatum, non eſt idem ac *cornu* parvum, ſed ex eo excrevit; adeoque ad regnum quidem Seleucidarum, per *cornu parvum* depictum, pertinebit, ſed non ipſe *Seleucus Nicator*, verum ex ſucceſſoribus ejus unus eſſe debebit, qui illa præſtitit, quæ hic de eo cornu prædicuntur. In quo hoc quidem viſum a ſuperiore diſcrepabit, ſed nullo alio ſcopo, quam ut ſuperiori viſo aliquid lucis adſpergeretur. Cum enim præcedente viſo plura cornu parvi geſta, ab uno rege Seleuco non præſtanda, eſſent memorata: ne hic erraremus, ſucceſſoribus ejus ea competere, & ab uno aliquo eorum eſſe agenda, hic diſtinctius traditur; eoque ipſo docetur, cornu parvum non unum eſſe *Seleucum* Nicatora, ſed ſucceſſores quoque complecti. Quod & in aliis cornibus locum habet: ut ſupra obſervavi.

§. XXVII. Quem nunc Seleuci ſucceſſorum in regno Syro-Macedonum per hoc cornu ſpeciatim delineatum putabimus? Antiochum Epiphanem, ut vulgata habet hypotheſis, an alium? Mihi ea ſedet opinio, Epiphanem quidem omnino intendi & comprehendi, ſed deceſſorem & Patrem ejus Antiochum M. primo loco, dein ſucceſſores ejus, & ſpeciatim Antiochum Epiphanem, repræſentari. Cujus hypotheſios ſequentes ſunt rationes. 1. Ratio, quare in uno regno Seleucidarum duo *cornua* locum inveniant, ut hic fit, cum *uno* cæteroquin cornu regnum totum, per ſucceſſores devolutum, depingi ſoleat, in promtu eſt, ſi Antiochus M. in ſcenam producitur, ſed, ſi Epiphanes ſolus, in difficili poſita. Cum enim *cornu* vel fundatorem regni, vel collapſi inſtauratorem, figurare ſoleat; poſterior hic unice locum habere poterit Qualem qui in regno Seleucidarum inter Seleuci ſucceſſores quæſiverit, alium ac Antiochum M. non reperiet. Hic enim, & nemo alius, regnum, antea varie collapſum, ita ut a ruina prope abeſſet,

ſet, rebellibus domitis & pomœriis prolatis; ita inſtauravit, ut pro novo ejus FUNDATORE haberi & celebrari debeat ac ſoleat: de quo mox. Regnum Syro-Macedonum ſeſe in duas *periodos* optime diſpeſci patitur, alteram *fundati*, alteram *inſtaurati* regni; *illam* ſub Seleuco, *hanc* ſub Antiocho M. Quæ *duorum* cornuum in eodem regno locum admittit, plane quemadmodum in regno Perſico, per arietem *bicornem* repræſentato cap. VIII. ut in *tertia* Diſſert. explanavimus. Nec inſolens eſt, novum aliquod *cornu* in regno exſurgere dici, cum rex aliquis oritur, qui illud collapſum inſtaurat, vel firmat. Sic Deus Davidi legitur *cornu* ſuscitaturus in Meſſia Pſ. CXXXII: 17. qui *collapſum tentorium Davidis reſuſcitaret* Am. IX: 11. 2. Quæ de hoc novo cornu, ex uno quatuor illorum nascituro, habentur verſ. 9. *ſeſe magnum & illuſtrem præſtabit verſus auſtrum, ortum* & *decus ipſum*, in Antiocho M. longe verius & majore emphaſi, quam in Epiphane, veritatem habuerunt: ut mox patefaciam. 3. Addatur, *cornuum* conſpectum, qui non ſingulos reges, ſed cum ſucceſſoribus, requirunt, exacte ſervari: non enim ſolus Antiochus M., ſed filii & ſucceſſores quoque ea, quæ de hoc cornu hic habentur, executi ſunt; ut ſequentia docebunt.

§. XXVIII. Proferamus nunc ex hiſtoria documenta, quæ, Antiochum M. pro altero regni Syriaci *cornu* recte haberi, evincunt. In bello cum Bactrianis, prælio habito, δοκεῖ καὶ κατὰ τοῦτον τὸν κίνδυνον Ἀντίοχος ἀγωνίσασθαι διαπρεπέστατα τῶν μεθ' ἑαυτοῦ. *Antiochus, hominum opinione, iſto in certamine præ omnibus ſuis egregie rem præſtitit*, ut inquit Polyb. l. x. p. 865. qui mox addit, *eum fortitudinis famam ex ea maxime pugna ſibi peperiſſe.* pud eundem graviſſimum hiſtoricum l. XI. p. 908. *Antiochus* dicitur, *ſuperiorum regionum Satrapas imperio ſuo adjeciſſe; urbes maritimas & omnes cis Taurum dynaſtas ſubjeciſſe, poſtremo, perculſis* τῇ τόλμῃ καὶ φιλοπονίᾳ *audacia & gnavitate*

ſua omnibus ſubditis, non mediocriter ſtabiliviſſe regnum, imo effeciſſe expeditione ſua in Bactros, ut non ſolum Aſiæ, verum etiam Europae populis imperio dignus cenſeretur. Sic *Molonem* Mediæ, & Alexandrum Perſiæ, Satrapas, qui a regno Seleucidarum defecerant, devicit, Polyb. l. v. p. 538. manus quoque ad Thraciam extendit, *ut totum Seleuci regnum inſtauraret*, Id. l. XVII. pag. 1072. Legendus in primis eſt App. Alex. Syr. p. 141, 142. ubi Antiochi præclara facinora, quibus regnum Syriacum reſtituit, ſummatim exhibet: qui ib. p. 143. Antiochum, ἐπαιρόμενον ἀρχῆς τε μεγέθει καὶ εὐπραξίας ἀρχῇ, *imperii magnitudine*, & *conatuum felicitate elatum*, Romanis ſuspicionem moviſſe, *illum non quieturum*, tradit. Bellum ipſius cum Romanis diu duraturum putabant Romani, *quoniam Antiochus*, ut ib. p. 154. inquit App. Alex., *in Aſia multas & magnas gentes Mediterraneas obtinebat, oramque maritimam univerſam prope, jamque Europam ingreſſus erat, formidabilis tum adparatu, tum rerum geſtarum gloria;* δι' ἃ καὶ μέγας ἦν ἐπώνυμον αὐτῷ, *ob quas etiam Magni cognomen paraverat.* Sic *rex opulentiſſimus orbis terrarum* adpellatur, Liv. XXXVIII: 60. *magnus ille rex Aſiæ*, Cic. pro Dejot. c. 13. *omnium ejus temporis potentiſſimus*, Nep. de *regibus* c. 2. Hæc cum teſtatiſſima ſint, quid facias Floro? qui l. II. 8. Antiochum *tam ignavum regem* adpellat, *ut nihil in ipſo ſpecioſius fuerit, quam quod a Romanis victus eſt.* Nihil mihi, quo Floro opem feram, rectius ſuppetit, quam ut ad bellum Antiochi cum Romanis reſtringatur, & poſtrema regis tempora inter & anteriora diſtinguatur: quemadmodum fecit Polyb. in Excerpt. Valeſ. p. 66. ubi dicit, *Rex Antiochus initio quidem rerum maximarum capax viſus eſt, & ad perficiendum id, quod ſemel ſuſcepiſſet, ſingulari audacia praeditus,* (μεγαλεπίβολος καὶ τολμηρὸς, καὶ τοῦ προτεθέντος ἐξεργαστικὸς,) *ſed in ipſo progreſſu aetatis longe cum ſe ipſo, tum externorum hominum exſpectatione, inferior.* Qualem ſeſe in bello cum Romanis vere præſtitit. Ipſe enim

enim ignavus per ámores virginis factus, milites quoque otio & luxu ſregit: ut ex Liv. xxxvi: 11. aliiſque notum eſt. De quo ad Dan. xi: 18.

§. XXIX. Quæ ipſa quoque ratio eſſe videtur, quare, expeditionibus in partes *occiduas* ſilentio involutis, illæ ſolæ memorentur in noſtro viſo, quas *auſtrum* & *ortum* verſus ſuſcepit, quippe ſolæ glorioſæ, in quibus ſeſe bellicoſum, & ſtrenuum demonſtravit ducem, *cornu* emblemate dignum. Vidit enim Daniel, cornu illud *ſeſe efferre ad auſtrum, ad ortum & ad decus*, nulla mentione *occaſus* facta. Felices admodum, & magno Imperatore dignæ, fuerunt expeditiones ejus in *Ægyptios*, *auſtrum* verſus, & in populos *Orientales*, ut *Mediæ* & *Perſiæ* ſatrapas, *Bactrianos* & *Parthos*, aliosque; ſed in Aſiam minorem, Thraciam, & Græciam infelici & ignominioſo exitu fœdatæ ſunt, de quo ad c. xi. dicemus. In ordinem quidem redegit *Achæum* cognatum ſuum, qui Aſiam cis Taurum, Pergamenis ereptam, ſibi vindicaverat; ſed ſine ullo virtutis ſpecimine, in bello cum Achæo præbito. Nec perpetuo retinuit, cum a Romanis tota Aſia cis Taurum fuerit mulctatus. Peculiarem vero meretur animadverſionem, quod addatur אל הצבי *ad decus*, elliptice pro *ad terram decoris*, ut eſt Dan. xi: 16, 41. quæ eſt terra ſancta, ſeu Cananæa, a populo Dei inhabitata: quod ab Interpretibus ſatis eſt illuſtratum. Arabs & Græcus aliquis Interpres quidem verterunt *ad occaſum*, ſive ערבי legerint, ſive legendum cenſuerint, ne *occaſus* mentio negligeretur; rationem, quare prætermiſſa fuerit, quam modo dedi, ignorantes. Quod ipſum Theodotionem, cujus verſio Græca eſt quæ ſupereſt, movit ad reddendum, πρὸς τὴν δύναμιν, צבי cum צבא confundens, & ex verſ. ſeq. ſumens. Expeditionem in terram Iſraëliticam intelligi viderunt recte Interpretes, ſed ad Antiochum Epiphanem retulerunt, cum primo ſenſu ad Antiochum M. debuiſſent; primum quippe, qui Cœleſyriam & Cananæam regi-

bus Ægypti eripuerit, & ſibi vindicaverit, ut ſuo loco videbimus, nec hiſtoriæ peritis ignotum eſt. Quare Dan. XI: 16. inter geſta Antiochi M. quoque locum accepit. Ceterum hæc ipſa Antiochi M. expeditio cum anſam præbuerit invaſionis Antiochi Epiphanis, ejusque perſecutionis in Iudæos; commodo tranſitu mox ſeq. verſ. ad terribilia Epiphanis facinora pergitur: de quo poſtea ſuo loco.

§. XXX. Habemus itaque *duplex* criterium Antiochi M. in hisce expeditionibus; *alterum* eſt, quod *primus* regum Syriæ tum ſeſe cum effectu contra regem Ægypti extulerit, tum Cœleſyriam ac Judæam occupaverit: *alterum* eſt, quod *ortum* verſusglorioſas ſusceperit expeditiones. De Antiocho Epiphane enim nihil aliud conſtat, quam quod *Artaxiam*, regem Armeniæ, devicerit, ut refert App. Alex. Syr. p. 188. & 212. quod phraſi, *magnifice ſeſe verſus ortum extulit*, nullo modo ſatisfacit. Accedit, Armeniam minus recte ad *ortum* Syriæ dici, cum ad Septentrionem potius ſpectet.

§. XXXI. Subjungamus nunc, quæ innuda prophetia de diviſione regni Alexandrini habentur cap. XI: 4. ne quid alicujus momenti intactum relinquam. Verba ex communi verſione habent, *Poſtquam ſteterit, frangetur ejus regnum, atque in quatuor cœli ventos dividetur, neque poſteritati ejus neque pro imperio ejus, cui dominatus fuerat: evelletur enim regnum ejus, & aliis præter ipſos.* Quorum hic ſtatuitur ſenſus, regnum Alexandri, cum in ſummo ſtaret culmine, eſſe confringendum, & in quatuor partes dividendum, nec tamen inter poſteros ejus, nec pro dignitate, amplitudine ac potentia imperii ejus; cum hoc exſtirpandum, & aliis quam poſteris, tradendum ſit, nim. ducibus & præfectis ejus. Quæ Interpretatio duplici laborat incommodo 1. quod voces, *quia eradicabitur regnum ejus*, ſuperfluæ ſint; nihil aliud ac quod initio verſus dictum erat, ſignificantes. 2. quod verbum *eradicari*, *evelli*,

evelli, vix in regnum Alexandri, non *evulſum*, ſed in partes ſciſſum, ut modo dictum erat, conveniat. Fractum quidem eſt regnum illud, cum in partes diſſiliit, ſed non eſt *evulſum;* quod viſum *birci* primum *unicornis*, dein *plurium* cornuum, cap. VII. confirmat.

§. XXXII. Aliam viam, paulo commodiorem, aperuit Cl. Coccejus, qui regni *diviſionem*, & diviſi *finem* ac *exitum*, hic diſtincte exiſtimat exhiberi; priorem his verbis: & *cum ſteterit*, *frangetur ejus regnum*, & *dividetur* in *quatuor ventos cœli*, *at non inter poſteros ejus*, *neque pro dominio ejus:* quæ facilem & notum fundunt ſenſum. Poſteriorem vero verbis ſequentibus: *quia eradicabitur regnum ejus*, & *aliis praeter ipſos*, ſcilicet, *dabitur;* partim Romanis partim Parthis, & aliis populis Barbaris: quando *eradicatum* fuiſſe regnum Alexandri, antea *diviſum*, recte dicitur. Sed nec hæc interpretatio a gravi difficultate libera eſt. 1. enim, ætiologica particula, כי *quia*, nullum plane locum hic haberet, nullum ſenſum funderet, cum nihil, quo referri queat, præceſſerit. Quid enim hoc eſt? regnum *dividetur*, ſed non inter poſteros, *quia eradicabitur* &c. Quæ difficultas tolli nequit, niſi vox לאחריתו non *inter poſteros ejus*, ſed *ſecundum finem ejus* vertatur, & hic ſenſus ſtatuatur, regnum Alexandrinum diviſum nec *finem*, nec *potentiam* regni Alexandri habiturum; non *potentiam*, quia in partes erit laceratum, non *finem* & *extremum* ejus, quia non *dividetur* poſtea, ſed *exſtirpabitur*, & barbaris populis cedet. Sed *a.* a *poſterorum* ſignificatione diſcedere non licet, cum ultimum membrum, aliis præter *illos*, eo manifeſte reſpiciat. *Præter illos* enim ad *poſteros* ejus nos ducit, ut ſit, *aliis* præter *poſteros* ejus. *b.* Præfixum ל in לאחריתו de ſucceſſoribus, quibus regnum diſtribueretur, cogitare jubet, ut tum ex comparatione cum ſequente membro, ubi כ præfigitur, tum ex ultimo membro, *aliis praeter ipſos*, elucet. 2. Altera, quæ in ea interpretatione reſidet, difficultas eſt, quod regnum

Alexandrinum diviſum non magis circa finem dici poſſit לאחרים *aliis* datum, quam in ipſa *diviſione*, relate ad לאחרית *poſteritatem* Alexandri; ſeu *filios* ejus, qui per *poſteritatem* intelligendi ſunt. Nulla itaque ratio eſt, quare regnum ejus in extremo ſuo *aliis praeter iſtos;* ſc. poſteros, dandum diceretur, cum & antea illud locum habuerit.

§. XXXIII. Ex mea opinione verſio & paraphraſis hunc in modum inſtituenda eſt. *Et ſicut ſteterit* (cum Alexander in ſummo vigore, & firmo talo, ut videbatur, tanquam rex conſtiterit) *frangetur regnum ejus* (ipſe regno excidet, violenta morte exciſus, quod c. VIII: 8. per cornu illud excelſum fractum, fuit expictum.) *& diſtribuetur ſecundum quatuor cœli ventos, at non inter poſteritatem ejus* (regnum, conditore ejus mortuo, non *uni*, nec etiam poſteris, aut liberis, ejus cedet, ſed inter alios, & plures, ſecundum omnes cœli plagas, dividetur) *& non ſecundum dominium ejus, quod ipſe tenuit, quia ſolvetur regnum ejus, & aliis præter iſtos* (regnum non totum, quale Alexander illud poſſedit, inter eos, a poſteris diverſos, dividetur, verum promiſcui juris fiet, ita ut alii quoque præter iſtos partem aliquam ſibi ſint vindicaturi.) Secundum hanc interpretationem verſus partim diſtributionem regni inter duces, a domo regia diverſos, partim *occupationem* ab aliis extraneis, comprehendit, ſeſeque in duo magna membra diſpeſcit, quorum poſterius eſt prioris accuratior explicatio, & reſtrictio. *Prius* de regni diviſione inter duces Alexandri agit, *poſterius* vero docet, non totum, quam late patet, ea ratione ad eos perveniſſe, ſed partes quoque nonnullas ab extraneis fuiſſe occupatas; ac ſi fuiſſet res relicta, & promiſcui juris facta, quam quisque invadere & ſibi rapere potuit.

§. XXXIV. Prius membrum his verbis terminatur, *& dividetur ſecundum quatuor ventos cœli, ſed non inter poſteros ejus.* Ubi notandum eſt, 1. *poſteritatem* Alexandri

hic

hic domum & familiam ejus complecti: quem uſum & alibi habet vox אחרית, ut Pſ. CIX: 13. Am. IX: 1. & aliis in locis. 2. per ellipſin intelligi *alios*, quam poſteros, quibus per diviſionem regnum contingeret; ut ſit: *non inter poſteros ejus, ſed alios.* Quod res ipſa facile cogitandum cuique ſuggerit. 3. Verbum Hebr. חצה, ut & חצץ ſignificare *ſorte diſtribuere*, a חץ *ſagitta*, quia *ſagittis* olim fiebat. De quo conſulendus eſt Cl. Schultens in anim. Philol. ad Job. XL: 25. & Prov. XXX: 27. nec non comm. ad Job. XXI: 21. Hæc ſi ad animum revocentur, diſtributionem illam, quæ, Alexandro mortuo, a ducibus facta eſt, qua, domo Alexandri excluſa, regnum inter ſe *diviſerunt*, de quo ſupra dixi, hic deſcribi facile pateſcet. Cui hiſtoria plane conſentit. Aridæus quidem *regis* nomine fuit inſignitus, cui Perdiccas tutor & adminiſtrator regni datus eſt: ſed præterquam quod *frater* Alexandri fuerit, adeoque inter *poſteros* ejus non referendus, *nominetenus* rex fuit, *nomine* non *re:* uti ex hiſtoria notum eſt. Quam ob cauſam Aridæus eleganter a Plut. in Alex. p. 707. adpellatur δορυφόρημα τῆς βασιλείας, *ſimulacrum*, ſeu muta imago, κωφὸν πρόσωπον. ut recte explicuit Ez. Spanhem. ad Julian. Cæſar. p. 32. Nec aliam geſſerunt perſonam duo filii Alexandri, ad breve tempus reges dicti: quorum hic nulla eſt habenda ratio.

§. XXXV. Poſterius membrum generalem theſin, de regno Alexandri ſecundum cœli plagas diviſo inter duces, excluſis poſteris ejus, paulum reſtringit, non totum regnum iis, ſed nonnullas quoque partes aliis præter iſtos ceſſiſſe, quia regnum per inteſtinos motus quaſi prædæ fuit expoſitum, declarans his verbis: *& non ſecundum regnum, cui dominatus eſt, quia ſolvetur*, & *aliis præter illos*, ſcilicet cedet. Reſtrictio eſt in verbis, *& non ſecundum dominium, quod ipſe habuit:* quibus non tam ſignificatur, diviſum regnum non æque magnum & firmum futurum, ac unitum ſub Alexandro fuerat, ſed non totum,

quam

quam late patet, Alexandri dominium ducibus concedendum eſſe. Ratio ſeu explicatio reſtrictionis ſequentibus verbis proponitur: *quia ſolvetur*, & *aliis præter ipſos*. Acſi haberetur: cur totum regnum & dominium Alexandri non fuerit ad duces ejus, qui diviſerant, translatum, inde repetendum eſt, quod quaſi ſolutum, & promiſcui juris fuerit factum: unde contigit, ut in aliorum etiam manus nonnullæ partes venerint. Cum dicitur, *& aliis praeter illos*, illi non ſunt poſteri Alexandri, ſed duces, inter quos diviſum eſt regnum; qui non excluduntur, ſed, præter illos & *aliis* ceſſiſſe illud regnum, indicatur. Ratio, quare & *alii* in poſſeſſionem nonnullarum partium venerint, quam particula כי *quia* requirit, in eo ſita eſt, quod regnum fuerit *ſolutum*, & prædæ quaſi expoſitum. Quem intellectum verbum נתש, peculiari uſu, hoc in loco præbet, ab Interpretibus non obſervatum: explicandum enim eſt ex vicina radice נטש: quæ duæ radices aliquando permiscentur, litteris ט & ת permutatis, quod & in aliis radicibus, ut חטף & חתף, קטל & קתל, טעה & תעה & aliis contingit. Clarum in noſtra radice exſtat exemplum Jer. XVIII: 14. *Quisne relinquet, a petra agri, nive Libani, ſi devolvantur aquæ longinquae, frigidae, perennes*, ut recte vertit & interpretatus eſt Cl. Coccejus, modo pro *devolvantur* ſubſtituatur, *ſolutae diffundantur:* occurrit & ibi verbum נתש, ſed ſenſu a rad. נטש mutuato: quod ab aliis etiam obſervatum eſt. Radix vero נטש, ut ex comparatione cum Arab. نشط נשט, quemadmodum Cl. Schult. clav. p. 318. notavit, liquet, proprie ſignificat, *ſolvit*, ſedemque habet in re, quæ *nodis*, quibus colligata eſt, *exſolvitur:* unde *permittendi*, *negligendi*, & aliæ ſignificationes fluxerunt. Inter quas eſt, quæ rem promiſcui juris facere, ad rapinam, cædem & lanienam, denotat. Quam poteſtatem habet Jer. XXIII: 33. Ez. XXXII: 4. Am. V: 2. & alibi. Senſum itaque non male expreſſit Hieron., vertens, *lacerabitur enim regnum ejus etiam in exter-*

externos, *exceptis his*, & interpretatus; *praeter regna quatuor Macedoniae*, *Aſiae*, *Syriae & Aegypti*, *etiam in alios obſcuriores & minores reges*, *regnum Macedonum laceratum eſt*. Regno ab Alexandro quaſi miſſo tacto, cum *ſucceſſorem* non nominaverit, & inter. duces diviſo, tot tantique motus & bellorum fluctus inter ipſos ſunt ſuſcitati, ut regnum Alexandri, quaſi cura ſolutum, abjectum & promiſcuæ rapinæ, ac lacerationi fuerit expoſitum; unde ortum eſt, quod & alii in partes ejus venerint. Quæ interpretatio ex hiſtoria egregie confirmatur, ut nemini non notum eſt, & ſupra explicui, ſimul quoque robur noſtræ addit hypotheſi de decem digitis *coloſſi*, ac totidem *cornubus* beſtiæ. Quod verbo monuiſſe ſuffecerit.

DISSERTATIO SEXTA

DE

CORNU PARVO,

ET UNO EX EO NATO, EJUSQUE GESTIS

CAP. VII: 25, ET VIII: 10--14, 23--26.

§. I.

CUm viſa prophetica eo in primis collineent, ut fata populi Dei, in uſum Eccleſiæ, depingantur; imo Danielis in ſpecie ad triſtiſſimum ſimul, ſimul lætiſſimum Judæorum ſtatum, ſub Antiocho Epiphane, & Maccabæis reſpiciant, quod de viſo *birci* & *cornuum* ejus diſerte adfirmat Angelus cap. VIII: 19. ubi dicit, *ſe ipſi indicatum veniſſe*, *quid fieret in extremo indignationis; quod extremum dierum* dicitur c. X: 14. ſolius Antiochi Epiphanis geſta, reliquis miſſis, in *cornu parvi* explicatione paulo prolixius deſcribi duobus in viſis cap. VII & VIII; nemini mirum accidat. In qua pericopa hoc ordine verſabimur explicanda, ut primo ipſa *geſta*, dein *tempus*, quo durarent, illuſtremus.

§. II. Cornu parvum, in ſummo culmine poſitum, tribus aliis *cornibus* eradicatis, in viſo, *oculis inſtar oculorum hominis*, & *ore magnifice loquente*, præditum, ſe vidiſſe

diſſe tradit Daniel c. VII: 8. quod in viſi explicatione repetit Angelus vſ. 20, ſed addit, *cornu illud cum ſanctis bellum gerere* fuiſſe viſum c. 21. quorum ſenſum emblematicum tradit vſ. 25. his verbis: *Et verba loquetur in partem Altiſſimi, & ſanctos altiſſimorum adfliget: & ſtudebit mutare tempora & ſtatutum: & tradentur in manum ejus.* Quæ *propoſitionem*, ejusque *explicationem* continent, *illam* prioribus duobus membris, *hanc* vero duobus poſterioribus: ita ut quatuor ſint verborum, quæ citavi, membra, quorum *primum* cum *tertio*, & *ſecundum* cum *quarto* conjungendum; *tertium* vero pro *primi*, *quartum* pro *ſecundi* expoſitione habendum eſt. acſi legeretur: *& verba loquetur in partem Altiſſimi*, & *ſtudebit mutare tempora & ſtatutum:* & *ſanctos altiſſimorum adfliget, & tradentur in manum ejus.* Quæ diviſio & ordinatio verborum, ſicut facilis & apta eſt, ſic ex ipſo phraſium intellectu ſponte ſua ſeſe offert: quod explicatio noſtra docebit.

§. III. *Propoſitionis* itaque & *explicationis priora* membra, ſecum connectenda, habent: *& verba loquetur in partem Altiſſimi*, & *ſtudebit tempora* & *ſtatutum mutare:* quorum poſterius membrum eſt prioris ulterior declaratio. Jactantia enim & ſuperbia hujus regis, per cornu parvum, ſed elatum, hic expicti, quam prius membrum comprehendit, in eo in primis ſita foret, & ex eo eluceſceret, quod *temporum* & *ſtatuti* arbitrariam mutationem, eoque ipſo divinam quaſi auctoritatem, ſibi adrogaret. Quæ paulo clariore in luce collocari merentur, cum verborum & phraſium, tum rerum ipſarum reſpectu. In *primo* verſus membro, quod priorem propoſitionis partem continet, *a.* phraſis, *verba loqui*, non qualiacunque, ſed ſuperba, faſtidioſa, rancida, & contumelioſa complectitur. Quod, quemadmodum *os magna & magnifica loquens*, quo cornu parvum erat præditum, vſ. 8, & 20, ſic ipſa verba, recte intellecta, oſtendunt. Vox enim מלה, cujus radix interiore ſua poteſtate dicit, *lento igne*

excoctum eſt, ſucco & vigore exhauſtum eſt, emarcuit, elanguit, ut a Cl. Schultens Orig. Hebr. tom. II. p. 30. obſervatum eſt, ad *verba* translata, exſucca, in quibus nihil ſucci & bonæ frugis, vana & contumelioſa denotat: quare pro dicteriis uſurpatur Job. XXX: 9. & pro futilibus ac improbis dictis Job. VIII: 2. *b.* Vocula, לצד, in phraſi, *verba* לצד *Altiſſimi loqui*, hic recte vertitur *in partem* Altiſſimi. Sic c. VI: 5. hoſtes Danielis quaeſiviſſe dicuntur criminationem ejus מצד *a parte regiminis.* Sic hoc loco *in partem altiſſimi* loqui, eſt in *illud*, quod eſt *partis*, ſive poteſtatis & regiminis *Altiſſimi;* quo ſibi, quod eſt Altisſimi, ſumit, & contumelioſe cum eo agit.

§. IV. In *tertio* membro, quod *primi* tradit explicationem, nihil, quoad verba & phraſes, difficilis occurrit, quod noſtram requirit operam. Tantum notetur, *a.* verbo סבר, quod proprie denotat, *pertentavit*, & de ſpecillo chirurgico, in vulnus immiſſo, ad ejus profunditatem & periculum explorandum, uſurpatur, ut obſervavit Cl. Schult. ad Har. conſ. I. p. 10. quæ poteſtas adtenditur Neh. II: 13. 15. cogitationes non tantum & propoſitum animi, ſed & ipſum factum, quo illud exſequi tentavit, adeoque *ſtudium*, quo in illud latus eſt, & in eo totus fuit, ob oculos poni: quem ſignificatum ubique præfert. *b. tempora* & *ſtatutum*, in quibus mutandis ſuperbus rex verſaretur, idem dicere ac tempora certis legibus fixa: quod aliis προθεσμια χρόνυ Gal. IV: 1, 2. προτεταγμένοι καίροι Act. XVII: 26. *præfinita tempora*, adpellatur. Pertinet itaque *ſtatutum* ad *tempora*, & phraſis *ſtatutum temporum*, vel definita, legibusque adſtricta, tempora ſiſtit: quo nihil eſt facilius & cum ſtructura vocum conjunctius. Nec tamen intercedo, quominus vox *ſtatuti*, abſolute poſita, ſeſe latius ad quicquid *fixum* & *ratum* eſt, adeoque a nemine movendum, extendat. Vox enim, דת, quæ *ſtatutum*, *legem*, vel *edictum* exprimit, *temporibus* fixis addita, ſicut primo ſenſu certa tempora, *legibus* definita, ita la-

tius

tius & in genere quaſcunque leges, ſive politicas, ſive, Eccleſiaſticas, ſed *fundamentales*, apte denotat.

§. V. Vocibus & phraſibus, quantum ſatis eſt, illuſtratis, *ſenſus* earum accuratius definiendus, & ad Antiochum Epiphanem, de quo hic in primis agi ex ſuperioribus conſtat, adplicandus eſt. Regis *ſuperbiam*, & ſummam animi inflati elationem, qua, ſupremo Numine ſpreto, ſibi, quæ Dei ſunt, ſumeret, & in ejus locum quaſi erigeret, hic in genere deſcribi autumaverim. Quippe quo *os magna*, & in *partem* Altiſſimi loquens non tantum directe tendit; ſed & ſtudium *tempora* & *ſtatutum* mutandi haud obſcure ducit. Hoc enim ipſum Deo ſupremo mundi rectori & Domino, proprium ipſis verbis occurrit Dan. II: 21. *Et ipſe mutat tempora & tempora fixa.* Sic & Act. I: 7. *non eſt veſtrum, tempeſtates aut tempora noviſſe; quae Pater in ſua poteſtate poſuit.* Cum itaque dicitur, ipſum *tempora* & *ſtatutum* cogitaturum mutare: in genere ejus arrogantia perſtringitur, qua ſibi Divinam poteſtatem vindicaret, acſi vellet, id quod Dei eſt, *tempora & ſtatutum mutare.* Sic de Antiocho tradit auctor 1 Macc. II: 24. ipſum *locutum fuiſſe ὑπερηφανείαν μεγάλην magnam ſuperbiam.* Sic Dan. VIII: 11. ſeſe *magnifice extuliſſe* fertur *contra principem exercitus* cœleſtis; imo c. XI: 26. *contra Deum Deorum mirabilia loqui.* Auctor 2 Macc. V: 21. tumidum ejus animum depicturus, ipſum cogitaſſe dicit, *terram navigabilem conſtituere*, & *mare*, *ut tranſiri queat*, *διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας propter elationem cordis:* quod vitium in Antiocho ib. vſ. 17. jam notaverat. Conf. etiam c. IX: 7, 8, 12. ubi *ἰσόθεα φρονεῖν ὑπερηφάνως paria Deo ſuperbe ſentire* dicitur.

§. VI. Cum vero *tempora* de *qualitatibus* eorum, lætis vel triſtibus, in primis reſpectu *regnorum* & *populorum*, eorumque viciſſitudinibus & fatis, quibus oriuntur & occidunt, varioque modo ſe habent, commode intelligi queant, eaque tempora æternis legibus fixa ſint & defini-

ta, ut Eccleſ. III. & Act. XVII. ac alibi dicitur: & illud hic repræſentari recte ſtatuitur; maxime cum hæc jungantur Dan. II: 21. *mutat ille tempeſtates & tempora, transfert reges, & confirmat reges.* Quo admiſſo, novum ſuperbi animi, & in Dei ſupremi Rectoris, & in populorum jura, juſtitiæ & æquitatis legibus conculcatis, ſpecimen ſeſe offert, quo Antiochus in Ægyptios & Judæos impetum fecit, tanquam ſuæ eſſet poteſtatis de populis illis, eorumque fatis, pro arbitrio diſponere. Conf. c. XI: 24, 39. de quo ad ea loca. Quo apte etiam referuntur *oculi inſtar hominis*, quibus hoc cornu fuit præditum: modo *ſuperbos, avaros, & inſidiantes* oculos intelligas; ut oportet. Qualem ſeſe Antiochus in populis illis, qua arte qua marte, ſubjiciendis, & ſpoliandis præſtitit; ut ex cap. XI. & hiſtoria ſuo loco manifeſtum faciam.

§. VII. Atenim in ſpecie & præcipue quin Antiochi molimina in civitatem & religionem Judaicam, quibus utramque deſtructam omnibus viribus voluit, ob oculos ponantur, nullus dubitaverim. Phraſis, *mutare tempora & ſtatutum*, ad leges populi fundamentales, quæ *leges regni* adpellari ſolent, & *temporum* ſecundum eas diſpoſitionem, qua *civilem* qua *ſacram*, ſeſe facillime transferri patitur. In hiſce qui ſibi *mutationem* faciendi extraneus adrogat poteſtatem, ſicut *tyrannum* agit, ita ſeſe Supremi Rectoris, cujus ſolius eſt de hiſce rebus ſtatuere, jura ſumere, & juſtitiæ leges migrare licere, palam oſtendit: in primis reſpectu populi Judaici, peculiari ad Deum relatione gaudentis, cujus leges fundamentales Deum ſumma emphaſi, & peculiari ratione, habent auctorem. Quare, in partem Altiſſimi loqui, & *tempora* ac *ſtatutum* mutare conari, recte conjunguntur. Cujus criminis quantopere ſeſe reum egerit Antiochus Epiphanes, cui demum eſt ignotum? Juſſit, ut omnes gentes, imperio ſubjectæ, omitterent τὰ νόμιμα *legitima*. 1 Macc: 1: 42. De duris, rancidis & impiis ejus dictis, & dicteriis in Deum Iſraëlis,

tis, ejusque populum & religionem, ex hiſtoria Maccabæorum ſatis conſtat. Vid. 2 Macc. VIII: 4. X: 34. XII: 14. quare θεομαχεῖν cum *Deo* pugnare dicitur 2 Macc. VII: 19. juſſum etiam ſuum *Dei* juſſui opponens, ut fecit Nicanor ſecundum auctorem 2 Maccab. XV: 5. Quid vero in *legem* Dei, religionem, & feſta egerit, ex eadem hiſtoria in vulgus notum eſt. Vid. 1 Macc. I: 45, &c. ubi *ſabbata* & *feſta* quoque prophanaſſe dicitur: nec non 1 Macc. III: 29. ubi *τὰ νόμιμα legitima ſuſtuliſſe* traditur.

§. VIII. Poſteriora *propoſitionis* & *explicationis* membra, quæ ſanctorum cum aliquo ſucceſſu oppugnationem comprehendunt, ita ſonant: *& ſanctos altiſſimorum adfliget, & tradentur in manum ejus:* quod vſ. 21. dicitur; & faciet *bellum cum ſanctis*, & *prævalebit* iis. Quod de Antiocho, populum Dei violenter invadente, & opprimente, adeo certum & notum eſt, ut ne verbum quidem addi neceſſe ſit. Hiſtoriam vero belli prolixius narrat Dan. XI. quam ſuo loco illuſtrabo. Hic phraſin unam alteramve aliqua luce donaſſe ſuffecerit 1. verbum בלא, Hebr. בלה reſpondens, in phraſi, *ſanctos* יבלא, vel *terendi*, *adterendi*, vel *adfligendi*, ærumnam & calamitatem infligendi, poteſtatem habet; quam poſteriorem præfert, & ex Arab. lingua illuſtrat Cl. Schult. in Obſerv. ad h. l. Sed *priorem* æque quadrare cenſuerim: modo in idea, *vetuſtate terendi*, non tam hæreas, quam *adterendi* ſignificatum, qui primarius eſt, in genere admittas: hinc enim ad res, *vetuſtate* adtritas, tranſitum fecit. *Adterere* vero populum quasvis infeſtationes & adflictiones complectitur, quibus populus omni flore & vigore privatus tandem in nihilum redigitur, inſtar rei, quam vetuſtas plane corrupit. Quo ſenſu de Israëlitarum continuis calamitatibus ante Davidis tempora uſurpatur 1 Chron. XVII: 9. Robur huic Interpretationi additur ex c. VIII: 24. ubi Antiochus Epiphanes dicitur *populum ſanctorum corrupturus*;

rus; proprie rupturus vellendo ac radendo: eam enim poteſtatem verbum שחת proprie continet, unde pro *deradere*, ſive *diſperdere* radendo & eradicando, uſurpatur: ut Cl. Schult. in Clavi p. 226. obſervavit. Id ipſum animo volvit Antiochus, ut *Judæa everſa*, *ejusque incolis mancipatis*, *deleret Hieroſolymam*, *& genus Hebræorum exſtirparet*. Joſ. Ant. XII: 7.

§. IX. 2. *Sancti celſorum*, quibuscum hoc cornu bellum geret, non ſunt in emblemate, ut vulgo putatur, *ſancti* vel ſanctus *Dei altiſſimi* populus, ſed ſancti vel celſiſſimi, vel potius, ut conſtructionem textus originalis ſervem, *altiſſimorum*, tum *ſtatus*, tum *loci;* qui in ſublimi loco verſantur: adeoque incolæ cœleſtes, ſive Angeli, cum *ſtellis* comparari ſoliti. Quæ opinio ſequentibus innititur rationibus. *α*. Quia *ſanctorum* titulus, & alibi de Angelis occurrens, ut Pſ. LXXXIX: 8., in hoc libro eorum proprius eſt: ut c. IV: 10, 14. adeo ut & *Deorum ſanctorum* nomine in ore Nebucadnezaris c. IV: 5, 6. & Reginæ c. V: 11. veniant. *β*. Quia *angeli* & *ſancti altisſimorum* manifeſte ſecum permiscentur cap. VII: 10, & 22. Qui enim vſ. 10. miniſtri & adſeſſores Dei, pro tribunali *ſedentis*, adpellantur, angeli ſine dubio, iidem vſ. 22. *ſancti altisſimorum* audiunt: ut ex eo manifeſtum eſt, quod *judicium iis datum* dicatur; illud nimirum, cujus mentio in ipſo viſo vſ. 10. erat facta. *γ*. Quia parvum hoc cornu hic repræſentatur, tanquam ad *aſtra* ſeſe extollens, & cum cœleſtibus pugnans. Quod 1. extra dubium collatio cum *cornu*, ex parvo nato, cap. VIII: 10. collocat. Exhibetur enim ibi illud cornu ſeſe efferens *usque ad exercitum cœlorum*, & *in terram dejiciens* ac *conculcans* nonnullos *ex exercitu* & *ſtellis*. 2. haud obſcure ex c. VII: 21. eluceſcit; ubi Daniel, viſum repetens, ſe vidiſſe refert, *cornu bellum inferre ſanctis;* poſteaquam modo de *altiore* hujus cornu *ſpecie præ reliquis* teſtatus fuiſſet, vſ. 20. Hæc quis quæſo adtente legerit, qui de cornu, ſeſe ad

aſtra

aſtra extollente, & cœleſtes oppugnante non cogitaverit? tum, quod *elationi* cornu mox ſubjungatur, ut c. VIII: 10. tum, quod alia plane ratione cornu, ſanctos oppugnans, Danieli non potuerit obverſari. *Homines* etiam, vel populus Dei in terra, hic memorari debuiſſent, ſi Daniel in eos vidiſſet impetum fieri ab hoc cornu. Cœleſtes itaque ſunt, ad quorum domicilium ſeſe erigere viſum eſt hoc cornu; qui hic *ſanctorum* in terra gerunt emblema. Quod enim cornu in viſo emblematico contra *coeleſtes* egit: illud rex, per illud depictus, in *ſanctos* Dei, quorum imaginem ferunt cœleſtes, præſtitit. Angeli vero & ſtellæ ſanctum Dei populum, & in eo præcipuos, ſtudio religionis ac dignitate illuſtres, repræſentant; ſicut cap. VIII: 10. XII: 3. & Ap. XII: 4, 7. ubi eadem plane ſcena, ad hanc noſtram efficta, occurrit. Nec alia deſunt exempla. Sic enim Jeſ. XXIV: 21., ut alia mittam, *& futurum eſt illa die, ut Jehova viſitaturus ſit ſuper exercitum celſi in celſo, & ſuper reges terræ in terra.* De ipſo emblemate poſtea ſuo loco agam.

§. X. Conferamus itaque nos ad *cornu*, ex *parvo* hoc cornu orti, geſta ſuperba & violenta cap. VIII: 10. &c. quæ dictis uberiorem lucem infundent. Licet enim cornu illud, ex *parvo* natum, ad Antiochum M. in ſuperiore Diſſert. retulerim: in eo tamen non eſſe ſubſiſtendum, ſed eum cum ſucceſſoribus, in primis *uno* eorum, Antiochi M. filio, *Epiphane* dicto, eſſe intelligendum, ut emblema cornuum requirit, ſimul obſervavi. Cum vero Antiochi M. geſta in genere exhibuiſſet Daniel c. VIII: 9. & ultimo, ac ſpeciatim, impetum ejus in terram ſanctam memoraſſet: apte admodum reliqua, quæ Antiochus Epiphanes, filius ejus, præſtaret in populum Dei impia & tyrannica, adnectit, cum Antiochus M., ſeſe rebus Judæorum primum immiſcendo, fundamenta jecerit ejus belli cum Ægyptiis, & Judæis. Angelus vero Interpres, viſi intellectum præbiturus Danieli, miſſis Antiochi M.

præclaris facinoribus bellicis, per cornu impetum in varias cœli plagas vſ. 9. depictis, in ſolius Antiochi Epiphanis improbis geſtis verſatur; quia illud cum ſcopo viſi erat conjunctius. Veniſſe enim ſe dicit vſ. 19. ut enarret, quid *populo Dei in extremo iræ* eveniret, quo adflictionis Epiphanicæ character ducitur: ut ſuo loco patebit. Ceterum, cum Angelus viſum per partes quidem non exponat, attamen veræ interpretationis clavem in manus tradat; ejus verba ante inſpexiſſe & illuſtraſſe non abs re fuerit, ut facilior evadat ipſius viſi elucidatio.

§. XI. Eo autem tendunt ejus verba, ut *α. tempus*, quo cornu illud ferociret, & *characteres* ejus innoteſcerent. *β.* generalis impiorum ejus in populum Dei moliminum conſpectus daretur. *α.* Prius vſ. 23. his verbis profert. *Et ſub finem regni ipſorum, quum prævaricatores conſummaverint, ſtabit rex fortis facie, & ænigmatum peritus.* In quibus explicandis, & ad Antiochum Epiphanem adplicandis, parum mihi, poſt Interpretum, in primis Gejeri, curas, relictum eſt, quod notari mereatur. Cuncta ſunt plana & facilia. Characterem *temporis*, partim *regnorum*, partim *populi Dei* ſtatus, verba exhibent. Regnorum, ex Alexandrino ortorum, reſpectu dicitur, *circa extremum regni ipſorum:* ſic enim rectius, quam *in extremo* intellexerim, cum præpoſitio ב latitudinem admittat. Senſus itaque eſt, regna illa ad *extremum* & *finem* ſuum tunc temporis ſpectatura, ita ut epocha interitus eorum ab eo ducenda ſit. Quod nemini non ex hiſtoria progreſſus Imperii Romani per orbem, & horum regnorum debilitatorum, quum Antiochus Epiphanes in Judæos irruit, notum eſt. Quid? quod originale Alexandri regnum Macedonicum jam tum conciderit, a Romanis abſorptum; Syriacum Seleucidarum regnum a parte Orientali & Occidentali ad arctiores limites fuerit redactum, partim per Romanos, qui totam Aſiam cis Taurum ei abſtulerunt, partim per Parthos. Quantopere Romanorum

norum Majeſtatem reveriti eo jam tempore fuerint Lagidæ, Seleucidæ, & reliqui Aſiæ reges, hiſtoria ſatis docet: de quo poſtea. vid. 1 Macc. VIII. Hic non poſſum, quin, ut Aben Ezr. recte notavit, finem dominii regum, vel Seleucidarum, vel Lagidarum, relate ad populum Judæum, brevi poſt in pleniſſimam libertatem per Maccabæos adſertum, cum antea vel Lagidis, vel Seleucidis, fuiſſent obnoxii, addam. Quod cum *ſcopo* horum viſorum, ad Eccleſiam Judaicam inprimis reſpiciente, admodum eſt conjunctum. Quo omnino facit, regnorum Syriæ & Ægypti, quibuscum populo Judæo res fuit, fata ulterius non pertexi cap. XI. acſi regnorum illorum finis ibi eſſet ponendus; ut vere eſt, reſpectu populi Dei, tunc liberati. Denique nihili non eſt, regnorum illorum deſtructionis epocham ibi quoque figi in ſomnio Nebucadnezaris, quo *lapidem* vidit in coloſſum irruentem: de quo ſuo loco agam.

§. XII. Alter temporis character, ex ſtatu Judæorum deſumtus, in *prævaricatorum* & *defectorum conſummatione* ſitus, id habet peculiare, quod, præter *temporis* notam, tyrannidis Antiochi in Judæos immiſſæ, & adflictionis inde ortæ, partim cauſam vel occaſionem moventem, in ipſis Judæis *defectoribus*, qui malorum faces fuerunt, & regem exſtimularunt, ut de *Menelao* ex Joſ. Ant. XII: 9. § 7. & libris Maccab. conſtat, quærendam, quod poſtea etiam Alcimus, & alii fecerunt, Joſ. ib. c. 10 partim *rationem* comprehendat, a terribili corruptione Judæorum, tunc dominante, repetendam, ut diſerte 2 Macc. IV: 16. & V: 17. Quo ſimul reſpicit, quod tempus illud *extremum iræ* adpelletur vſ. 19. ut & 1 Macc. II: 32. & 2 Macc. V: 20. de quo ad cap. XI. Phraſis, *quum prævaricatores conſummaverint*, nihil habet, ad quod quis, linguæ non prorſus ignarus, obhæreſcat. Senſus enim, qui ſeſe ſua ſponte offert, eſt, *peccatores*, & rebelles in Deum & legem, *menſuram* peccatorum compleviſſe; adeo ut ju-

ſtitia Dei, quæ *iræ* & excandeſcentiæ nomine vſ. 19. & cap. XI. venit, ea, absque ut puniat, ferre amplius nequeat. Ea enim eſt ſingularis ſummi Numinis benignitas, ut *ſero*, nec niſi conſummata iniquitate, vindictam ſumat; quam regulam in Cananæis quoque obſervavit, Gen. XV: 16. hoc tamen discrimine, quod, relationi ſuæ ad Judæos convenienter, *citius* vindictam a populo ſuo ſumat, magis ad *corrigendum* quam *delendum* eum: ut auctor 2 Macc. VI: 12. &c. adnotare non neglexit. Qui, ſi ea ratione intelligatur, recte dixit, Deum non ſinere populum ſuum adtingere ἐκπλήρωσιν ἁμαρτιῶν *plenam peccatorum menſuram*.

§. XIII. Præter temporis characterem ipſe rex, qui iram Dei in populum Judæum exſequeretur, a characteriſticis qualitatibus deſcribitur, cum *fortis facie*, & *ænigmatum peritus* adpellatur; non ſine manifeſta ad cornu, *oculis hominis* præditum, & *magniſonum* cap. VII. adluſione, quo harmonia eorum viſorum confirmatur. Utrumque enim, & *oculorum hominis* emblema, & phraſis *intelligens ænigmata*, nos, ſicut ad ſuperbam jactantiam, ita ad *calliditatem* & *verſutiam* hujus regis ducit. Callidam regis prudentiam in aliorum conſiliis evolvendis & ſuis obvelandis Interpretes hic probe obſervarunt, & illuſtrarunt, quibus nihil addo. Sed *jactatam* & prætenſam intelligentiam, magis quam vere poſſeſſam, equidem hic mihi videre videor: plane quemadmodum de rege Tyrio Ezech. XXVIII: 3. *ecce ſapiens tu præ Daniele*, & vſ. 12. *tu obſignans* (id eſt, divina cum potentia & auctoritate docens) *exactiſſime*, vel exactam & libratam ſapientiam, omnibus numeris perfectam; non utique vere, ſed vana opinione. De qua cordis elatione ipſe noſter textus vſ. 25. teſtatur. Nec tamen mihi in phraſi, *intelligere ænigmata*, ſatisfacio. Etſi enim callidam regis ſapientiam, partim veram, partim adfectatam, hic latere non negem, nec in Antiochum Epiphanem apte quadrare ignorem, quare mox vſ. 25. *dolus* ipſi adtribuitur: titulus tamen, *peritus ænigmatum*,

tum, aliquid de proverbiali dicto trahere, & plus in receſſu habere, quod expedire nequeo, videtur. Forte de eo uſurpari conſuevit, qui in Divinis & humanis ſibi ſummam peritiam & auctoritatem adrogat, ita ut ſibi nihil ignotum, & vel abditiſſima & involutiſſima putet ſibi aperta. Forte ad *ænigmaticum* agendi & vivendi modum, quo ex. gr. nunc *ſapere*, nunc *inſipere*, nunc Deos colere nunc ſpernere, viſus eſt, de quo ad cap. XI. agam digitus intenditur. Altera, phraſis, qua *durus facie* dicitur, hominem importunum, qui omnem decoxit pudorem, inhumanum & immitem, qui nulla tangitur miſericordia, durum & inflexilem oboculos ponit. Quod non eſt in difficili poſitum. Sic Deut. XXVIII: 5. *Adducet Dominus gentem duram facie, qua non curabit facies, nec ſeni, nec juveni parcens.* Gr. ἀναιδὴς προσώπῳ *impudens facie.* Poſſet etiam recte verti, *acer* & *amarulentus vultu;* qualem Lat. dicunt *trucem adſpectu* & *oculis.* Sic עז pro *acri* & amaro in ænigmate Simſonis ſumitur Jud. XIV: 14. *ex amaro dulce.* Hoc quam apte in Antiochum conveniat, cum nemini non ex ejus hiſtoria notum, & jam obſervatum ſit, nihil addo, quam illum ab Amm. Marcell. l. XXII: c. 13. *iracundum* & *ſævum* adpellari.

§. XIV. β. Moliminum & geſtorum ejus ſuperborum & improborum generalem conſpectum his verbis vſ. 24. tradit: *& copioſæ erunt vires ejus, ſed non per vires ejus, & mirabiliter corrumpet, & proſperrime aget, & perdet multos, & populum ſanctorum.* Quod verſ. 25. cum aliqua varietate repetitur, eo ſcopo, ut ratio exitii ejus reddatur, in hæc verba: *& propterea quod proſpere agat, fraude in manu ejus ſuccedente, ſeſeque corde ſuo extollat, ita ut in opimitate corrumpat multos, & in Principem principum inſurgat, etiam ſine manu frangetur.* Quæ verba non pro nuda repetitione præcedentium ſunt habenda, ut alicui videri poſſet, ſed partim explicationis præcedentium ergo, partim eo ſcopo facta, ut regis impii perniciem inde repetendam eſſe inculcaretur. Cuncta enim vſ. 25. mem-

bra, usque ad ultimum, a præpoſit. עַל *propterea* dependent, quæ mente ſemper eſt repetenda, & ſingulis membris addenda, quod ſecundi membri reſpectu recte obſervavit Gejerus; ſed ad reliqua ſimul extendere debuiſſet. Ultimum vero membrum, *& ſine manu frangetur*, cum ſuperioribus per *ideo* connectendum eſt, & tragicum regis finem a ſuperioribus facinoribus derivandum, ex hiſtoria notum, & ab ipſo rege tandem agnitum 1 Macc. VI., comprehendit. Ceterum particulam ו recte *ideo* reddi, Gejerus ad tertium verſus membrum, jam demonſtravit; nec illud eſt dubium. Hæc licet non magnopere diſpliceant, commodiorem tamen viam ad ſenſum verſus conſtituendum aperiam; quam ſingularis voculæ עַל in principio verſus poteſtas pandit. Sumitur vero nonnunquam עַל *ſuper* pro *non obſtante*, quod dicitur, vel *quantumvis:* præterea *ſtatus praeſentis*, & *cum maxime vigentis* intellectum præbet quod utrumque obſervavit ac illuſtravit Cl. Schultens ad Job. X: 7. poteſtque ad noſtrum locum egregie aptari. Vertatur itaque verſus hoc modo: *& quantumvis proſpere agat, dolus manu ejus ſuccedat, corde ſuo ſe efferat, & in opimitate perdat multos, etiam in principem principum inſurgat:* ipſo illo in ſtatu proſpero, opulento & potente, *ipſe ſine manu frangetur.* Quem ſenſum, utpote elegantiorem, membris omnibus magis congruum, & in Antiochum Epiphanem exacte convenientem, ut ſuo loco patebit, equidem prætulerim, & in eo acquieverim. Exhibent itaque membra, quæ a עַל *ſuper* dependent, præſentem & florentem Antiochi ſtatum, quo non obſtante, & in eo ipſo conſtitutus, ſubito exſcinderetur. Quod hiſtoria mortis ejus egregie confirmat: de quo poſtea. Idem itaque fere eſt, ac quod de excelſo primo cornu vſ. 8. habetur, *cumque viribus polleret, fractum eſt magnum illud cornu:* cui concinit c. XI: 4. *& cum ſteterit, frangetur regnum ejus.* Conjungentem voculam ו *&* in ultimo membro, *& ſine manu frangetur*, ſive

ſive *tamen*, ſive *profecto*, ſive *tunc* reddas, quod potes, mihi fere perinde eſt, etſi malim *tunc*, ut ſit *temporis* nota, quemadmodum alibi haud infrequenter; de quo vid. *Noldius*.

§. XV. Offert ſeſe in hisce verſibus, ſecum comparandis, 1. generalis moliminum, eorumque ſucceſſus, indeque ortæ inſolentiæ Antiochi, propoſitio. 2. ſpecialis mox ad populum Dei adplicatio. 1. Prius his verbis vſ. 24. *& copioſus erit viribus ſuis, nec tamen viribus ſuis* vel ejus; *& mirabiliter perdet: & proſperabitur & faciet;* vſ. 25. *& quantumvis proſpere agat*, & ſuccedat *manu ejus dolus*, *& corde ſuo ſe extollat.* Quæ verba, ſe mutuo illuſtrantia, *α*. opum & potentiæ hujus regis abundantiam proponunt in genere; *& copioſus erit viribus*, ſimul reſtringunt, cum additur, *& non viribus ſuis*, vel *ejus:* dubium enim eſt, pertineatne relativum in ולא בכחו ad Antiochum Epiphanem, an Alexandrum M.? quod utrumque admitti poteſt. Si ad Antiochum, ſenſus erit; ipſum multa potentia, nec tamen *viribus propriis*, fore præditum: in quo elegans eſt antitheſis. Potentiam & *vires* ſine potentia & viribus habebit: quod dicet; magna pollebit potentia, non a propriis viribus, ſed aliunde potius orta, partim a *fraudibus*, partim a *factionibus*, quas inter Ægyptios & in primis Judæos habebit. Quod utrumque ex hiſtoria conſtat, & quo ſequens membrum, *mirabiliter perdet*, & vſ. 25. *ſuccedet dolus in manu ejus*, de quo mox, manifeſte tendit. Poſſet eo ſenſu hic locum invenire ſingularis phraſios, ולא בכחו, uſus, quo *plusquam viribus ſuis* denotat; ut ſit, potens erit viribus ſupra vires ſuas, potentior quam vires propriæ adferant. Sic Jeſ. XXIX: *ebrii & non vino*, eſt, *plusquam vino*, plusquam qui vino ebrii ſunt; Am. VIII: 11. *famem & non famem panis*, pro plusquam famem panis. Ita etiam Ezech. VII: 7. Job. XXX: 28. Senſus eodem quidem redit, ſed elegantius & fortius exprimitur. Atenim ad Alexandrum relata

lata phraſis, ut jam fecit *Jacob.* ad Dan., & ex vſ. 22. robur acquirit, *potens viribus ſuis ſed non viribus ejus*, ſcilicet Alexandri, dicet, vires Antiochi, quam etiam magnæ videantur, non magis quam reliquorum regum, ex Alexandrino ortorum, æquaturas eſſe viribus Alexandri. Non ſperno quidem, maxime ſi emphaſis, quam vocula ולא *& non*, ſimilibus in caſibus habet, qua *nihil minus quam* denotat, admittatur, ſic Jeſ. XVI: 6. XXXI: 3. Deut. XXXII: 6. attamen prius maluerim, quod propius, & elegantius eſt.

§. XVI. β. *Modum*, quo exſereret vires & potentiam amplificaret, hæc verba vſ. 24. declarant, *& mirabiliter perdet & proſperabitur & faciet;* quibuscum verba verſ. 25. comparanda ſunt: & *quantumvis proſpere aget*, & *ſuccedat dolus in manu ejus.* Quorum ſenſus, qui non eſt in difficili poſitus, huc redit; Antiochum vires ſuas demonſtraturum & auctorum improbis moliminibus, quibus populos vicinos deſtruere conabitur; rem quoque ſibi in eo aliquatenus ſucceſſuram; ſed ſimul *mirabiliter* & *fraudulenter* acturum. Quod vſ. 24. *mirabiliter*, id vſ. 25. *fraudulenter* dicitur; ut id, quod *mirabile* ſit in deſtructione populorum efficienda, clarius eluceſceret. *Mirabile* enim illud, præterquam quod magnam & multiplicem deſtructionem involvat, partim ad ſingularem plane & hactenus fere inauditam rationem, religionis ſolius cauſa Judæum populum opprimendi, & perſecutionem religionis inſtituendi, partim ad fraudulentum & verſutum agendi modum, quem in Judæis & Ægyptiis ſubjiciendis tenuit, de quo ad cap. XI. dicam, retulerim. *Fraudium* vero nomine omnino quoque comprehendas multiplicem *fidei*, Judæis datæ, fractionem ex hiſtoria notiſſimam; quam Jeſ. XXIV: 16. expreſſe notavit, dicens, *prævaricatione prævaricatores prævaricati ſunt.* ubi vid. Cl. Commentator. Vox vero נפלאות neutralium more hic *adverbialiter*, pro *mirabiliter*, ſumitur; quod a Gejero jam eſt obſervatum,

&

& exemplis illuſtratum; quibus unum addo minus notum ex Pſ. LXXXVII: 3. נכבדות *bonorificentiſſime de te ſermo fit, civitas Dei*, id eſt, honorifica & legatione & munerum adlegatione ſocietas tua ambitur. quam ſignificationem דבר cum ב conſtructum & alibi habet, ut 1 Sam. XXV: 39. Cant. VIII: 8. Pſ. CXX: 7. Reliqua ſunt facilia, utique opera noſtra non indigent.

§. XVII. 2. Hæc in genere prolata mox ad populum Dei in ſpecie adplicantur, vſ. 24. *& perdet multos, & populum ſanctorum;* quod paulo explicatius traditur, vſ. 25. *ſeſeque corde ſuo extollat, & in opimitate corrumpat multos, & contra principem principum inſurgat.* a. Quod vſ. 24. ſimpliciter dicitur *& perdet multos*, illud vſ. 25. exprimitur, *ſeſe animo efferet, multosque* in *opimitate perdet.* Quorum collatio 1. vocem עצומים vſ. 24. ſignificare non tam *robuſtos*, ut vulgo, quam *copioſos*, multos, רבים vſ. 25. evincit. Quæ etiam uſitatior vocis עצם ſignificatio eſt, ut multis demonſtravit Boot. anim. S. l. VI. c. II. ſignificatione ducta, quod obſervo, ab *oſſe*, quæ vocis originaria poteſtas eſt: *os* enim in ſummis computandis fuit adhibitum. Nec tamen utriusque vocis paulo infrequentiorem uſum hic plane ſpreverim, quo de *potentibus* & *illuſtribus* viris uſurpatur. Sic עצומים Pſ. CXXXV: 10. ſunt reges *magni*, & honorati; & רבים partim *divites* & *opulenti* ſunt Pſ. XXXVII: 16. LXXXIX: 51. partim *magni* & *magiſtri* aliorum Job. IV: 3. XXXII: 9. Quod hiſtoriæ Antiochi, magnates & doctores Judæorum invadentis & opprimentis, recte convenit: quo *ſtellarum* emblema cap. VIII: 10. etiam tendit. 2. Antiochi animum, quo incitatus improba molimina adgreſſus eſt, pandit vſ. 25. ubi dicitur, *et corde ſuo ſeſe efferet, et in opimitate perdet multos. Superbiæ* enim, qua ſibi *divina* ſumſit, acceptum ferendum eſt, quod Judæos, eorumque religionem, violenter & tyrannice petierit 2 Macc. VII: 34. de quo ſupra monui, & mox monebo. Sed quid ſibi vult בשלוה *in opimitate perdet multos?*

nihil mihi rectius ſuccurrit eo, quod dedit Cl. Schultens Orig. Hebr. tom. II. c. 3. §. 22. vertens, *in opimitate liquidisſima fortunarum* conſtitutus, indeque *inſolescens*, *multos disperdet.* Qui de vocis poteſtate eſt conſulendus. Quod idem de hoc rege diſerte prædicatur cap. XI: 21, 24. Haud leve momentum huic opinioni addit vox שאנן, ſi pro contracto שלאנן, quæ occurrit Job. XXI. 23., habeatur, ut plusquam probabile eſt, & ex שלה *eliquari cum defæcatione*, & inde *tranquillum* & *ſecurum* eſſe, ac אנן *fundi*, *effundi*, compoſita cenſeatur, ita ut proprie *defæcate fuſum* ac *liquidum* exprimat. De quo vid. Cl. Schultens ad Job. III: 18. XXIII: 21. Hinc ad *tranquillisſimam felicitatem*, ut Jer. XXX: 10. XLVIII: 11. & alibi tranſiit, & ſic in ſuperbam *inſolentiam*, ex ea oriri ſolitam, nec non inde natum animum aliorum opibus & exitio inhiantem, facile degeneravit. Quam poteſtatem egregie exſerit Jeſ. XXXVII: 29. ubi Senacheribo, tempore Hiskiæ, שאנן *inſolentia* in Deum & Israëlem contumelioſa adtribuitur. Quod eodem vocabulo de Chaldæis adfirmatur Pſ. CXXIII: 4. ubi *inſolescentes* & *ſuperbi*, & Zach. I: 15. ubi populi השאננים *inſolenter* ſeſe in Judæos gerentes, & in eorum perniciem conſpirantes, ἔθνη συνεπιτιθέμενα, *gentes inſidias ſtruentes* & *irruentes*, ſic verti debent, ut rectiſſime LXX, adpellantur. Aptiſſime itaque & emphatice Antiochus Epiphanes בשלוה *inſolescentia* præditus & actus *multos* dicitur *perdidiſſe*.

§. XVIII. b. Sed ne quis Israëlitas per *copioſos* & *multos*, inſolenter tractandos, intelligi ignoraret, additur vſ. 24. *et populum ſanctorum*, & vſ. 25. *et contra principem principum ſtabit.* Quæ ſe mutuo illuſtrant; nosque de populo una cum *principe* & ſupremo ductore ejus cogitare jubent. *Populum ſanctorum*, quæ eadem phraſis Hoſ. XII: 1. occurrit, ſi quis pro עִם auſit עַם legere, eſſe Judæos, facile convenit inter interpretes; ſed quare eo titulo inſigniantur, non idem ſentiunt. Mihi phraſis nihil aliud ac

commu-

communitatem & *ſocietatem ſanctorum*, vel populum ex ſanctis conſtantem, denotare plane videtur; ita tamen ut nos manu quaſi ad *Angelos*, quibuscum ſancti in terra comparantur in hisce viſis, ducat. Vox עם proprie *communitatem* exprimit, inde *populum* certis legibus unum in corpus communitatis revinctum. Populus itaque *ſanctorum* ejusmodi ſocietatem expingit, quæ hunc titulum haud uno nomine meretur; ſive ad leges ſanctas, ſive ad relationem peculiarem ad Deum & cœleſtes, *ſanctorum altisſimorum* cap. VII, ut & *ſanctorum*, & *cœtus ſanctorum* titulo inſignitos Pſ. LXXXIX: 6, 8. Job. XV: 15. & alibi, adtendas. Quare *populus ſanctitatis* Dan. XII: 7. adpellatur Iſraël. Ad *angelos*, ſeu *exercitum cœlorum* ſpeciatim reſpici hoc titulo, ex ipſo viſo noſtro vſ. 10. nec non c. VII. mihi dubium non eſt; minus etiam, quod *princeps principum*, de quo mox, eo manifeſte pertineat. Voluit itaque Angelus interpres hoc titulo docere, *exercitus cœlorum*, quos a *cornu* illo, ſeſe ad aſtra efferente, oppugnari viderat Daniel, eſſe ipſum populum *ſanctorum* in terris, per exercitus cœleſtes eleganter depictum, & ad eos peculiariter relatum, cum lex per angelos ſit lata, & Angelis fuerit ea Oeconomia aliquo ſenſu ſubjecta. Ceterum, ne quis in phraſi, *copioſos* & *populum ſanctorum* perdet, hæreat, & longe diverſos per *multos* & *populum* intelligi putet, *multos* & *populum* idem denotare obſervari velim ac multos ex populo & una cum ipſo populo, adeoque *multos* ad *populum* pertinere, de quo particulæ ו uſu conſulatur Noldius, & Cocc. in Lex.

§. XIX. Vocibus vero vſ. 24. *perdet multos una cum populo ſanctorum*, vel *id eſt*, *populum ſanctorum*, reſpondent vſ. 25. hæc verba, *perdet multos*, & *contra principem principum ſtabit:* quibus violentus Antiochi impetus in populum Dei ſanctum ulterius explicatur, ſeu adgravatur; ſimul *ratio* repentini ejus caſus, quo ſine manu frangeretur, traditur, ab hoc nimirum ejus improbo fa-

cinore, quo *Principi principum* ſe opponeret, repetenda. Quis qui ſit, de quo ſecum diſſentiunt Interpretes, ex variis hujus libri locis, ſecum collatis, mihi quidem in obſcuro non eſſe videtur. Idem enim ille vſ. 11. *Princeps exercitûs* fuit dictus, a cujus facie *juge* foret auferendum, & cujus ſanctuarium violandum foret a cornu parvo. Deinde cap. x: 13. *unus principum primorum*, & vſ. 21. *princeps veſter*, ſc. Danielis & populi ejus, vocatur, eique nomen Michaëlis datur. Qui mox cap. XII: 1. *princeps ille magnus*, *pro filiis populi* Danielis *ſtans*, adpellatur. Ex quibus, ni fallor, elucet, Michaëlem, Archangelum, angelorum principem, & populi Dei ducem, quem nos ipſum Dei filium, nomine Angeli *Jehovæ* notiſſimum, eſſe credimus, intelligendum eſſe; in quem omnia illa loca & epitheta recte quadrant. Quod hujus loci non eſt fuſius pertractare. Ipſe, ſicut exercitus cœleſtis, ſeu *angelorum*, princeps & Dominus eſt, ita populi Dei redemtorem, & ſupremum ductorem ab antiquo & per omnia tempora egit Jeſ. LXIII: 9. quare etiam *princeps exercitus Jehovæ* dicitur Joſ. v: 14. Qualem ipſum nomen שר *princeps* recte exprimit, ſi ad originariam radicis שור & שרר, quæ eandem radicem conſtituunt, vim adtendas. Proprie enim dicit *recta ſerie diſpoſuit*, *tetendit*; unde omnes ſignificatus facile derivantur, & *principis*, proprie *ductoris*, qui primus eſt *ſeriei*, & ceteros habet pone ſe, recto ordine, ſequentes, ſignificatio prono alveo fluit. Nec quid principis *principum* titulus ſibi velit, in obſcuro eſt; modo *principis* nomen *Angelis* hoc in libro dari, ad animum revocetur, ut ex cap. x. liquet. Idem itaque, quod *Archangelus*, dicet. Ex quo Michaëlis deſcriptio, qua *unus primorum principum* adpellatur, c. x: 13. explicanda eſt. *Unus* enim *principum* hic non eſt *aliquis* eorum, ſed *primus*, præcipuus, reliquorum *caput*, ut Col. II: 10. κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς, & noſtro loco *princeps principum*; quod ad Dan. x. recte obſervavit

Clar.

Clar. Coccejus. *Unus* principum itaque eſt *unicus* eorum, quocum nullus alius comparandus eſt; ſolus princeps ſummus; *princeps* ille *magnus* Dan. XII: 1. quemadmodum Ez. VII: 5. *unum* vel *unicum mali* pro ſummo malo; & alibi אחד pro eximio, ſingulari, *uno* ſui generis; de quo vid. Cl. Schult. ad Job. IX: 22. Sic & Lat. *unicum* dicitur, quicquid eſt eximium. *Unus* principum primorum idem itaque eſt, ac *unus* eo nomine & titulo dignus; unus princeps ſupremus. Ceterum quo ſenſu Antiochus ſeſe huic *principi* oppoſuiſſe dicatur, mox ad vſ. 11. exponemus.

§. XX. Hac clavi ab Angelo Interprete data, haud difficilis fuerit *viſi* ipſius explicatio, vſ. 10-12. In qua pericopa. 1. cornu iſtius ſumma elatio, ad cœlum ſtellatum usque, cœlique commotio cum nonnullarum ſtellarum dejectione in terram & conculcatione, ſeſe his verbis offert; vſ. 10. *Et elevavit ſeſe usque ad exercitum cœlorum, & cadere fecit in terram ex exercitu et ſtellis, et conculcavit eas. Elevatio* ejus ad *aſtra*, quæ hic nomine *exercitus cœlorum*, ut notum eſt, & ex hoc ipſo verſu patet, veniunt, *proprie* quidem in viſo facta, *proverbiali* ſenſu ſummam gloriam, celebritatem, & felicitatem, ſive veram, ſive ſuperbe adrogatam, exprimit, ſicut phraſes *in cœlum evehi*, *ſublimi ſidera ferire vertice*, *cœlum adtingere*, *æqualem aſtris gradiri*, *ire polo nitidosque errare per axes*, apud ſacros & exoticos auctores obviæ, facile admittunt; qua phraſi de Antiocho etiam utitur 2 Macc. IX: 10. ubi ipſe ſibi viſus dicitur τῶν οὐρανίων ἄστρων ἅπτεσθαι *cœleſtia aſtra adtingere.* Nec abhorret, quod Smerdes fuerit Cambyſi in ſomnio viſus *inſidens ſolio cœlum vertice tangere*, Herodot. l. III. c. 64. p. 184. Sed *emblematico* inprimis ſenſu *ſuperbiam* & *tyrannidem* Antiochi Epiphanis in veram religionem, ejusque cultores, depingit, qua ſibi ſupremam in re religionis ſumeret auctoritatem; adeoque partim loco movere & diſturbare religionem Judaï-

cam, & ſacras perſonas, ac legis ſtudioſos viros, exſtirpare, partim novam religionis formam pro auctoritate ſua introducere, adgrederetur. Quod, ſicut vſ. 11. & 12. diſerte traditur, de quo mox; ita exercitus *cœlorum* emblema apte ob oculos ponit. *Stellæ* enim, in alto, & pulchro ordine diſpoſitæ, aliæ aliis majores & lucidiores, inferiora illuſtrantes, & in ea influentes, uſitate & eleganter repræſentant cœlum *præfectorum* populi, qui ſupra vulgus elati, munere, ſapientia & dignitate, inter ſe diſtincti, & juſto ordine ac concinna harmonia diſpoſiti, populum & Eccleſiam lumine ſuo illuſtrant, & regimine ductuque ſuo gubernant. *Exercitus* itaque *cœlorum*, ſeu *cœlum ſtellatum*, quod idem eſt, ſtylo emblematico de *Rectoribus*, qua Politicis, ut dicitur, qua Eccleſiaſticis, in ſpecie *Politico-Eccleſiaſticis*, quales fuerunt Judæorum *Prælati*, Sacerdotes, Levitæ, Doctores, adhiberi ſolet, ut ex variis Scripturæ locis, Jeſ. XXIV: 21. XXXIV: 4. LXV: 17. Hagg. ii: 6. Apoc. VI: 12. & aliis, abunde conſtat. Ipſe Daniel cap. XII: 3. *et doctores ſplendebunt inſtar ſplendoris expanſi, & qui juſtificarunt multos inſtar ſtellarum*, ad hoc ipſum noſtrum viſum digitum intendens, fundum explicationis emblematicæ præbet.

§. XXI. Ad hunc cœleſtem exercitum cum ſeſe *elevaſſe* dicatur Antiochus; ſuperbum & adrogantem huncce regem non tantum ſibi inter hæc cœli divini aſtra, ſeu populi Dei rectores, *locum* vindicaſſe, qui ipſi neutiquam competebat, indicatur: ſed ſimul ſupremum locum, inſtar *principis* hujus exercitus; quin hoſtilem in ſtellas hujus cœli impetum feciſſe; ut eas partim obſcuraret, partim loco moveret, & deturbaret. Quod, mox explicatius tradendum, ipſo verbo *ſeſe elevandi* involutum eſt. Verbum enim גדל ab originaria *intorquendi*, & inde orta *firmi* & *compacti* corporis poteſtate, tranſitum fecit ad *diſceptationem*, *digladationem* & *dimicationem*, dicitque *colluctari*, *implicari* & *conſerere*. De quo vid. Cl. Schultens

de

de *Defectibus* &c. disput. v. §. 202. Vertere itaque liceat, *et implicuit ſeſe usque ad exercitum cœlorum;* hoſtilem impetum eo usque proferendo, ut ad ipſa aſtra adtigerit. Quo *aſtrorum* oppugnatio haud obſcure comprehenditur, ſimul non doctores tantum & prælatos, ſed & reliquos ex populo ſanctos hoſtiliter ab hoc cornu fuiſſe petitos, ſignificatur. Hunc enim intellectum præbet phraſis, *usque ad:* ut ſenſus ſit, non populum tantum ejus impetum fuiſſe paſſum, ſed & præter populum ipſos *præpoſitos* & *doctores*, cum ſeſe usque ad aſtra implicuerit. Quod Angelus Interpres vſ. 24, 25. ipſis verbis indicat.

§. XXII. Succeſſum, quo cornu id ageret, hæc verba tradunt, *et de exercitu illo et ſtellis dejiciet in terram, et conculcabit eas.* Quibus ſignificatur, totum quidem exercitum cœlorum varie commotum & conturbatum fuiſſe, ſed nonnullas tantum ſtellas dejectas & proculcatas, reliquis obnubilatis quidem, ſed locum retinentibus, quæ deinceps priſtinum fulgorem receperunt, ut eſt cap. XII: 3. Non omnes enim, ſed aliquas tantum ſtellas fuiſſe ſolo adliſas, ipſa phraſis, *ex* vel *de* ſtellis, clare ſatis indicat, ut recte ab Interpretibus obſervatum eſt; qui adnotare quoque non neglexerunt, *de exercitu* & *de ſtellis*, idem eſſe, ac de *exercitu ſtellarum*, vel *de exercitu*, ſcilicet; id eſt, *de ſtellis.* Quæ notiora ſunt, quam ut nos retineant. Majoris eſt, in quo ſtellarum deturbatio & proculcatio ſita ſit, explicuiſſe. Ill. H. Grotius de *abductione a legis obſervatione, & profanatione ritibus paganicis*, interpretatus, rem hic acu tetigiſſe non videtur, cum quod *dejectionis* & *conculcationis* verba aliam ſuggerant cogitationem, mox promendam; tum quod tantum abfuerit, ut defectores illi a lege fuerint contemtui habiti, & ad nihilum redacti ab Antiocho, quod hic dicitur, ut e contra in cœlo cum Antiocho locati, & muneribus ac opibus mactati ſint, 1 Macc. II: 18. & 2 Macc. VII: 24. Perdiderunt quidem ſtellarum in cœlo Judaico, in oculis Dei

&

& piorum, conſpectum, qui legi nuncium miſerunt: attamen, quod hic requiritur, quo modo Antiochus caput inter ſtellas extulit, apoſtatæ non in terram præcipitati & conculcati ab Antiocho, verum in cœlo potius collocati cenſeri debent, ut ex gr. Jaſon, Menelaus, Alcimus, profani ſimul, ſimul Pontifices Judæorum. An itaque cum aliis de ſola *muneris* & *officii* ſacri privatione interpretabimur? nec illud licet: partim quod phraſibus non ſatisfaciat, partim quod non in nonnullos ſacerdotes & Levitas, ut hic dicitur, ſed in omnes quadret. Totum enim cultum Moſaicum cum ipſo templo profanavit Antiochus, nec ulli reliquit patriæ religionis exercitium; de quo mox. Rectius igitur de indigniſſimis & crudeliſſimis modis, quibus improbus tyrannus perſonas ſacras, & legis patronos, tractavit, *munere* non tantum privando, quod non excludo, ſed & partim ſpoliando, partim venundando, partim ferro & flammis occidendo, partim quibusvis contumeliis exponendo, phraſes capimus. Quod ut hiſtoriæ, nemini non notæ, reſpondet, imo λαὸν καταπατούμενον *populum conculcatum* fuiſſe, ait 2 Macc. VIII: 2. ſic phraſibus & locis parallelis exacte convenit. Ita cap. XI: 33. *et doctores populi multos reddent intelligentes; & corruent gladio*, & *flamma*, & *captivitate*, & *ſpoliatione:* nec non vſ. 35. *et ex doctoribus corruent aliqui* &c. Qui cap. XII: 2. *dormientes in pulvere terræ* audiunt. De quo ad ea loca. Robur addit locus Apoc. XII: 4. ad noſtrum expreſſus, *et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, et abjecit eas in terram.* Nec abhorret, quod de rege Babylonio habet Jeſ. XIV: 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo, phosphore, fili auroræ! exciſus, dejectus es in terram.*

§. XXIII. 2. Hac violentia in populum Dei & rectores ac doctores non contentus Antiochus, ipſum *cultum* Dei ſibi oppugnandum & deſtruendum ſumſit; quæ ulterior eſt tyrannidis gradatio, vſ. 11. his verbis expreſſa: *et usque ad principem exercitus illius ſeſe extulit; et ab ipſo abſtulit*

lit juge; et projectum eſt habitaculum ſanctitatis ejus. Veræ religionis, quæ quotidie in Templo exercebatur, abolitionem violentam hic exhiberi, in oculos incurrit, & neminem latuit. Quare nobis parum relictum eſt obſervandum. Duo ſunt verſus membra, quorum *poſterius* eſt *prioris* explicatio. Cum enim dictum eſſet, cornu parvum ſeſe *extuliſſe* & *implicuiſſe usque* ad *Principem exercitus*, mox, in quo ſita fuerit illa oppugnatio, additur, in eo ſcilicet, quod juge, vel *continuum* & *perpetuum* (id enim תמיד denotat) partim *ſacrificium*, partim reliquum cultus ſacri exercitium, hoc nomine venire ſolitum, è medio *ſuſtulerit*, *templumque* fuerit *projectum.* Quam ob rationem Antiochus *ab ipſo* Principe exercitus abſtuliſſe legitur juge, & habitaculum ſanctitatis *ejus* fuiſſe projectum. Eſt quidem aliqua lectionis in verbo הרים varietas, ſecundum criticas notas marginales, quæ הורם ſubſtituunt, pro *activo* הרים *abſtulit* legentes *paſſive* הורם *ablatum eſt*, quum voces, *ab ipſo*, ad Antiochum, tanquam cauſam efficientem, commodius referendæ eſſent: ſed, quin textualis lectio ſit præferenda, & marginalis non ex Codicum varietate, verum critico Maſoretharum judicio, ut paſſim alias, ſit orta, ut cum ſequente verbo השלך conveniret, nullus dubitaverim. In quo falſi fuerunt Critici Judæorum; ultimum membrum, & *projectum* eſt *habitaculum*, pro conſequente præcedentis habendum eſſe, non advertentes. Membra enim illa cohærent, acſi legeretur, & abſtulit Antiochus juge, adeo ut habitaculum, vel Templum, fuerit projectum; omnibus ſacris in eo ceſſantibus, acſi vilis & abjecta eſſet domus, profana & non ſacra 1 Macc. I: 38, 39. IV: 38. & alibi ſæpe, ſic & Joſ. Ant. XII: 7. Ceterum ex eo ipſo, quod *juge* a coram facie principis exercitus fuerit ablatum, & *ejus* habitaculum rejectum, facile, ni fallor, eluceſcit, *Principem* illum non eſſe *ſummum ſacerdotem*, in ſpecie *Oniam*, quem primum dignitate exuit Antiochus, quod feſtinanti nimis Ill. Grotii calamo exci-

dit, ſed ipſum Angelum Jehovæ, eo titulo in Scriptura V. T. notiſſimum. 1. Quia Pontifex non eſt princeps *exercitus ſacri*, & ſtellati cœli Dominus, ſed unus ex eo, pars exercitus, licet reliquis excellentior, *ſtella*, licet primæ magnitudinis. 2. Qui hic *princeps exercitus*, idem vſ. 25. *princeps principum* adpellatur; de quo ſupra egi. 3. Templum nusquam dicitur, nec poteſt, *habitaculum ſanctitatis Pontificis*, quod hic fieret, ut ex relativo *ejus* in phraſi *ſanctitatis ejus*, ſcilicet *Principis* exercitus, patet. 4. Phraſis, *auferre juge*, nec uſu, nec poteſtate ſua, tam exilem ſenſum patitur, ut præter *Pontificatus* mutationem, & ab unâ ad aliam perſonam translationem, manente ipſo cultu ſacro, denotet nihil. Onias munere tantum motus eſt, & in ejus locum ſucceſſit Jaſon, qui Oniam ſupplantavit, & Antiochum muneribus corruptum in ſuas partes traxit. Quo nihil frequentius fuit temporibus Herodis M. & ſequentibus. 5. Nec denique hoc ad periodum oppugnationis & perſecutionis Epiphanicæ, aut *ceſſationis* & abolitionis *jugis*, pertinet, ſed eam anteceſſit: ut ex hiſtoria notiſſimum eſt. De quo ad vſ. 13, & 14. dicemus. Eſt itaque Angelus Jehovæ ipſe Filius Dei, legati Dei Patris perſonam gerens, qui hic *princeps* exercitus adpellatur: de quo ad vſ. 25. neceſſaria protuli. *Ejus* vero *ſanctuarii* locus ſicut recte audit Templum Hieroſolymitanum, quod ipſe, in Symbolo nubis ſupra arcam, inhabitabat, & tutabatur; ſic *ab ipſo*, vel a coram ipſo, *juge* apte dicitur *auferri*, cum ſacra ibi coram ipſo, tanquam ſupremo inſpectore & directore, adminiſtrari ſolita, ceſſant. Quæ latius exſequi nihil adtinet. Vid Zach. II: 1. &c. Mal. III: 1.

§. XXIV. 3. Tertia *gradatio* violentiæ Antiochi, *idololatrici* cultus ſubſtitutionem, & publicam perſecutionem religionis cauſa complexa, vſ. 12. his verbis profertur: *& ſtationem dabit contra juge*, vel *ejus* loco, *in defectione, & projiciet veritatem in terram, & faciet & proſperabitur.*

Senſus

Senſus eſt, Antiochum non tantum aboliturum eſſe veri Dei verum cultum in Templo Hieroſolymitano, ut vſ. ſuperiore dictum erat, ſed præterea *idolum* erecturum, & idololatricum in eo introducturum; omnesque Judæos, qua arte qua marte, eo conaturum eſſe compellere, ut *veritatem* abnegent, & mendacem falſamque religionem amplectantur. Primum verſus membrum, quod verti, *& dabit ſtationem contra juge in defectione*, cum aliter verti & intelligi ſoleat, in clariore luce collocandum eſt. Pertinet illud, ex mea opinione, ad *idololatriam* in Templum juſſu Antiochi introductam, & in veri Dei cultus locum ſuffectam: de quo c. XI: 31. in hæc verba loquitur Daniel: *& profanabunt*, ſc. *brachia* Antiochi, *ſanctuarium*, *arcem illam*, *& removebunt juge*, *et collocabunt abominabile vaſtans*; cui concinit cap. XII: 11. *a tempore remoti jugis*, *et poſiti abominabilis vaſtantis*. Quæ loca, de quibus ſuo tempore agam, ad cultum verum loco motum, & idololatricum ſubſtitutum, manifeſte pertinentia, noſtri loci commentarium præſtant, cum quod utrumque, & juge ablatum, & idololatria ſuffecta, jungatur, plane ut noſtro loco, tum quod idem verbum נתן, & ibi & hic, adhibeatur. Quid? quod noſtro in capite vſ. 13. non tantum *juge* & *defectio* eadem ratione connectantur, qua in locis citatis: ſed & *vaſtantis* epitheton *defectioni* addatur, ut in locis citatis *abominabili*. Ex quo, voce *defectionis* eandem idololatriam, quam vox *abominabilis* denotat, comprehendi, haud obſcure elucet. Verba itaque, *exercitum dabit contra juge*, vel *loco ejus*, *in defectione*, hunc fundunt ſenſum, Antiochum ſacram ſtationem in cultu idololatrico in locum perſonarum ſacrarum in veri Dei cultu introducturum; veramque religionem Judaicam in Templo εἰς βέβηλον καὶ κοινὴν συνήθειαν *in profanam et impuram conſuetudinem mutaturum*, ut verba Joſ. Ant. XII: 7. habent. Quæ interpretatio ſicut verſum hunc cum præcedente connectit, cultus enim veri abolitioni vſ. 11. commode falſi

inſtitutio ſubjungitur; ita partim locis parallelis, modo citatis, partim hiſtoriæ exacte reſpondet, ut in vulgus notum eſt 1 Macc. I: 58 2 Macc. VI: 2. partim ex ipſis verbis eruitur; quod ſolum mihi hic demonſtrandum reſtat.

§. XXV. Quo fini 1. vocem צבא proprie ſtationem *militarem*, hic *miniſterialem*, ſacris in Templo ſatis *laborioſis* incumbentem, ſecundum certum *ordinem* & *ſeriem*, deſignare, notari velim. Quam poteſtatem & alibi habet, ſatis vulgatam, Num. IV: 24, 30, 39, 43. VIII: 24, 25. & alibi. 2. Phraſis, נתן *dare ſtationem*, eam conſtituere & præficere ſignat, ut in locis parallelis, cap. XI: 31. & XII: 11. Sic & 1 Reg. II: 35. VII: 39. 2 Chron. IX: 8. Nec alio flectendum eſt infinitivum תת vſ. 13. cum præcedente, ut recte Gr. interpres, & non ſequente, conſtruendum; ut ex c. XII: 11. patet. Senſus enim eſt: *quousque viſio jugis* (ſc. *ablati*, quod Gr. recte ſupplevit & c. XII: 11. additur) *& defectionis deſolantis datæ.* &c. 3. Cum hisce vocibus, *& dabit ſtationem*, cohæret vox בפשע *in defectione*, cujus ſenſus eſt, ſacram illam ſtationem miniſterialem ab Antiocho eſſe conſtituendam in *cultu idololatrico* exercendo: plane ſicut Num. VIII: 24. *veniet* לצבא צבא ad *obeundam ſtationem* בעבדת *in opere tentorii conventus*. Quando voces intermediæ, על תמיד *ſuper jugi*, vertendæ ſunt *loco* & *vice* ejus: quæ elegans eſt voculæ על poteſtas, in primis in *æſtimationibus*, ut Lev. XV: 31. & Job. XIV: 16. Atenim, ſi quis vocem, *in defectione*, cum תמיד proxime præcedente malit conſtruere, ſenſus haud incommodus eodem tendens exorietur, quo *ſtatio* conſtituenda dicitur *ſuper juge idololatricum*. Solet verbum נתן *dare* cum על hoc ſenſu frequenter conjungi, nec inſolens eſt, aut emphaſi caret, phraſin, תמיד בפשע *juge in defectione*, pro *jugi defectionis* accipi, oppoſite ad juge legitimum, a Deo inſtitutum. Elegantia & emphaſis locutionis in ſingulari poteſtate ב redundantis reſidet, qua non otioſe ſuperflua eſt,

ſed

ſed *intimam* rei *naturam* exprimit: de quo vid. Cl. Schultens ad Job. XXIII: 13. & Rever. Hackman. in Præc. p. 71. *juge* itaque *in defectione* erit juge, quod pura puta eſt *defectio*. Altari idololatrico in Templo erecto, & ubique per oppida & vicos, juſſit offerri *σῦς καθ' ἡμέραν quotidie ſues*: Joſ. XII: 5. quod eſt תמיד בפשע. Ceterum פשע *defectio*, *ἀποστασία*, hic *idololatriam* dicit, qua creatura directe a *creatore* legitimo Domino ſuo, in ſpecie Iſraëlita a Deo *fœderato* ſuo deficit. Quod facillimum eſt. Sic cum *abominabili* permutatur in locis c. VIII: 13: XI: 31. XII: 11. ſecum collatis. 4. Denique ratio mihi reddenda ſupereſt, quare תנתן in initio verſus per *dabit* reddiderim; cum ſecundum puncta verti debeat paſſive, *dabitur*. Etſi enim hoc defendi poſſe non abnuam; activum *dabit* cum קרן *cornu* conſtruendum prætulerim, cum propter ſequens verbum, *projiciet*, etiam activum, tum quod צבא maſculini gen. eſſe ſoleat, verbum vero תנתן ſit fœmin. Nec obſtat, quod uſitatior activi forma ſit תתן; quia *regularis* & antiqua eſt תנתן: cujus non deſunt exempla alia, ut in ינצר *ſervabit* Deut. XXXIII: 9. תנגשו Jeſ. LVIII: 3. & aliis.

§. XXVI. Additur, & *projiciet veritatem in terram*: quod ſecundum eſt verſus membrum, quo reliqua Antiochi molimina ad veram religionem abolendam inter Judæos exhibentur, partim in *libro legis* ubique *conſcidendo* & *comburendo* 1 Macc. I: 56. Joſ. Ant. XII: 7. ut hic recte Ill. Grotius, partim in ſignis Judaiſmi, ſeu *circumciſione*, inhibendis, ibid., partim in populo ad religionis abnegationem cogendo, & legis ſtudioſis immaniter tractandis, ut ex hiſtoria ſatis conſtat, ſita. Vox אמת *veritas*, ſicut *legis* eſt epitheton Mal. II: 6. Pſ. CXIX: 142, 151. Neh. IX: 13. ita pro *vera* religione; oppoſite ad falſam, quæ mendacii nomine venit, ut Jeſ. XLIV: 20. Hab. II: 18. Zach. X: 2. Am. II: 4. & alibi, ſumitur. Cujus etiam reſpectu Hieroſolyma, tanquam ſedes religionis, *urbs veritatis* adpellatur Zach. VIII: 3. Poteſt etiam vox אמת, quæ quid

firmum & *ſtabile* proprie dicit, ex oppoſito הבל, quod proprie *vaporem*, inde *idolum*, denotat, illuſtrari. Nec prorſus irrita fore impia ejus molimina, ultimum membrum declarat, & *faciet*, & *proſperabitur;* quod vſ. 24. exprimitur, & *proſperavit*, & *fecit;* quod idem eſt, ac *proſperavit*, ut jam obſervavit ad h. l. & Gen. XXXI: 6. Schultens.

§. XXVII. *Geſtis* parvi cornu, quæ Antiochus Epiphanes præſtitit, in generalibus viſis, de quibus nunc tantum agimus, in lucem protractis: *durationem* eorum inſpiciamus, & cum hiſtoria, quantum pote, comparemus, initio a cap. VII: 25. facto, ubi ſancti in manus ejus tradendi dicuntur *usque ad tempus*, *tempora*, & *dimidium temporis*, id eſt, annum, duos annos, & dimidium anni; quod cap. XII: 7. eadem ratione, ſed aliis nominibus, exprimitur: argumento, utrobique eadem de re agi, & noſtro loco eandem adflictionem indicari Epiphanicam, quæ ſine controverſia altero loco repræſentatur. Sic & עדנין *tempora* pro *annis* ſumuntur cap. IV: 13, 20, 22, 29. Quod vero noſtro loco פלג, illud cap. XII. חצי dicitur, adeoque & hic *dimidium* ſignificat; tempus in *duas* partes *diviſum* proprie comprehendens. Cum vero terminus *a quo*, ut adpellatur, ſit *ſanctorum* oppugnatio; ſponte ad illud tempus ducimur, quo Antiochus *ſanctos*, ſeu legis & religionis ſtudioſos, vexare & perſequi cœpit; quod factum eſt, cum, ultima in Ægyptum expeditione finita, miſit Antiochus *Apollonium* ducem in Judæam, qui Hieroſolymam cæde replevit, & ſacra Templi ceſſare fecit: unde brevi poſt *perſecutio* religionis in omni forma ſecuta, & cultus idololatrici in Templo facta eſt introductio. Duravit vero cultus idololatricus in æde ſacra per *triennium*, a 25. die menſis Casleu anni ær. Seleuc. 145. usque ad eundem ejusdem menſis anni ær. Sel. 148, ut ipſis verbis conſignatum exſtat 1 Macc. I. 59. & IV. 52. quod Joſ. Ant. l. XII: c. 7. confirmat, ubi *triennii* fuiſſe ſpatium diſerte additur. Quam lectionem 2 Macc.

X: 3.

x: 3. eſſe reſtituendam, & pro διετῆ leg. τριετῆ, a Doctis jam obſervatum eſt. Præceſſit vero templi per cultum hunc idololatricum profanationem oppugnatio ſanctorum & religioſorum per Apollonium; ut exſerte 2 Macc. vi: 1. traditur, ubi μετ' ὀ πολὺν χρόνον *poſt haud longum tempus*, ſcilicet, a miſſo Apollonio, qui perſecutionis initia fecit, templi illam profanationem fuiſſe factam dicitur. Quantum vero ſpatium inter miſſum Apollonium & hanc idololatriæ erectionem fluxerit, etſi non tradatur; de aliquot menſibus cogitare licet, adeoque totum tempus illud *trium* fuiſſe annorum & *ſex* menſium, quo Hieroſolymæ jacuit Templum deſertum, & ſanctorum hæc perſecutio viguit. Cui robur addit Joſephus, qui in proœmio librorum de Bello Jud. §. 7. Antiochum Hieroſolymam tenuiſſe tradit annos 3. & M. 6; & ibid. l. 1. c. 1. τὸν ἐνδελεχισμὸν τῆς καθ' ἡμέραν *quotidianum ſacrificium* ceſſare feciſſe per *tres* annos & M. 6. adſeritur. In quibus, ni fallor, acquieſcere licet.

§. XXVIII. Conferamus nunc locum parallelum cap. viii: 14. in quo ad Danielis quæſitum de duratione *quotidiani aboliti*, & *ſtationis ſacræ conculcatæ*, in hæc verba reſpondet Angelus interpres: *usque ad vesperam mane bis mille trecenta*, *& juſtificabitur ſanctum.* Qui numerus 2300 ſi totidem *dies*, ſive νυχθήμερα, comprehendat, ut vulgo cenſetur, nimium quantum a ſuperiore 3 annorum & 6 M. diſcrepabit; nec cum cap. xii., de quo mox, aut hiſtoria conciliari poterit. Dies enim 2300 non *tres* annos cum *dimidio*, ſed *ſex* annos & 4 menſes abſolvunt, ſi anni 360 dierum, & Menſes 30 dierum intelligantur; quemadmodum in Propheticis fieri ſolet; ut ab aliis jam eſt obſervatum. Tantum temporis ſpatium hic locum habere non poſſe, quicquid contendant Interpretes, ex terminis, *a quo*, & ad *quem*, clare eluceſcit. Terminus *a quo* manifeſte a tempore aboliti *quotidiani* cultus in Templo ducitur vſ. 13. quod non niſi miſſo Apollonio anno

ær. Sel. 145. factum eſſe ex Hiſtoria neminem fugit. Biennio ante Antiochus quidem Hieroſolymam hoſtiliter invaſerat, & Templum ſpoliaverat; attamen longe alia ex cauſa, quia Judæos a ſe defeciſſe putabat. 2 Macc. v: 11. nec in ipſam religionem manus injecit, nec ſacra Templi abolevit, aut religionis cauſa Hieroſolymitanos adflixit: quod biennio poſt demum accidit; ut ex 1 Macc. I. dubio caret. Errant itaque, qui terminum *a quo* in ann. Aer. Sel. 143. figunt. Nec quid dubii habet terminus *ad quem*, in ann. Aer. Sel. 148. conferendus, cum quod eo anno verus Dei cultus reſtitutus finem impoſuerit *abolitioni quotidiani*, de cujus duratione quæſiverat Daniel, rogans, *quousque viſum jugis* &c. tum quod *ſanctum* eo tempore fuerit *juſtificatum*; quem terminum Angelus diſerte ponit vſ. 14. Phraſis, *ſanctificabitur ſanctum*, hoc loco nihil aliud ac vindicationem Templi ab oppreſſione & contaminatione, ejusque reſtitutionem in integrum, cultu ibi inſtaurato, denotat. Quem ſignificatum etiam habet cap. XII: 3, de quo poſtea. Nec longe quærenda eſt hujus ſignificatus ratio. Cum enim *juſtificare*, ſenſu forenſi, ſit alicui, calumniis & violentiis oppreſſo, & jure ſuo privato, jus dicere vel facere, eum ab accuſationibus vindicando, & juri ſuo reddendo: *ſanctum* quam aptiſſime *juſtificari* dicitur, quum ab opprobrio & profanatione liberatur, & vero ſuo uſui redditur, ſuoque *jure* uti frui conceditur. Quod nemo ignorat factum fuiſſe, quando Judas Maccabæus Templum, manibus hoſtium ereptum, repurgavit, initiavit, & ſacris ei redditis honoravit, anno Aer. Sel. 148. 1 Macc. IV. ubi etiam *purgatum* dicitur Templum vſ. 41, & opprobrium *gentium ablatum* vſ. 58. quibus phraſibus *juſtificationis* poteſtas non male exprimitur. Quo antiquæ verſiones, Gr. Lat. & Syr., reſpicientes reddiderunt καθαρισθήσεται, *mundabitur*. Male itaque Jungman. l. 1. Sect. 11. c. 17. licet jam ante ipſum Pererius eam opinionem protulerit, terminum *ad quem* in mor-

te

te Antiochi ann. Aer. Sel. 149. ponendum eſſe disputat, acſi populus tunc demum a perſecutione ejus fuiſſet liberatus, & cauſa Templi plane juſtificata. Manifeſte enim cum de *jugis aboliti* duratione, tum de *ſanctuarii*, & non populi, plenaria juſtificatione agitur. quod, Templo repurgato, & feſto in ejus memoriam inſtituto, Aer. Sel. 148. factum eſt. 1 Macc. IV.

§. XXIX. Tueri itaque cum tantum temporis ſpatium ſeſe nequeat, partim quod hiſtoriæ repugnet, partim quod loco parallelo cap. XII. adverſetur, de quo mox; phraſis *veſpera* & *mane* pro *diei* definitione, vel circumſcriptione haberi nequit, ſed alio referenda, & alia ratione explicanda eſt. Cujus anſam vox תמיד *juge* vel *quotidianum*, de quo *veſpera* & *mane* uſurpatur, & quo manifeſte reſpicitur vſ. 13, 14. ſuppeditat commodiſſimam. *Veſpera* itaque & *mane* hic matutinum & veſpertinum ſacrificium ſignant; adeo ut תמיד *juge* & *veſpera ac mane* ſint phraſes Synonimæ. Quod ex vſ. 26. egregie roboratur; ubi quod vſ. 13, חזון תמיד *viſio jugis*, illud vſ. 26. *viſio veſperæ & mane*, adpellatur; manifeſto indicio, *veſperam* & *mane* eſſe ipſum תמיד *juge veſpertinum* & *matutinum*. Quo admiſſo, 2300 *veſpera* & *mane* non erunt totidem dies, ſed tot ſacrificia quotidiana. Quorum cum *duo* ſingulis diebus fierent, 2300 *veſpera* & *mane* dimidium dierum numerum facient, dies ſcilicet 1150, ſeu annos *tres* & M. 2. cum aliquot diebus. *Veſpera* itaque & *mane* non ſunt *conjuncte* pro totidem *diebus*, ſed *diviſe* pro totidem ſacrificiis, bis per diem offerendis, capienda, & 2300 dies inter veſperam & mane dividendi, ita ut dimidia pars ad *veſperam*, & dimidia ad *mane* pertineat; quæ junctæ dies tantum 1150, ſeu *tres* annos & M. 2. abſolvunt. Quam ſententiam latius non exſequor; quia id jam egit C. Bertramus in Lucubrat. Franktall. cap. IV. nec non, qui eum ſecutus eſt, Ch. Helvicus in vindic. locorum Script. V. T. qui conſuli poſſunt.

§. XXX. Tantum obſervari velim, quod ad nos pertinet, 1. non ſine ratione *veſperam* præmitti, cum dicitur, *usque* ad *veſperam mane*, & vſ. 26. *viſio veſperæ* & *mane*, non tam quod, quæ Bertrami eſt opinio, Apollonius die ſabbati, poſt matutinum ſacrificium, Judæos oppreſſerit incautos, initiumque jugis ablati cum *veſpertino* factum ſit, ut reſtitutio per Judam Maccabæum a *matutino* initium ſumſit; quæ non adeo certa ſunt; ne dicam, epocham jugis ablati illa Apollonii prima invaſione poſteriorem eſſe, de quo mox, quam, quod in ſacris, ex inſtituto Moſis, in memoriam mirabilis noctis paſchalis in Ægypto, quo tempore egreſſi ſunt Iſraëlitæ, *veſpera* initium ſacrorum facere ſoleat. Sic Lev. XXIII: 22. *a veſpera ad veſperam agetis otium veſtrum:* & *agnus paſchalis*, unde feſtorum initium ſumtum eſt, *veſpere* erat mactandus lege expreſſa: uti notum eſt. Huc etiam David Pſ. LV: 18, ubi ſe *veſpera*, & *mane* & *meridie* ſacris operari dicit, reſpicit. Quod ipſum hypotheſi, de ſacrificio veſpertino & matutino hic intelligendo per veſperam & mane, quid momenti addit. Si enim *diei* eſſet periphraſis, non *veſpera* ſed *mane* primum locum tenuiſſet, quia dierum initium extra feſta & ſacra non erat apud Judæos *veſpera*, ſed *mane:* de quo vid. Cl. Vignolius Chron. S. l. III. c. I. §. 6. Quare *mane* præmittitur Pſ. LXV: 9.

§. XXXI. 2. Alterum, de quo monere volebam, ad hiſtoriam & implementum prophetiæ ſpectat, ne cui moras injiciat *trium annorum* & *dimidii* ſpatium, quod cap. VII. & XII: 7. occurrit, & ſupra ex hiſtoria confirmavi; cum hic *tres* anni & Menſ. 2. tantum memorentur. Quæ diſcrepantia ut è medio tollatur, alteruter terminus, a *quo* vel *ad quem*, oportet diverſimode figatur. Poſterior vero cum nullam latitudinem aut variationem admittat, de quo ſupra egi; in priore, ſeu termino *a quo*, ſolutio hujus nodi quærenda eſt; ubi nec difficulter invenitur. Modo inter *Sanctorum oppugnationem*, de qua cap. VII. *et*

jugis

jugis ablationem diſtinguamus, & intermedium aliquod ſtatuamus. Quod hiſtoriæ omnino eſt conſentaneum. Etſi enim per Apollonii infeſtationem populus Hieroſolymitanus fuerit partim occiſus, partim diſſipatus, partim oppreſſus; ita ut Templi Sacra etiam intermiſſa ea in rerum confuſione fuerint: attamen interdictum Sacrorum non niſi poſtea a rege emanavit; ut ex 1 Macc. 1: 44., &c., ac ſerie narrationis liquet. Duplex itaque ſtatuatur epocha, altera Sanctorum oppugnationis, altera ſacrificii ablati edicto Regis, hæc illa paucis menſibus poſterior; quod omnino licet: nihil hic difficultatis ſupererit. Priore enim ab epocha 3 anni & 6 M. fluxerunt, de quo ſupra dixi; a poſteriore totidem anni & 2 M. quominus ſtatuantur, quod hic habetur, nihil impedit. Hiſtoriæ vero accuratioris defectus, quo laboramus, facit, quod in generalioribus hisce acquiescere debeamus. Nec *trium*, & quod excurrit, menſium tanti faciendum eſt hac in re discrimen. Cum itaque ab interdictione cultus idololatrici usque ad veræ religionis inſtaurationem *tres* anni in hiſtoria elapſi legantur, ut ſupra notavi: *duo menſes* facili negotio ſtatuuntur plures ab epocha *ablati jugis*, ab edicto regis repetita, ut hoc in loco fit. Illud enim edictum aliquo temporis ſpatio antevertiſſe idoli erectionem ſuper altari, ipſa hiſtoria demonſtrat, 2 Macc. v, vi.

§. XXXII. Sed quid faciemus loco, cap. XII: 11.? ubi *tres* anni & 7 M. a tempore ablati jugis numerantur, his verbis. *Et a tempore, quo ablatum fuerit juge, datumque abominabile vaſtans, dies mille ducenti nonaginta:* qui tot annos & menſes, quot modo definivi, efficiunt. Qui numerus non tantum 5 menſibus excedit ſuperiorem 3 annorum & 2 Menſ., ſed & eo 3 annorum & dimidii eſt *uno* Menſe ſuperior. Quæ poſterior discrepantia, licet per ſe conſiderata parvi ſit facienda, cum *dimidium* anni, paulo latius ſumtum, æque ad 7 ac 6 menſes referri poſſit: majoris tamen hic eſt æſtimanda, quod, cum 3 anni cum

dimidio a Sanctorum oppugnatione, epocha anteriore, hi anni 3 & 7 M. a jugi ablato, epocha poſteriore ducantur. Quod ipſum difficultatem in comparatione cum tribus annis & 2 M. cap. VIII. auget, cum eadem utrobique conſignata ſit epocha; *jugis* ſcilicet loco moti. Quæ, ad animum revocata, faciunt, ut, termino *a quo* eodem ſervato, qui cap. VIII. ponitur, ſolutionem in termino *ad quem* quærendam eſſe cenſuerim. Quod per prophetiam omnino licet; cum terminus *ad quem* noſtro verſu non expreſſe memoretur.

§. XXXIII. Retineamus itaque terminum *a quo* eundem, qui cap. VIII. conſignatus eſt, & terminum *ad quem* non præciſe in Templo repurgato, ut cap. VIII., ſed morte Antiochi Epiphanis, poſt Launæum, Jungman. & alios, ponamus; lucem forte nobis oriri experiemur. Cum enim Antiochus inter mille cruciatus a. Aer. Sel. 149. infelicem animam efflaverit, 1 Macc. VI: 16. menſe & die non notato, nihil impedit, quominus id accidiſſe primis ejus anni menſibus ſtatuatur. Quando quinque menſes, quibus dies 1290., ſeu 3 anni & 7 M., hic memorati, numerum dierum 1150, ſeu 3 annorum & 2 M. cap. VII, licet ejuſdem termini *a quo*, ſuperant; facili negotio inveniuntur. Terminus enim *ad quem* 3 annorum & 2 M. cap. VII. in diem 25 Caſleu, ſeu *noni* menſis anni Aer. Sel. 148., quo ſacra inſtaurari cœperunt, incidit; adeoque *quinque* menſes additi nos ad anni 149 menſem quartum vel quintum ducent; quo Antiochum fuiſſe mortuum ſtatui poteſt. Nec ſine ratione eo usque extenditur terminus *ad quem*; cum quod illuſtris & maxime notabilis ſit caſus mortis Antiochi, immanis Judæorum perſecutoris, quem Angelus Interpres cap. VIII: 25. propterea expreſſe ſignavit; eo etiam illuſtrior, quod crimina ſua in populum Judæum ad animum revocaverit, publice fuerit confeſſus, & perſecutioni finem a Filio imponi voluerit 1 Macc. VI. 3 Macc. IX. tum quod intermedio illo tempore,

pore, quod a repurgato Templo per Judam Maccabæum uſque ad mortem Antiochi fluxit, Judæa, proprie dicta, fuerit a Judæis occupata, hoſtibus repreſſis, & liberum cultus ſacri exercitium Judæis redditum, adeo ut hoſtes ſolam *Acram* prope Templum tantum retinuerint incluſi. De quo 1 Macc. v. & vi.

§. XXXIV. Hactenus res non male videri poteſt nobis ſucceſſiſſe; ſed majorem difficultatem vſ. 12., qui mox ſubjungitur, dies 1335, ſeu 3 annos, M. 8. & D. 15. complexus, creat, quam vix ſuperare licet, partim quod termini *a quo* & *ad quem* nulli definiantur, partim ob hiſtoriæ defectum. Angelus eo verſu *beatum* ſimpliciter pronunciat, qui *exſpectaverit* & *pervenerit ad dies* 1335. Termini, a *quo* & *ad quem*, ponantur, ut quousque pervenire detur experiamur, *ille* in ann. 149, *hic* an. 153. Aer. Seleuc. tempus intermedium 3 annorum & M. 8. ſeſe ſponte ſua offeret. Termini prioris, ſeu *a quo*, fundum præbet hypotheſis de hisce diebus 1335. ſubordinandis ſpatio dierum 1290, vſ. 11. memorato; quam feliciter jecit & probabilem reddidit Jungman. ad Dan. l. 1. Sect. II. c. 16. Cum enim a tempore ablati jugis dies 1290 numeraſſet Angelus, qui in morte Antiochi terminarentur, ſimulque prævideret periculoſiſſima tempora ſecutura, apte ſubjungit, beatiores adhuc fore, qui ad ulteriorem terminum, quo firmioris ſpei fundamenta jacerentur, pervenirent: acſi diceret, *tres* annos & 7 M. quidem durabit perſecutio Antiochi, in ejus morte terminanda: attamen tot & tanta adhuc pericula populum Dei invadent, ut is demum *beatus* dici mereatur, qui eorum terminum adtigerit; non, quod abſolute, & ſecundum vocis emphaſin, *beatus* ſit futurus, ſed quod, comparatione cum præcedente tempore inſtituta, feliciore in conditione futura ſit reſp. & Eccleſia. Titulum enim *beati* comparative, & pro ſubjecta materia, eſſe capiendum recte obſervavit *Launæus*; in quo nihil difficilis. Incipit

 itaque

itaque terminus a quo, ubi dies 1290 deſinunt; ſeu a morte Antiochi, cum aliqua tamen latitudine, ab ea morte nota facta, & cum lætiore Judæorum ſtatu inde orto conjuncta: adeoque a medio anni Aer. Sel. 149. quando, Antiocho mortuo, & ſtatu regni Syriaci perturbato, Judæis multum reſpirare & res ſuas firmare licuit. Terminus *ad quem*, ex mea opinione, non eſt, ut Jungman. vult, finis anni Aer. Sel. 152, quo Judæi ultima clade per Bacchidem, occiſo etiam Juda Maccab., adfecti ſunt; ſed a. Aer. Sel. 153. Menſ., 2. quo Alcimus, ultimus Pontifex ex impiis Judæorum, mortuus eſt, & terra per *biennium* quievit a bello. 1 Macc. IX: 54--57. Ab hoc enim tempore nihil mali, quod ſtatui reip. & Eccleſiæ multum nocuit, paſſi ſunt. Bacchides quidem poſt *biennium* illud pacis aliam ſuscepit expeditionem in Judæos, ſed eo eventu, ut, clade a Jonathane adfectus, in ipſos eos, qui eum ad id incitaverant, iram effuderit, & pacem cum Judæis fecerit, quando *gladius ceſſavit in Iſraële* 1 Macc. IX: 73. Intermedio autem illo tempore, inter duos hosce terminos interjecto, continuis cum malis & gravibus periculis luctati ſunt Judæi. Incidit enim in illud præter alia 1. obſidio Templi per Antiochum Eupatora a. 150. 1 Macc. VI. quæ, niſi mirabiliter fuiſſet abſtractus Eupator, finem impoſuiſſet reip. & ſacris: de quo ad cap. XI: 2. Expeditio Nicanoris, ducis Demetrii Soteris, quem profligavit Judas a. 151. 1 Macc. VII: 3. Impetus *Bacchidis* cum Alcimo, profani animi Pontifice, quo a. 152 res Judæorum ſummopere adflictæ ſunt, ipſo Juda Maccabæo in prælio occiſo: adeo *ut ſumma fuerit adflictio in Iſraële, qualis non fuerat, ex quo propheta eſſe deſiit in Iſraële* 1 Macc. IX: 27. vel, ut Joſ. Ant. XIII: 1. *poſt reditum ex Babylone*. 4. denique mors Alcimi, diſceſſus Bacchidis, a. 153 Menſ. 2., & inde ſecuta *quies biennii* 1 Macc. IX: 54-

§. XXXV. Hæc difficillima tempora, inprimis poſt mortem

tem Judæ, qui adverterit: is profecto, *beatos* jure merito adpellari, qui eorum finem adtigerint; facile perſpexerit. Quo facit, quod querela prophetæ, hæc tempora ſibi ob oculos ponentis, Jeſ. XXIV: 16. *macies mihi; macies mihi; væ mihi!* ad ipſum illud tempus reſpiciat, ut Cl. Commentator obſervavit. Sed aliud ad manus eſt, quo duplicem hanc epocham, *alteram* jugis ablati, dierum 1290 vſ. 11, *alteram* a morte Antiochi, dierum 1335, firmem. Utramque enim mihi detegere poſſe videor ex vſ. 7, cujus verba, huc facientia, ita habent: *& juravit per eum, qui æternum vivit, fore, ut hæc omnia impleantur, tempore temporibus & dimidio, & cum finem habebit excuſſio manus populi ſancti.* Quibus verbis duo diſtincta & diverſa ſignari intervalla autumaverim, alterum *per tempus, tempora et dimidium*, alterum verbis ſequentibus, *et cum finem habuerit excuſſio manus populi ſancti.* quorum prius diebus 1290 apte reſpondet, poſterius ad dies 1335 recte refertur. Quod enim hic in genere exprimitur, mox vſ. 11. & 12. diſtinctius explicatur. Præterca verba, *cum ceſſaverit excuſſio* &c. pro termino præcedentis numeri, *temporis, temporum* & *dimidii*, haberi nequit, ut volunt Interpretes, cum quod per ו *&* diviſa ſint membra, indicio, aliud per poſterius membrum ſignificari, tum quod, poſt 3 annos & dimidium eam *excuſſionem ceſſaſſe*, dici nequeat, ut ex modo dictis manifeſtum eſt. Eo utique tempore, quo, Juda mortuo, adflictiſſimæ fuerunt res Judæorum, dici plane non poterat, ceſſaſſe *manus populi* ſancti *excuſſionem;* cum tunc temporis ea quam maxime viguerit. Sed ſolida hujus *ceſſationis* fundamenta demum jacta ſunt ſub Jonathane, poſt mortem Alcimi, quando terra *biennio* quievit. De quo modo dixi. Quo etiam facit, quod Jonathan *populum collegiſſe*, ejusque *Pontifex* dicatur I Macc. XIV: 30. Imo, ſi Joſepho Hebraico aliquid tribuendum ſit, populus Judæus, *omni Jonathanis tempore, ſecure degit, quisque ſub vite et ficu ſua*, ut ipſe tradit l. IV. c. I.

Cete-

Ceterum phraſin *excuſſionis*, vel potius *concuſſionis* & *quaſſationis manus populi*, de potentia & viribus ejus conquaſſatis, vel excuſſis, ita ut cladibus adfectus vim ſe defendendi & tuendi amplius non habeat, intellcxerim. Quod non niſi poſt Alcimi mortem, & res, quæ per Judæ mortem erant concuſſæ, a Jonathane inſtauratas, ceſſavit. Eo enim tempore, quo Judas cecidit, actum videbatur de populo, & manus concuſſionem ac conquaſſationem ſenſit graviſſimam; ut modo obſervavi. Poſt illud tempus ſuperior & victrix ſemper fuit *manus* populi; nunquam amplius excuſſa, aut quaſſata. De poteſtate *excutiendi* & *quaſſandi*; quam verbum נפץ habet, vid. Cl. Schult. Orig. l. I. c. 3. qui tamen noſtrum locum aliter explicat. *Manum pro viribus* & *potentia* ſumi, tralatitium eſt. In primis huc quadrat, quod de populo Judæo Deut. XXXII: 35. dicitur, *manum* fuiſſe *contractam* & *abbreviatam*, ad virium defectum notandum: de quo egi in notis ad Cl. Vitringæ Comm. ad Canticum Moſis. Nec alienum eſt, quod Gen. XLIX: 24. de Joſepho habetur, *et brachia manuum ejus fuerunt agilia, expedita.* ſic enim verbum ויעזו vertendum eſt.

* * * *
* * *
* *
*

DISSER-

DISSERTATIO SEPTIMA

DE

REGNO QUINTO

EXPICTO

PER MONTEM, EX LAPIDE ORTUM, IN VISO NEBUCADNEZARIS,

ET

REGNUM FILII HOMINIS,

IN VISO DANIELIS

CAP. II: 34, 35 VII: 9--14.

§. I.

QUintum, & ultimum, Regnum duplici quoque emblemate repræſentatum eſt, *altero Montis*, terram replentis, ex Lapide, de rupe exciſo, & imaginem deturbante, orti, in viſo Nebucadnezari facto cap. II: 34, 35. *altero* Regni, Filio hominis a Judice ſupremo dati in omnes gentes, poſt ſententiam mortis in Foro Cœleſti in *Beſtiam* quartam latam, & executioni mandatam, in viſo

Danielis cap. VII: 9. &c. Nebucadnezar Statuæ, ex quatuor diverſi metalli partibus conflatæ, contemplandæ intentus, *lapidem* vidit de rupe, ſine ope humana, *exciſum*, qui, in Coloſſum, in valle juxta rupem, ut emblematis harmonia poſtulat, poſitum, ingente impetu impulſus, *pedes* partim *ferreos*, partim *argillaceos*, confregit, totiusque ſtatuæ comminuendæ occaſionem & cauſam præbuit. Quo facto, lapis *magnum* in *montem* excrevit, qui totam occupavit terram. Daniel vero poſt quatuor *beſtias* viſas, *conſeſſum judicialem* contemplatus eſt, ex ſupremo Judice, niveis veſtibus & laneo capillitio ornato, throno igneo inſidente, & ſatellitibus adſtantibus, compoſitum: *proceſſum* præterea judicialem fieri, & primum *quartam* beſtiam occidi & comburi, dein reliquas vita privari vidit. Quando *Filius* aliquis *Hominis* in ſcenam prodiit, qui, ad Judicem ſupremum accedens, ab Eo imperium in omnes gentes & linguas accepit.

§. II. Interpretes, qui in *quarta beſtia* Imperium Romanum cenſent depictum, *quintum* Regnum de Meſſiæ regno interpretantur omnes: ſed alii de regno primum *fundato* & erecto, tempore Meſſiæ nati, paſſi & exaltati; alii de eodem Regno conſummato in terra ſub finem ſeculorum; alii denique de regno cœleſti, poſt Judicium ultimum, cogitant. Qui vero de *quarto regno* fecerunt Alexandrinum, vel Seleucidarum ac Lagidarum; circa quintum regnum in partes quoque ſcinduntur. Communiter quidem Regnum Meſſiæ intelligunt, poſt illa Seleucidarum & Lagidarum deſtructa. Sed Ill. H. Grotius oculos in Romanum Imperium auſus eſt defigere; addito tamen, illud partim pro regni Chriſti typo eſſe habendum, partim Eccleſiam Chriſti in medio ſui complexurum. Rev. & eruditus Vir, Bekkerus, cujus judicium in verbo Prophetico nemo ſpreverit, primam ad Eccleſiam Maccabaicam; dein regnum Meſſiæ, ex ea oriturum, eamque perfecturum, transfert. Quæ poſtrema ſententia ſi paulum immutetur, emen-

emendetur, & prudenter explicetur, veriſſima deprehendetur: quod hac, & *ſequente*, Diſſertatione peragere propoſitum eſt.

§. III. Quod anteqnam adgrediar, regni *quinti* emblema non tam in *Lapide*, de monte delapſo, quam in *Monte*, ex eo orto, quærendum eſſe; vel, ſi quis malit, duplicem eſſe regni quinti *epocham*, duplicemque *conſpectum*, obſervari velim. Quod minus animadverſum ab Interpretibus haud unius erroris anſam præbuit; viam profecto ad Viſi intellectum plane obſtruxit. *Duplici* de epocha, altera priore, altera poſteriore, teſtatur cum Lapidis in Statuam impetus, quem deſtructio ejus excepit, antequam in *Montem* excrevit, tum Danielis interpretatio vſ. 44, qua, *temporibus horum regum*, בְּיוֹמֵיהוֹן, regnum æternum eſſe a Deo condendum, diſerte dicitur: quam præpoſitionem ne quis *poſt* verteret, licet verus ejus ſignificatus *præſens* tempus ſignet, mox additur, regnum hoc finem impoſiturum regnis, in Statua depictis. Inciperet itaque regnum *quintum*, ſtante regno *quarto*, ad cujus diviſa regna reſpicit relativum *eorum*, in phraſi, *temporibus regum illorum*, ut ex nexu liquet: ſed oſtenderet ſeſe demum in vera ſua forma poſt regna illa deſtructa; quando ex Lapide ſurgeret *Mons*. Quod luculenter ex altero *Viſo* confirmatur, in quo Filius hominis, non niſi poſt judicium in beſtias, repræſentatur *regnum* conſequi. Quod cum priore Viſo rectius conciliari nequit, quam ut duplex regni epocha admittatur: ſecundum quam unum idemque regnum partim tempore Regum regni quarti, ut cap. II: 44. expreſſe habetur, partim poſt illud loco motum, ut *montis* emblema, & Viſum cap. VII. poſtulat, erectum eſſe, intelligi poteſt.

§. IV. Duplici huic epochæ lumen & momentum haud exiguum addet *quinti* regni duplex *conſpectus*, ex quo, non tam *Lapidem*, quam *Montem*, ex eo natum, illius eſſe imaginem, pateſcet. Duplex enim conſpectus eſt, alter

militaris, alter *regius* & pacificus, *ille* per lapidem, *hic* per montem delineatus. Lapis in Statuam irruens, & eam ſubvertens, hoſtilem & bellicoſum in regnum quartum impetum clare ob oculos ponit; adeoque formam quinti regni *bellicoſam* exprimit. Cui *conſeſſus* & proceſſus judicialis, regnum quintum præcedens, cap. VII. plane reſpondet. Ex quo ſimul eluceſcit, militarem formam verius eſſe regni quinti *præparatoriam*, quam *eſſentialem*, *viam* ad regnum illud condendum potius, quam ipſum regnum. Quod etſi Lapidis & Montis imagines haud obſcure exhibeant; judicii tamen Divinitus pronunciati, & executioni mandati, illudque ſecuti regni Filio hominis dati, emblemata extra controverſiam ponunt. Regnum itaque *quintum*, ſi ad veram ejus naturam & formam reſpicias, non, niſi regnis reliquis deſtructis, erigeretur, adeoque per *Montem*, & non per *Lapidem* in priore, & per Regnum, Filio hominis datum, non per conſeſſum judicialem, in poſteriore viſo, fuit expictum. Attamen, cum regnorum aliorum deſtructio *partim* regni quinti erigendi cauſa fieret, & eo collinearet, in id etiam exiret, *partim* a populo, ex quo regnum quintum oriretur, perageretur, partim regni iſtius primordia tunc forent conſpicua; regnum quintum jam tunc initia habere dici poterat, quemadmodum c. 11: 44. *temporibus illorum regum excitabit Deus regnum cœli*, habetur.

§. V. Ad hæc qui animum adverterit, is nullo, ni fallor, negotio perſpexerit 1. *Lapidis*, in Statuam incidentis, & *proceſſus* judicialis emblemata ſibi reſpondere; quemadmodum *montis*, ex lapide deſtructorio orti, & *regni* Filio hominis, poſt judicium in beſtias dati, imagines ſecum comparandæ ſunt. 2. *Lapidem*, in Statuam irruentem & eam evertentem, non eſſe regni Meſſiæ, ſic proprie dicti, picturam, ſed *montem*, in quem excrevit, poſt deſtructum Coloſſum. Lapis ad Meſſiæ regnum, quatenus ex eo repetiit originem, tantum pertinet; ejusque, non niſi

niſi prioris epochæ, præparatoriæ & primordialis, reſpectu, picturam geſſit. Quemadmodum motus bellici ad regnum condendum ſuſcitati, non ſunt regnum ipſum, ſed regni præparationes, & primordia, eoque reſpectu ad *regnum* referuntur, & cum eo cohærent; ſic *lapis* militarem & bellicoſam regni formam exhibet, quæ Meſſiæ regnum proprie non conſtituit, ſed antecedit, producit, & variis modis cum eo connexa eſt.

§. VI. Quæ hypotheſis, ſicut ex dictis de *duplice* regni quinti *epocha* ſponte ſua ſeſe offert; ita *α.* ex comparatione cum viſo cap. VII., in quo *judicium* a regno eadem plane ratione diſtinguitur, egregie confirmatur *β.* ex ipſa regni Meſſiæ natura, ejusque deſcriptione in Verbo Prophetico, ingens acquirit momentum. Regnum enim Meſſiæ eſt a. regnum cœlorum, non hujus mundi, regnum pacis, & charitatis, non ad deſtructionem, ſed ſalutem hominum tendens. b. Quod regnis hujus mundi ſeſe non opponit, ſed, iis ſalvis, ſubſiſtit. Lapis itaque, qui Coloſſum evertit, ejus picturam præſtare nequit, niſi vel in fanaticorum deliria incidas, vel non propriam, ſed metaphoricam deſtructionem regnorum, reſpectu idololatriæ & vitiorum, ſive falſæ religionis, intellexeris: quod in ſuperioribus abunde refutavimus. *γ.* Addere liceat, hypotheſin de regno quarto, non Romano, ſed Alexandri & Succeſſorum, ſupra adſertam & illuſtratam, hoc omnino requirere. Cum enim regnum Meſſiæ non, niſi deſtructis regnis, ex Alexandrino ortis, locum adeptum ſit, uti conſtat; *Lapis*, ante eam deſtructionem exiſtens, de regno Meſſiæ intelligi nequit, niſi prioris epochæ, antecedentis & præparatoriæ regni Meſſiæ, habeatur ratio, cujus reſpectu regnum quintum *temporibus illorum regnorum* legitur *erectum*, cap. II: 44. de quo ſupra.

§. VII. Cujus itaque *regni* emblema gerere *lapidem*, cenſebimus? num Imperii Romani, an regni Maccabaici? alterutrum enim ſtatuatur, neceſſe eſt. Prius, quod

Ill. Grotio placuit, Summo Viro non fuiſſet indignum, ſi intra *lapidis*, & *judicialis* proceſſus, imaginem ſe continuiſſet, & *montis* ac Filii hominis emblemata ab eo ſeparaſſet, eaque ad regnum Meſſiæ directius adplicuiſſet. Regni enim, per *montem* & *filium* hominis repræſentati, characteres in Romanum imperium non quadrant; ſed ſoli Meſſiæ conveniunt. In quam hypotheſin, vix dubitaverim, quin Magnus Interpres pedibus iviſſet, modo, *lapidem* a *monte* diſtingui poſſe, ipſi in mentem veniſſet. Hoc enim non animadverſo, & *lapide* cum *monte* permixto; aliud vix ſuppetebat, ac quod ipſe cenſuit. Meſſiæ enim regno, quod, durante régno Alexandrino & Succeſſorum ejus, non eſt erectum, ut de regno quinto exſerte dicitur c. II: 44. locus alius vix eſſe poterit ſecundum illam hypotheſin, ac quem Grotius ei dedit, quo, regnum illud partim fuiſſe expictum, partim comprehenſum Imperio Romano, ſtatuitur. De Romano vero imperio anſam cogitandi Ipſi præbuit *Lapidis*, in ſtatuam irruentis, conſpectus militaris, cujus ope regna quarti imperii ſunt deſtructa: in quo tantopere non aberravit a vero; ut ſequentia patefacient. Nollem itaque tam immite a Viro quodam Docto de Grotiana hac hypotheſi prolatum judicium, quo Grotium pronunciat *voluiſſe ſuo more ludere, vaticinia de Chriſto evertere, ſuaque ſingularitate ſingularem quandam gloriolam captare.* Hoc ſi Grotius meruit, quid tum D. Paræo facies? qui, convenienter hypotheſi de Imperio Romano regno *quarto*, lapidem, de monte cadentem, & totam terram replentem, interpretatur de potentia Turcica: addit quidem, regnum æternum de Eccleſia intelligi, quam Deus eo tempore, quo lapis hoc facit, colligere non ceſſat: ſed & idem ſtatuit Grotius ad cap. VII. Præſtemus nos omnibus æquos, & refutemus errores, ſed in errantes *dura* verba ne proferamus. Principem in multis ſcientiis Virum rem in verbo Prophetico acu paſſim non tetigiſſe, equidem non dubitaverim:

verim: ſed illud data opera pervertiſſe, Meſſiam in eo noluiſſe detegere, nemini, quicunque fuerit, adcredam, niſi improbi, & a Chriſtiana religione alieni, Eum fuiſſe animi demonſtraverit. Quod qui præſtiterit, mihi alte infixum errorem exemerit. Utinam non eſſent alii, qui putidioribus commentis verbum Propheticum commacularunt! ſed hoc obiter.

§. VIII. In Grotiana hypotheſi illud non tantum vehementer diſplicet, quod regnum ex *lapide* ortum, & Filio hominis traditum, ad Romanum primo & directo ſenſu adplicuerit, de quo poſtea; ſed etiam, licet tolerabilius ſit, quod in *Lapidis* & *judicis* emblemate illud quæſiverit; non acſi Romanos in regnis illis deſtruendis, quo ea emblemata pertinent, excluſos velim, habuerunt enim præcipuas in eo partes: ſed quod exſtantiores *lapidis* charactéres in illis ſeſe non præbeant conſpiciendos. Quorum *primus* eſt imperii, per *lapidem* depicti, non *humanus*, ſed *divinus* ortus, non tam humanis viribus, quam divino auxilio adtribuendus. Quo lapis *ſine manibus* exciſus, & in Coloſſum devolutus, omnino reſpicit, & in quo hoc regnum ab aliis fuit diſtinctum. *Secundus* habet, regnum lapidis pro *primordiali* & *anticipato* regno Meſſiæ, ex eo oriundo, agnoſcendum eſſe: ita ut, quemadmodum ex Lapide Mons, ſic ex hoc regno illud Meſſiæ exortum cenſeri queat. Quæ criteria ab Imperio Romano aliena eſſe, nemo non, harum rerum non plane imperitus, videt.

§. IX. Oculos itaque ad populum Judæum, tempore Maccabæorum, vertamus, in quo characteres illi non modo conſpicui ſunt, ſed & utrumque emblema veritatem invenit. Cui Verbi Prophetici conſenſus, eadem ratione de Eccleſia Maccabaica loquentis, robur addit. Quod latius demonſtrare & explicare incipio. Offert ſeſe in priore Viſo 1 lapis, 2 de monte divinitus exciſus, 3 in pedes Statuæ impingens, & eos comminuens, 4. totius denique ſtatuæ ruinam ſecum trahens. 1 *Lapis*, cujus adtri-

adtributa ſunt, quæ hic in cenſum veniunt, quod *exigua* ſit molis, reſpectu Coloſſi, & *duritiem* ac *vim* retundendi *invincibilem* poſſideat, *Maccabæos*, eo nomine nemini non notiſſimos, repræſentat apte & uſitate. Fuerunt enim exiguo quidem numero, *parvus grex*, ſimul contemptus & informis *vermis Jacobi* Jeſ. XLI: 14, cum Syrorum exercitu hoſtili, aliiſque regnis vicinis, comparatione inſtituta: attamen incredibili virtute præditi, duri & frangi neſcii, per omnia perrumpentes, & quævis fortiſſima comminuentes: quod ex hiſtoria teſtatiſſimum eſt. Nec inſolitum eſt Maccabæorum emblema in verbo Prophetico; quod hypotheſi robur addit. Sic Zach. XII: 3. *Illo tempore*, (Maccabaico) *ponam Hieroſolymam lapidem ponderoſum omnibus populis, omnes, qui ſe eo onerant, lacerando lacerabuntur*, Egregie Jeſ. XLI: 14, 16. *ne metuas, vermis Jacobi, popelle Iſrael!* (ecce lapidem exiguum & vilem!) ----- *ecce pono Te tribulam acuminatam novam, inſtructam dentibus acutis; triturabis montes & comminues, & colles efficies tanquam glumam. Ventilabis eos, & ventus eos auferet* &c. Locum integrum deſcripſi; quia, alio licet ſub emblemate, eandem rem luculenter exhibet, & noſtram hppotheſin firmat, cum ad Eccleſiam Maccabaicam, & non Apoſtolicam, quod Cl. Commentator vult, omnino pertineat. De quo hic locus non eſt disputandi. Ejusdem temporis eſt prophetia Mich. IV: 13. *ſurge, tritura, filia Tſion!, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas æneas, & comminues populos multos.*

§. X. 2. Origo plane ſingularis, & divinitus facta, adtribuitur *Lapidi*, cum *exciſus* dicitur *ſine manibus*, id eſt non humano artificio, ſed divina ope: quem ſenſum phraſis, *ſine manibus*, ut voces vertendæ ſunt, quod Cl. de Dieu jam obſervavit, fundit. vid. 2 Cor. V: 1. Col. II: 11. Heb. IX: 11. coll. XI: 10. Non additur quidem, *unde* exciſus ſit lapis; quia res ipſa ad rupem, vel molem lapideam, lectorem ducebat. Sed, ne aliquid dubii ſupereſſet,

pereſſet, Daniel in expoſitione vſ. 45., *ex rupe* fuiſſe exciſum, expreſſe addidit. Vox Chald. טורא non in genere *montem*, ſed *rupem* ſignat, ex Hebr. צור, ut recte notavit Gejerus. Sic טלל ex צלל, טפר ex צפר, unde צפרן & alia. Gr. Interpres eam vocem vſ. 34. quoque inſeruit, ex *verſu* 45 ſine dubio ſumptam. Quod leviuſculum eſt; majoris utique, ſenſum emblematicum, in quo parum præſtiterunt Interpretes, in lucem protuliſſe. Equidem, ut brevis ſim, & aliorum expoſitiones ſuo loco relinquam, per *exciſionem* ex rupe, *ſine manibus* factam, non ſimpliciter divinum ex alto ortum intellexerim, quod imagini, & verbo *exciſionis* non ſatisfacit; ſed originem ex prima totius gentis Iſraëliticæ ſtirpe, divina virtute factam, eo ſcopo, ut progenitoris imaginem hæc progenies referret, ſeſeque origine ſua dignam præſtaret. Mentem clarius exponam. *Rupes*, unde exſcinditur lapis, ſtilo uſitato, ſiſtit progenitorem, ex cujus lumbis, non ſine ingente niſu, & vi aliqua, oriuntur filii, qui novam progeniem ex ſe edere, domumque ædificare apti ſunt. Quod ipſo nomine בן, a בנה *ædificare*, comprehenſum eſt; ſimul vicinitate vocum בן *filii* & אבן *lapidis* illuſtratur. De phraſi emblematica egregie conſtat ex Jeſ. LI: 1. *Intuemini in rupem, unde exciſi eſtis----intuemini in Abrahamum, Patrem veſtrum*, &c. Qui locus de Abrahamo, tanquam *rupe*, cogitandi anſam præbet commodiſſimam. Abrahamus ſicut aptiſſime cum *rupe*, duplice nomine, comparatur, *altero*, quo omnium Abrahamidarum Pater fuit, ex quo divinitus quaſi nata & *exciſa* eſt poſteritas, Iſaaco miraculoſe ex Patre *centenario*, *cujus jam erat emortuum corpus*, & *matre*, *cujus uterus erat effœtus*, Rom. IV: 19, nato; *altero*, quo virtute promiſſi, ipſi facti, & fide adſumpti, de ſemine carnali & Spirituali ex ipſo oriundo, *fons* & origo habetur omnium bonorum, quibus poſteritas mactaretur; ita ut *in ſemine ejus ſibi gentes quoque benedicerent*: ita Maccabæi cum *Lapide*, ex ea rupe exciſo, eleganter comparantur, ut ſignificetur 1 eos fore Abraha-

mi, cui data erant promiſſa, *Semen*, adeoque promiſſorum hæredes; 2 Semen *virile*, quo domus Abrahami denuo ædificaretur; quod utrumque nomine אבן involutum eſt, ut modo notavi. 3 Semen *divinitus* ſuscitatum, ope Divina, ſine *manibus hominum*, reſpectu virtutis heroïcæ, & operis, quod effecerunt. 4 Semen denique, in quo cum rupis *firmitas* & *ſublimitas* conſpiceretur, tum *rupes* de novo excreſceret. quod per *montem*, ex lapide ortum, indicatur, & in Meſſiæ regno impletum eſt: de quo poſtea. 5 Semen poſtremo, in quo promiſſum, Abrahæ factum, de regno Meſſiæ per orbem propagando, impleri inciperet. Quo etiam tendit locus Jeſ. LI: 1. ut recte obſervavit Cl. Commentator.

§. XI. Nihil habeo, quod addam, præter unum alterumve eximium in rem noſtram locum, de Juda & Maccabæis agentem. Prior occurrit Jeſ. LXV: 9. & *producam ex Jacobo Semen, & ex Juda poſſeſſorem montium meorum; & poſſidebunt illud jure hæreditario, & ſervi mei ibi habitabunt.* Alter eſt Pſ. LXXX: 16 & 18. priore verſu hæc occurrunt verba, ex noſtra verſione: *& ſurculum* (ita enim vox כנה a rad. כנן *obumbrare* vertenda eſt) vel *ramum obumbrantem*, (ſcilicet, *viſita*, ex vſ. præcedente,) *quem plantavit dextra Tua; quemque contra Filium* (ſcilicet *hominis* ex vſ. 18, puta Antiochum Epiphanem) *Tibi roboraſti;* cui reſpondet vſ. 18, ita reddendus: *ſit manus tua ſuper Viro dextræ tuæ, quem contra filium hominis tibi roboraſti.* Pericopa Pſ., a vſ. 15 ad fin., ut illud verbo obſervem, preces Eccleſiæ continet, quibus Deus ſupplicatur, ut *vitem*, ejusque præcipuum *Stolonem*, ſeu *ſtirpem*, a Deo ipſo plantatam & contra hoſtem corroboratam, *viſitet*, vitis purgamenta igni conſumat, & hoſtes increpatione perdat, Heröas, qui ſeſe Syro-Macedonibus opponebant, *filium dextræ Dei* dictos, protegat, & contra Antiochum, filium hominis dictum, firmet, & validos efficiat, ut populus Dei ipſis adhæreſcat

&

& vivificetur, Republica cum Religione inſtaurata. Maccabæi itaque, quos Pſalmiſta *ramum* vitis obumbrantem, *filium* dextræ Dei, quo populus ab hoſtibus vindicaretur, & Reſp. cum Eccleſia fundaretur, adpellat, hic *lapidis*, ex rupe divinitus exciſi, & Statuam confringentis, emblemate quam aptiſſime veniunt.

§. XII. 3 Impulſus *Lapidis* in pedes Coloſſi, quo pedes ſunt contriti, ex mente noſtra hoſtilem Maccabæorum impetum in regnum Syriacum ob oculos ponit, quo illius dominium partim in Judæos, partim in populos vicinos, fuit deſtructum, Judæorum vero Reſpublica fundata, & per gentium vicinarum ſubjugationem amplificata & confirmata fuit. Quod ut clariore luce donetur, *a.* notari velim, hoſtilem impetum per *lapidis* impulſum in ſtatuam repræſentari, qui ad ejus deſtructionem tendit. Quod ſponte ſua eluceſcit. Eo enim cum emblema, tum pleniſſima omnium partium ſtatuæ comminutio & diſſipatio, manifeſte collineat. *b.* Lapidem non niſi in pedes Coloſſi, nec in utroſque, & ab omni parte, verum in *unum* aliquod latus impegiſſe, pluſquam probabile eſt. *Pedum* ipſe textus mentionem facit; unum aliquod latus fuiſſe tactum, ſicut nihil habet abſurdi, ita rei ipſi & emblemati eſt convenientius. Textus quidem habet, lapidem *percuſſiſſe ſimulacrum in pedibus:* ſed illud de *uno* pedum, ſtilo ſatis uſitato, commode ſatis intelligi poteſt, maxime cum effectus fuerit utriusque pedis, & totius dein Statuæ, lapſus & confractio. Regula Grammatica ſatis nota eſt, *pluralem pro ſingulari poni, tam in Verbis, quam Nominibus, ut nullam deſignet eminentiam: ſed indefinite pluribus, vel omnibus tribui, quod eorum uni, vel aliquot convenit:* quemadmodum eam expreſſit, et multis exemplis firmavit Cl. Danzius in *ſinceritate Script. eluctante*, § 8. *c.* Denique, cum quartum regnum Alexandri Succeſſorum, per pedes & digitos depictum, admodum fuerit diviſum, in duo majora, Syriacum & Ægyptiacum, per

pedes & digitos majores figurata, & in *decem* in univerſum, quorum *digiti* ſunt emblemata, de quo ſupra ſuo loco egi: unum illud latus, quod *lapis* feriit, quodnam fuerit, aliunde, partim ex ſequentibus Viſis, partim ex Hiſtoria petendum eſt. Viſum vero de Beſtiis, quartam feram ea in parte, quæ *parvum cornu*, grandia loquens, prætulit, fuiſſe *judicatam* omnium primo, edocet cap. VII: 11. Quæ cum ad Regnum Syriacum pertineat, ut ſuo loco demonſtravi, in illud regnum irruiſſe lapidem, ſtatuendum eſt. Pertinet itaque Lapidis in pedes Coloſſi impetus ad hoſtiles Maccabæorum oppugnationes, quibus regni Syriaci dominium in Judæos, & populos vicinos, Philiſtæos, Idumæos, Arabes, Damaſcenos, Moabitas, aliosque, deſtruxerunt, populumque Judæum in libertatem vindicarunt, vicinis etiam gentibus ſubjectis. De quo ex Hiſtoria ſatis conſtat.

§. XIII. Nec deſunt ſimiles prophetiæ de Maccabæis, quarum aliquas ſupra § IX citavi, quibus Maccabæi cum *lapide ponderoſo*, cum *tribula*, cum *pede corneo* & *ungulis ferreis*, ad triturandum aptis, comparantur. Poſſem plures proferre, ſi res dubia eſſet: vid. Zach. IX: 13 &c. X, XII. Mich. V: 4, 7. & alibi ſæpe. Emblema *lapidis*, in alios incidentis, pro intrepidis & invincibilibus deſtructoribus, nihil habet, ad quod quis obhæreſcat. Proferam itaque unum tantum ex Herod. l. V. p. 319. edit. Gronov. locum, a ſcopo non alienum, quo Eetioni Corinthio ex Labda uxore promittit Oraculum Filium, quem ὀλόιτροχον Saxum molare, *totum rotundum* adpellat, & de eo vaticinatur in hæc verba,

——————— ἐν δὲ πεσεῖται
Ανδράσι μουνάρχοισί δικαιώσει δὲ Κόρινθον

——————— *quod cadet*
In viros Monarchas, & vindicabit, vel animadvertet, *Corinthum*.

Nec

Nec multum abhorret ſomnium Midianitæ de *pane bordeaceo*, *tentorium evertente*, emblemate Gideonis, tentoria eorum deſtructuri, Jud. VII: 13.

§. XIV. 4. Atenim, cum Lapidis in pedes Statuæ impulſus non partis tantum regni Syriaci deſtructionem, ſed totius, nec illius ſolum, ſed omnium regnorum ex Alexandrino ortorum, imo aliquorum etiam antecedentium, quotquot per Coloſſum fuerunt depicta, ruinam ſecum traxerit, adeo ut pleniſſima totius Statuæ ſecuta fuerit diſſipatio; quemadmodum vſ. 35 & 44. clare dicitur: illud qua ratione intelligendum ſit, operæ pretium fuerit explicuiſſe. Quo fini a. obſervari velim, regna antecedentia, Babylonicum, Medicum & Perſicum, in Alexandrino deſtructo ſimul fatum cenſeri inveniſſe, 1. quia Regnorum ejusmodi, per Orientem dominantium, qualia per varias Statuæ partes ſunt delineata, ſucceſſio in ultimo illo regno everſo *finem* accepit. Hucusque Monarchicum aliquod fuerat in Oriente Imperium, aliud ex alio natum, & antecedens in conſequente conſpicuum, ita ut in *quarto* denique omnia ſuperiora ſe oſtentaverint, & cum eo abolita ſint. Regnum Babylonicum, a quo ſucceſſio regnorum in Statua repetitur, *primo* fuit penes Chaldæos, dein Medos, tunc Perſas, denique Macedonas, quando in varia regna diviſum, & tandem totum diſſipatum eſt; nullo ſimili regno, ante regnum quintum propria ſua forma erectum, in Oriente conſpicuo. Deſtructa itaque tum demum exiſtimari poteſt Statua, Nebucadnezari oblata. In quo nihil eſt, quod offendit.

§. XV. 2. Accedit, omnium illorum regnorum, antecedentium æque ac Macedonici, eandem fuiſſe deſtructionis *cauſam*, *finem* eundem, ſi ad veram Eccleſiam, ſeu regnum Dei, primum Judaicum, dein Chriſtianum, relate, res ſpectetur; ut hic, ubi a *lapidis* impulſu effectus ille derivatur, & alibi in Verbo Prophetico obtinet. Sicut enim regnum Macedonicum prolapſum & loco mo-

tum eſt, ut Regnum Dei, primum inter Judæos, dein Chriſtianos, conderetur; ita reliqua regna præcedentia eidem *cauſæ* & *fini* interitum ſuum acceptum tuliſſe cenſentur, quantum ad eorum relationem ad Eccleſiam Dei adtinet. *Babylonicum* itaque peſſum ivit, quia populum Dei captivum & exulem retinebat, *Medicum*, quia malo huic non medebatur, ſed eodem in propoſito perſeverabat, *Perſicum* denique, quod, exulibus licet reſtitutis & Sacris, libertati & perfectæ inſtaurationi populi Dei obicem poneret. Quo directe collineat emblema *montis coram Zerubbabele complanandi*, Zach. IV: 7. quod ad reliqua illa regna quoque adplicari poteſt. Præterea in *judiciis* Divinis, quibus regna vicina, quibuscum Eccleſiæ Judaïcæ aliquid fuit negotii, ſunt adflicta, *reſpectum* fuiſſe populi Dei, partim ut Majeſtas Jehovæ, Supremi Numinis, vindicaretur, & celebraretur, partim, ut de hoſtilibus illorum invaſionibus & inſectationibus ultio ſumeretur; ex Verbo Prophetico teſtatiſſimum eſt. Quo etiam ſenſu *terra Judæ* dicitur *Ægyptiis futura commotioni* Jeſ. XIX: 17. & Hieroſolyma *pelvis quaſſationis omnibus populis circum.* Zach. XII: 2. Denique regnorum illorum, ordine ſibi ſuccedentium, peculiaris fuit ad regnum Dei, in Meſſia erigendum, tanquam ad *terminum* ſuum, relatio; adeo ut pro ſignis temporum Meſſiæ, non, niſi finitis illis regnis, adparituri, haberi ſoleat apud Prophetas. Vid. Jeſ. XI. Zach. II, VI, X. Hagg. II: 22. & alibi. Hæc ſimul ſumpta, & ad animum revocata, regna illa omnia per *lapidis* impulſum recte dici aboleri, in obſcuro non eſt.

§. XVI. β. Nondum tamen omnem eluctati ſumus difficultatem. Cum enim Lapis Maccabaicus *unum* tantum pedum *latus* pulſaverit, &, in regnum Syriacum irruens, partem dominii ſolum deſtruxerit, totalem cum ejus, tum reliquorum regnorum, ex Alexandrino ortorum, ruinam qua ratione produxerit, accuratius mihi explicandum eſſe ſentio; ne quid ſcrupuli relinquam.

Quod

Quod ut ordine fiat. *a*. ante omnia obſervari velim, *Lapidi*, tanquam cauſæ efficienti, omnia hæc effecta non eſſe, vi hujus emblematis, adtribuenda, acſi totum Coloſſum ſolo impetu ſuo evertiſſet, omnibus aliis mediis & cauſis efficientibus excluſis. Nulla alia media expreſſe memorari, ſi quis excipiat, eum ad animum referre jubeo, 1. alia quoque non negari media; adeoque illud Providentiæ Divinæ & eventui eſſe relictum. 2. Alterum viſum, cap. VII., quo a Tribunali & judicio Divino hæc repetuntur effecta, quævis alia juſtitiæ & vindictæ Divinæ inſtrumenta complecti. 3. In ipſo hoc viſo Lapidis expreſſe memorari *ventum*, qui Statuam diſſipavit, vſ. 35. Idem vero ille *ventus*, qui Statuam in *pulverem* redactam, vel *glumæ* ſimilem factam, quaquaverſum diſperſit, ipſam Statuam, lapidis impulſu quaſſatam, dejeciſſe & comminuiſſe, haud improbabiliter conjicitur. Ventus vero graviorum motuum, in commoda Eccleſiæ a *Spiritu* Dei, Rectoris & Judicis Supremi, ſuſcitatorum, qui Statuam, vel regna, deturbarunt, ſolet eſſe Imago. Jeſ. XI: 15. Zach. IV: 6, 7. & alibi. Quod ex altero viſo, modo prolato, confirmatur. 4. Non deficere denique ſimilia vaticinia, quibus *Maccabæi* & Gentiles in hoc effecto præſtando conjunguntur. Quorum unum, ſed luculentum, citaſſe ſuffecerit ex Mich. V: 4. *Hic erit pax: Aſſur quum ingreſſus fuerit in terram noſtram, & calcaverit palatia noſtra; ſuſcitabimus in Ipſum ſeptem Paſtores*, & *octo duces hominis*, &c. Per *paſtores* intellige *Maccabæos*, in quos ille titulus recte quadrat, & per *duces hominis* ductores & rectores gentium, in ſpecie *Romanos*, qui terras Syrorum, qui & hic & alibi *Aſſyrii* adpellantur, depopulati ſunt, & ſubegerunt. Vox אדם *Adam* nonnunquam opponitur Iſraëli, & *Gentiles* denotat, 2 Chron. VI: 29. Jer. XXXII: 20. Pſ. LXXVIII: 60. CXXIV: 2, forte etiam Hoſ. VI: 7.; modo verba ſeorſim capiantur, & vertantur: & *illi ſicut Adam*, ſc. ſunt, h. e. haud abſimiles *gentilibus*, nullo

mecum

mecum fœdere conjunctis. De quo, & loco Michæ, alias.

§. XVII. b. Hoc præmiſſo, *rationes* mihi ſunt dandæ, quare, cum *lapis* non fuerit cauſa efficiens totalis illorum regnorum deſtructionis, ei tamen hic effectus in ſpecie adtribuatur? Qua um 1. *primam* ex eo peto, quod *lapidis* impetus initium fecerit, claſſicum quaſi cecinerit, epocham fixerit, ſignum denique fuerit, notabilis hujus eventus. Ex quo enim Maccabæi ſeſe opponere Syro-Macedonibus, eorumque Imperium in Judæos & vicinos populos conterere, cœperunt, & illud regnum, & alia per Aſiam & Ægyptum ad interitum vergere inceperunt, viaque ad Monarchiam Romanam maxime eſt ſtrata. Macedonico regno deſtructo, quod circa tempora Antiochi Epiphanis factum eſt, *Imperium orbis terrarum penes populum Romanum ſine controverſia ſtare videbatur;* ut eſt in Excerpt. Polyb. Vales. p. 153. Romani vero, non niſi Carthagine devicta, manus in reliquas orbis partes auſi ſunt porrigere, & cum in Græciam tum in Aſiaticas regiones exercitus transmittere, ut Polyb. l. 1. c. 3. tradit. Debellato autem regno Macedonico *ſumma rerum ad Romanos inclinabat*, Eodem teſte in Excerpt. legat. c. 94. p. 1284. Seneca apud Lactant. Inſtit. l. VII: c. 15. a bello Punico ſecundo finito hanc epocham repetit, ubi dicit: *ſublata enim Carthagine, quæ tam diu æmula Romani Imperii fuit, manus ſuas in totum orbem terra marique porrexit.* Primum vero Regnum, quod evanuit, fuit *Macedonicum*, tempore Antiochi Epiphanis a Romanis ſubactum; quod alia Orientis regna deinde ſunt ordine ſuo ſecuta: ex. gr. Bactrianum, tempore Simonis Ethnarchæ, ceſſit Parthis; Pergamenum Romanis ſub Joh. Hyrcano; Bithyniæ regnum ſub Pompejo; quando & Ponticum fractum eſt, Provincia ſub Nerone facta. Cappadociæ regnum prolapſum eſt ſub Antonio, Provincia ſub Tiberio factum. Seleucidarum vero ab hoc tempore concuſſum, mutisque inte-

inteſtinis motibus poſt Antiochum Epiphanem conquaſſatum, denique anno 65 ante Aer. Vulg. deletum eſt. Lagidarum imperium non ſuis viribus, ſed Romanorum potente amicitia & tutela ſeſe tueri debuit, donec ſub Auguſto fuerit in Provinciæ formam redactum annis 30 ante ær. Vulg. Quæ ſpeciminis ergo ſufficiant.

§. XVIIII. 2. Secunda ratio mihi ex cauſa *movente* & *occaſionali* deſtructionis regni Syriaci, quæ reliquorum regnorum excidii quoque anſam præbuit, per Romanos, ſubnaſcitur, quippe quæ, ſi non Romanos, utique Deum, Supremum fatorum mundi Arbitrum, movit ad Romanos ſuſcitandos, tanquam Judiciorum ſuorum executores, partim ut vindicta ſumeretur, partim ut regno Maccabaico, in medio populi ſui condendo, occaſio præberetur; quod dominantibus illis regnis vix fieri poterat. Impetus itaque *lapidis* Maccabaici in pedum Coloſſi unum aliquod latus, regnum ſcilicet Syriacum, cauſam & occaſionem præbuit Romanorum invaſionibus in illud regnum, & ſimul in reliqua, eo, quo dixi, ſenſu. Quo facit, quod Mich. v: 7. duces *hominis*, ſeu gentium, ab Eccleſia dicantur *ſuſcitati*, æque ac *Paſtores*, ſeu Maccabæi, in Aſſyrios, terram populi Dei invadentes. Iſraëlitæ id feciſſe dicuntur, quatenus ad eorum *preces*, & eorum cauſa ad eorum commoda, id, Deo dirigente, factum eſt. Quo haud abſimili ſenſu *Aſſyrii*, ſeu Senacheribi, *jugum* dicitur *corruptum propter oleum*, id eſt, *Sanctos*, eorumque *preces* Jeſ. x: 27. Nec multum abhorret, quod Jeſ. LIX: 19. de iisdem Epiphanicis & Maccabaicis temporibus, ut equidem opinor, habetur: *quando venerit hoſtis, tanquam fluvius, Spiritus Jehovæ adverſus illum eriget vexillum;* id eſt, vindices populi ſui ſuſcitabit & potenter inſtruet, ſimul ſceleratos, & gravium criminum reos, puniet: ſicut vſ. 18. dictum erat: *Secundum ſumme merita rependet, æſtum adverſariis ſuis, retributionem rependet.* Quo tempore Maccabæi divinitus ſunt excitati,

& cauſam populi adflicti fortiter agere cœperunt, Deus, ſcelerum vindex, permotus quoque fuit ad judicia ſua in regna illa, in primis Syriacum & Ægyptiacum, exequenda. Quemadmodum Jeſ. XXIV--XXVII. luculenter declaratur, & Dan. VII. ſub emblemate *conſeſſus* judicialis vivis coloribus depingitur: de quo mox Lapide itaque Maccabaico in Statuam impulſo, ſimul *Ventus* fuit ſuſcitatus, id eſt, motus varii bellici a Spiritu Dei vindicis concitati ſunt, quibus tota Statua eſt deturbata & diſſipata. Lapis vero, uſitato ſatis loquendi genere, *feciſſe* dicitur, quod ejus *occaſione* & *cauſa* factum eſt. Quæ Grammatices regula ſatis nota, & ab aliis illuſtrata eſt.

§. XIX. Romanos ab ipſis quoque Maccabæis aliqua ratione dici poſſe ſuſcitatos, partim, quod regnum Syriacum adtriverint, & Romanis, in omnes occaſiones regna Orientis ſubigendi jam hoc tempore intentis, anſam præbuerint ſeſe fortius illis rebus immiſcendi, partim, quod amicitia & Societate cum Romanis inita, illi permoti fuerint, ad Judæis multis modis ſuccurrendum, indeque anſam adripuerint regnum Syriacum, & cum eo alia, invadendi, neſcio an modo dictis addere liceat. Docet utique hiſtoria, Judam Maccabæum, ſolenni miſſa legatione, *amicitiam* & *ſocietatem* Romanorum quæſiviſſe, & conſecutum eſſe, legatis non tantum honorifice exceptis, ſed & Haſidæis vel in publicis monumentis, nomine *amicorum* & *Sociorum* honoratis, I Macc. VIII: 17. Quod exemplum ſecuti Succeſſores Judæ eandem Societatem ſemper renovarunt, & confirmarunt, ut de *Jonathane* I Macc. XII & Simone Ethnarcha, I Macc. XIV. traditur. Verum quidem eſt, de Romanorum ſubſidio, quo Maccabæi gaviſi ſint, nos nihil in Hiſtoria legere, contra adfirmare Jonathanem, in epiſtola ad Spartiatas I Macc. XII., Maccabæos, auxilio Dei fretos, noluiſſe *amicis* & *Sociis* in bellis iſtis *moleſtos* eſſe: attamen, quin Romani ea quoque occaſione uſi fuerint ad Syros ſubigendos,

dos, vix dubitaverim. *Socios* enim tuendi prætextu multas gentes ſub jugum misſiſſe, ex hiſtoria conſtat. Judam legatos eo ſcopo Romam miſiſſe, ut cum *Societas iniretur* cum Romanis, tum *jugum* Græcorum auferretur eorum ope, tradit hiſtoria 1 Macc. VIII. 18. Scripſerunt etiam Romani ad Demetrium, niſi Judæos, ſocios & amicos, oppugnare ceſſet, ſe *mari & terra cum ipſo bellum geſſuros*, ibid. vſ. 32.

§. XX. 3. Quod modo de *cauſa movente* deſtructionis regnorum, a *lapide* repetenda, dixi, novum lumen & pondus ex *lapidis* ad *montem*, inde oriundum, relatione acquirit. *Lapis* enim eo ſcopo in Coloſſum fuit immiſſus, ut, eo diruto, in *montem* excreſceret. Quod itaque ei fini inſervit, ſine quo *mons* ex lapide naſci nequit, quod lapis, cum ut finem adſequatur, requirit: illud *lapidis* cauſa fieri cenſetur, & illud ipſum, ſecundum modo memoratam regulam, *facere* dicitur. Imago, quæ *monti* cedere debet, ruinam ſuam recte dicitur *lapidi*, in eam impulſo, debere, qui *montem* ex ſe produceret. Mons vero cum regni Meſſiæ, in medio populi Judæi erigendi, emblema gerat: quicquid regno Meſſiæ condendo obeſt, aut ſecundum conſilii Dei rationes, & viarum ejus nexum & ordinem, ante loco movendum eſt, quam Regnum illud in lucem prodeat; id omne jure meritiſſimo *lapidis* impulſui acceptum fertur. Regna vero Orientis duplice nomine è medio hunc in finem tollenda erant, cum quia ſecundum conſiliorum Dei ordinem, in Verbo Prophetico obvium, illud præcedere, & ſigna temporum Meſſiæ, ex quibus Meſſiam ante fores eſſe dignoſci poterat, præbere debebat, tum quod regni Meſſiæ curſus, & propagatio per orbem, collium & montium illorum, ſive regnorum illorum diviſorum, complanationem, & in unum regimen redactorum formam, poſtulabat. vid. Oroſ. VI: 1. Quæ ex Prophetiis ſunt teſtatiſſima, ſed hic latius non exſequenda. vid. Jeſ. XI: 15, 16. XXVII: 12, 13. XL: 4. LIX: 18. &c. Mich. V. Hagg. II: 22. Zach. VI, IX, X, 11.,

& alibi. Quo etiam prophetiæ pertinent, quæ judicium Dei in gentes præmittunt regno Meſſiæ, ut Joël. IV, Zach. XIV, Mal. III: 19, 20.

§. XXI. Dictis copioſum lumen infundit comparatio cum *conſeſſu* & *proceſſu Judiciali;* quæ duo viſa ſibi reſpondent. Sicut enim 1. Lapis Statuam deſtruxit, 2. antequam in montem excrevit, 3. Montem mox produxit: ita quatuor Beſtiæ per Judicium, ſolenniter habitum, ſunt ante occiſæ, quam regnum Filio hominis traditum eſt; quod tamen mox ſecutum eſt. Cum vero eadem regna per Coloſſum & *beſtias* fuerint depicta, ut *Diſſertationes* noſtræ comprobarunt; eorundem deſtructionem utroque in viſo per emblemata *lapidis* & *tribunalis* repræſentari, quis eſt qui dubitaverit? meretur & eo nomine Tribunal Divinum accuratiorem contemplationem, quod nonnulla deſtructionis regnorum adtributa peculiaria edoceat. Occurrit vero in hac pericopa cap. VII: 9. 1. Seſſus Supremi Judicis pro Tribunali, his verbis. *Adtente contemplatus ſum, donec throni fuerint poſiti, & permanens dierum ſederit.* Animadverſione dignus eſt titulus, quo Judex hic ornatur, עתיק *permanentis dierum;* ut rectius, quam *antiqui dierum*, vertitur. Verbum enim durabilem & firmum, ſimul florentem & abundantis copiæ ſtatum perennem exprimit. Job. XXI: 7. Quo titulo Deus propter æternitatem, & perennem beatitatem inſignitur; oppoſite ad fluxa & vana hujus mundi, quorum continua eſt viciſſitudo, quam regna, hic memorata, etiam experirentur. Adeo ut idem ſit, ac quod Pſ. CII: 17. dicitur. *Illa* (cœlum & terra) *interibunt, at Tu ſtabis, & Tu idem, anni Tui non finiuntur.* Sit ne Deus, quem adpellat Script. *Patrem*, an Filius? disputatur. Patrem intelligi, equidem nullus dubitaverim, non quod tanquam *Senex* deſcribatur, cujus nullum eſt in textu fundamentum, nec in titulo *antiqui dierum*, ut minus recte vertitur, potius, *permanentis*, de quo dixi, nec in *capillitii albedine*, de qua

qua mox: ſed quod *a.* a *Filio* hominis diſtinguatur, quem non Eccleſiam, ſed Filium Dei eſſe, ſuo loco demonſtrabo. *b.* quod *judicium*, de quo hic agitur, ante tempora Meſſiæ manifeſtati ſit habendum, & executioni mandandum: ut ſequentia evincent.

§. XXII. Habet etiam phraſis, *throni poſiti*, aliquid, quod expediri meretur. Sunt, qui ad uſum verbi רמא, quo *violentam* deturbationem denotat, adtendentes, de thronis beſtiarum dejectis, ſolius Dei ſede obtinente, cogitant. Sed *a.* verbum apud Chald. eo non ſemper teritur ſignificatu; præfert enim eum *ponendi* aliquando, ut Ezr. VII: 24, & apud Paraphr. Chald. Jer. I: 15, ubi pro Hebr. נתן occurrit in eadem, *ponendi thronum*, phraſi. Præterea, cum *jaciendi*, & *jaculandi*, propria ſit poteſtas; *throni* recte & emphatice dicuntur *jacti*, quatenus *ſubito*, & cum ſuperiore aliqua vi, cui reſiſti non poteſt, in terram quaſi conjecti ſunt, ad certum ſcopum, ut judicium aliquod tremendum inſtituatur, inſtar fulguris: fuerunt enim toti *ignei.* *b.* Voces, *donec poſiti ſint throni*, & *permanens dierum ſederit*, arctiore nexu cohærent, quam ut poſitio thronorum ad alios, quam *judicis Seſſionem*, trahi queat. *c.* Denique non dicitur, *throni beſtiarum*, ſed *throni;* nec *beſtiæ*, thronis inſidentes, hic in ſcenam prodierunt.

§. XXIII. Sed quid ſibi plur. num. in phraſi, *poſiti ſunt throni*, vult? Vulgo hinc *adſeſſores*, cum Judice ſedentes, extunduntur, ſive *Angeli*, ſive *Sancti*, ſive *Prophetæ* potius & *martyres*, fuerint; pro diverſa Interpretum opinione. Quæ mihi minus ſolida videtur ratiocinatio, cum nulla *adſeſſorum* fiat mentio; nullum, ex quo id colligas, in textu indicium. Quod enim ex phraſi, verſ. 10. *& judicium ſedit*, illud cogant, æque temere fieri mox pateſcet. Nec ad id ſufficit comparatio cum viſo Joh. in Ap. V. & ſimilibus; quia viſa ſibi non reſpondent. Quid itaque *throni?* vel, ſi plures adfuerint, ad pompam & majeſtatem, ſine adſeſſoribus, ad ſcenam ornandam, & magni-

nificentiam tribunalis inſtruendam, vel, ſi *unum* tantum thronum velis, num. plur. erit pro ſingulari, ſive cum emphaſi, ut excellentiſſimus & tremendus thronus intelligatur, ſive ſine ea. utroque enim modo plur. pro ſing. uſurpatur in Script., quod nemini non ex Glaſſio, Buxtorf. & Danzio, notiſſimum eſt, & apud exoticos. Vid., præter alios, Reines. ep. 27. p. 120. Poſſet de ampliſſimo & latiſſimo throno, qui multas capit ſedes, quales Regum fuerunt in Oriente, ex. gr. Salomonis 1 Reg. 11: 19. cogitari; de quo æque plur. ac ſing. numerus adhiberi poteſt.

§. XXIV. 2. Judicis habitus, ex quo de Ejus & judicii qualitatibus judicandum foret, hic deſcribitur, reſpectu *veſtium* & *capillitii*, illarum *niveæ*, hujus *laneæ* albedinis, id eſt, *puriſſimæ*, & *fulgidæ*. Habet enim *nivea* albedo id peculiare, quod *ſplendeſcat*, & fulgorem emittat: quare divini & cœleſtis ſplendoris imaginem exhibet. Vid. Matth. XVII: 2. XXVIII: 3. & ad priorem locum Ill. Grotius. Sic & λευκὸν proprie dicit τὸ λαμπρὸν, *eximie ſplendens*. Vid. Salmas. ad Solin. p. 161 & Ez. Spanhem. ad Julian. Cæſ. p. 16. Capillitium itaque *laneum* non eſt ſenis, qui canos habet capillos, ſed ſplendidum & candidum, ut Ap. 1: 14; ubi Chriſti, qui ſub forma Filii hominis adparuit, *crines* dicuntur *albi inſtar lanæ albæ*, *inſtar nivis*. Colores itaque ducuntur cum Divini, tum puriſſimi judicii, a Judice, Divinæ Majeſtatis ſplendore circumfuſo, ſecundum æquisſimas & juſtisſimas leges, ſine adfectibus, ſine perſonarum acceptione, habendi. *Deus lux eſt*, *cui nullæ inſunt tenebræ;* judicia ejus exactisſime juſta & æqua, pura ab adfectibus.

§. XXV. 3. Thronus, quem Judex inſidebat, plane ſingularis fuit, totus tremendus, *rotis* inſtructus non tantum, inſtar ſellarum curulium Romanorum, ſed & totus *igneus*, ex quo *torrens* igneus inſuper erumpens longe lateque circumfluebat. Quæ *univerſalitatem*, ſimul *terribilita-*

litatem, judicii, in omnium oculos ingerunt. *Univerſalitatis* cogitationem ſuſcitant *rotæ*, quibus thronus quaquaverſum citiſſime moveri poteſt. De *terribilitate* teſtatur *ignis*, ſeveri admodum judicii, qui hoſtes inter multos cruciatus conſumit, emblema. vid. Jeſ. LXVI: 15. Pſ. XCVII: 3. & alibi. In quibus nihil eſt difficile.

§. XXVI. 4. Ad Majeſtatem judicis, & tribunalis reverentiam, quoque facit, quod miniſtrorum & adparitorum immenſus præſto fuerit numerus, quem phraſis, *millia millium & myriades myriadum*, in genere exprimit. Intelliguntur *millia* per *millia*, & *myriades* per *myriadas* multiplicatæ, & in ſe ductæ. Quo ipſo ad Angelos, hic intelligendos, ducimur. Vid. Deut. XXXIII: 2. Pſ. LXVIII: 18. Ap. VI. In quos quam apte verba, *miniſtrare*, & *ſtare coram ipſo*, quadrent, nemini non in promptu eſt. Occurrunt vero hic cum ad ſcenam ornandam, tum ad ſententiam judicialem exſequendam, tanquam miniſtri & adparitores. Quod ipſum, vſ. 22., hæc mihi ſignificare videntur verba: & *judicium datum eſt Sanctis excelſorum*, executioni nimirum dandum. Sancti excelſorum non ſunt homines, qui Eccleſiam Dei in terra conſtituunt, ut putatur, ſed *angeli;* cum quod a *Sanctis*, qui regnum capeſſerent, hoc ipſo *verſu*, & a *populo* Sanctorum, vſ. 27., diſtinguantur, tum quod illis *judicium*, & non *regnum*, legatur *datum*, quæ diverſa ſunt. Judicium fuit *Sanctis altiſſimorum* traditum, ſed regnum, quod ab eo diſtinguitur, *Sancti* adipiſcerentur. Eſſe quoque hunc Angelorum titulum in hoc Libro, in ſuperiore diſſert. obſervavi. His ubi *judicium* legitur *datum*, duplici ſenſu capi poteſt, vel ut *habeatur*, vel *efficiatur* ab illis. Sic *corpus beſtiæ* datum fuit *igni*, vſ. 11., ut conſumeretur. Quem poſteriorem ſenſum elegerim, cum quod judicium a *Permanente dierum* ſit habitum, tum quod Sancti excelſorum perſonam ſatellitum & adparitorum geſſerint. Poſſet quoque verti, & *judicium paratum eſt coram Sanctis excelſorum*, h. e.

h. e. inſtructum, & repræſentatum, illis præſentibus, & intuentibus, tanquam ad exſequendum paratis. Verbum יהב in origine habet adparatus ſignificationem, quæ ex uſu frequente voculæ excitantis, הב, cui Lat. *age* reſpondet, elucet. Hinc orta eſt poteſtas *ſiſtendi*, & præſto exhibendi, Deut. I: 13. Pſ. XXIX: I. & *adparatum* indicat Pſ. LV: 23. *conjice in Jehovam* יהבך *paratum tuum*; id quod paras, quod moliris. Litteram ל varie ſumi, etiam pro *coram*, notius eſt ex Noldio, aliiſque, quam ut demonſtrare neceſſe habeam. I Reg. XX: 38. & *ſtetit* למלך *coram rege* Jer. XXVI: 6. & alibi ſæpe. ל Itaque eſt pro לפני vel לעיני coram *facie*, vel *oculis*.

§. XXVII. 5. Denique ad *proceſſum judicialem* pertinent verba ultima vſ. 10. *Judicium ſedit*, & *libri aperti ſunt*. Phraſis, *judicium ſedit*, anſam de *adſeſſoribus* cogitandi præbuit Interpretibus, qui cum *Synedrio* Hebræorum comparant, & דינא pro בית דין; *domo judicii* ſumunt, ſine ulla ratione ſolida: nec enim ad *Synedrium*, diu poſt demum inter Judæos natum, reſpicitur, nec *judicium* de *domo judicii* explicare licet. Abſtractum ſi pro concreto, quod dicitur, hic occurrat, æque de *uno judice*, ac pluribus, intelligi poteſt. Sed, cum ſupra de *Judicis ſeſſione* jam dictum ſit, hic de ipſo judicii *actu* & *proceſſu* potius cogitaverim; quod cum voce *judicii* eſt conjunctius. Judicium vero *ſedere* dicitur, cum actu inſtituitur; & proceſſus agitur. Quando recte ſubjungitur, *& libri aperti ſunt*, partim actiones hominum, partim earum *normam* complexi; qui *aperiri* dicuntur, ubi examen actionum inſtituitur; ſimul illæ in publicam lucem proferuntur. In quo nihil eſt obſcuri. Quod ſi quem offendat phraſis, *judicium ſedit*; is, niſi nimium ſit ſcrupuloſus, pro יתב legat, hic & vſ. 26., יהב ex vſ. 22. vertatque, & *inſtructum*, *paratumque eſt judicium*, ex verbi יהב ſignificatione, modo illuſtrata. Quando cuncta prono alveo fluunt.

§. XXVIII. Tribunal Divinum, quod ſolenniter erectum

ctum vidit Daniel, in quo illuſtrando hactenus fuimus, quo tendat, quidve repræſentet? inquirendum & explicandum ſupereſt. Non deſunt, qui de *ultimo* & *univerſali* judicio hic perverſe omnino cogitant. Licet enim hanc veritatem ſimul, ſed occultius & remotius, inculcet, & ad illud digitum intendat, phraſibus ab eo etiam mutuatis, ſicut in reip. & Eccleſiæ inſtauratione ſub emblemate *reſuſcitationis mortuorum* Ezech. XXXVII. & Dan. XII. ſit: attamen non hic magis de univerſali *Judicio*, quam in locis citatis de Reſurrectione ultima, directe & vero ſuo ſcopo agi, mihi quidem, cum aliis Interpretibus, dubio carere videtur. 1. Quia *judicium* eſt de *regnis*, non de ſingulis hominibus, quod ſecus ſeſe in Judicio ultimo habiturum eſt. 2. In *quartam* beſtiam, quæ parvum cornu prætulit, regni *Syriaci* emblema, erectum eſt, & ad ejus deſtructionem tendit. 3. Regni Dei erectionem non in cœlo, ſed *terra*, de quo poſtea, antecedit. 4. Lapidi deſtructorio in priore viſo manifeſte reſpondet. 5. Denique Judex, non Filius, ſed Pater eſt, de quo ſupra.

§. XXIX. Sed, cum varia in hac terra habeantur Judicia Dei extraordinaria ad hoſtes Dei & improbos puniendos, & hoſtilia regna deſtruenda, quo referendum eſſe hoc judicium ex dictis patet; ad illud accuratius definiendum, obſervari velim, pertinere illud ad tempora Maccabaica, quibus partim inimica Eccleſiæ Dei regna, cum luculentis Majeſtatis & Juſtitiæ Dei ſignis, abolita, & res populi Dei inſtauratæ ſunt, partim via ad regnum Meſſiæ condendum ſtrata eſt. Quæ hypotheſis *a.* ex comparatione cum *lapide*, in Statuæ pedes impulſo, ſponte ſua ſeſe commendat. *b.* ex ipſo hocce viſo clare demonſtratur; modo ſolida ſit noſtra hypotheſis de regno Syriaco, per *parvum cornu* præfigurato: de quo ſuo loco egi. Illud enim *cornu* hoc judicium produxit, & per illud *punitum* ac deſtructum eſt, vſ. 11. *c.* Ex nexu cum regno Dei, inde orto, primum inter Judæos, dein Chriſtianos, ulterius

rius confirmatur; de quo poſtea. *d.* Denique ex ſimilibus Prophetiis illuſtratur: quarum aliquas citaſſe ſuffecerit, Jeſ. XXIV &c. XXXIII: 10-12. LIX: 17. &c. LXVI: 15. &c. Joël. IV: 12. Zach. IX: 14.

§. XXX. Hac hypotheſi jacta, emblematis intellectus & ſcopus non erit in difficili poſitus. 1 *Primo* enim, Deum, impios puniendo, & pios vindicando, ſe mundi juſtum & æquum demonſtrare *Judicem*, in genere ob oculos ponit. Etſi enim eam nunquam exuat perſonam, dum tamen impios, & innocentium ac proborum injuſtas vexationes ac oppreſſiones, graſſari ſinit, nullo oſtendit indicio, ſe juſtum eſſe ſcelerum vindicem, nec perſonam ſuam publice agit. Quod cum facit, *tribunal* cenſetur erigere, & judicium exercere Pſ. IX: 8. &c. X: 12. & ſæpe in Pſalmis, ac apud Prophetas. 2. Clarius & majore emphaſi ſe talem exhibet, & in omnium oculos ingerit, quum hoſtes populi ſui punit, & Eccleſiam ab eorum oppreſſionibus vindicat, inter ſingularia & extraordinaria Majeſtatis & juſtitiæ ſuæ ſigna & effecta; ſive ſint fulmina & fulgura ac tonitrua, ſive gravia & inſolita judicia, quæ hoſtes feriunt, ſive mirabili prorſus, & omni ſpe majore, modo Eccleſiam liberet, & ejus cauſam agat. Cujus plurima exſtant in hiſtoria Iſraëlitica exempla, ubique obvia, ſingulare in primis tempore Hiskiæ, de quo Jeſ. XXIX: 5, 6. & alibi. De temporibus Maccabaicis ſimilia vaticinatus eſt Jeſ. XXXII: 5, 10. Joël. IV, Zach. IX: 14. & ſæpe teſtatur quoque hiſtoria Maccabaica. Quæ, ſi forte in externis adparitionum cœleſtium & fulgurum, aliorumque phœnomenon, ſignis, quæ 2 Maccab. X: 30, XI: 22, XIV: 17. memorat, plenam fidem non producat, quod ſuo loco relinquo, multiplicia tamen præſentiæ Dei indicia, de quibus nulla ſupereſt dubitandi ratio, exhibet, partim in ſtupenda & incredibili fere virtute heroïca, ac intrepiditate, quam Maccabæi præſtiterunt, partim in facinoribus inauditis, quæ in hoſtes potentiſſimos ediderunt,

runt, partim in panico ſæpe terrore hoſtibus incuſſo, quo vel ad *nomen Maccabæi* trepidi aufugerunt, partim in velocitate & robore invincibili, partim in mirabili rerum inſtauratione, & ſcenæ mutatione prorſus ſingulari, qua res deſperatæ & profligatæ ad ſummum gloriæ, potentiæ & proſperitatis, culmen ſunt brevi tempore eductæ. Quæ omnia Zach. IX: 13, 14. his verbis vividis coloribus depinguntur: *Tetendi mihi*, dicit Dominus, *Judam arcum, implevi Ephraimum, & excitavi filios tuos, ó Tſion! contra Filios Tuos, ó Javan! & poſui Te ſicut gladium heroïs: & Dominus ſuper ipſis ſe conſpiciendum præbebit: etenim ut fulmen prodibit ſagitta ejus*, & *Dominus tuba clanget, ac turbinibus auſtrinis graſſabitur.* His addantur multa iræ Divini Numinis indicia in Antiochi Epiphanis morte, & in triſtisſimis regni Syriaci fatis, conſpicua: de quibus mox quædam dicam.

§. XXXI. 3. Denique, nec illud ab emblemate alienum eſt, Deum cum Numinis ſui Majeſtatem, tum populi ſui, & veræ religionis, cauſam eo tempore vindicasſe, quæ gentilium quoque oculos præſtrinxit, & reverentiam ac honorem in Gentilibus produxit: adeo ut, qui de Deo & religione ac prærogativis populi Dei contemptim antea loquebantur & ſentiebant, poſt judicium illud habitum Majeſtatem Dei revereri, & populum Dei honorare, apud Hieroſolymam quoque ſupplicare, ceperint. Quo directe reſpicitur Jeſ. XXIV: 23. *& pudore ſuffundetur luna*, & *pudefiet ſol, ubi regnum capeſſiverit Jehova exercituum Tſione* & *Hieroſolymæ;* & *coram ſenioribus ejus gloria*, c. XXV: 3. *Propterea honorabunt Te populus validus, civitas Gentium ferocium reverebuntur Te*: ibid. 7. *Et abſorbebit in monte hoc ſpeciem operimenti operientis omnes populos*, & *velamen impoſitum omnibus gentibus:* ad quæ loca legendus eſt Cl. Commentator, ut & ad cap. XXVI: 8. LXIII: 1. &c. Plura, quæ ubique proſtant, citare ſuperſedeo. Quam ipſam ob cauſam Maccabæi adpellantur

מצדיקי *juſtificatores multorum*, Dan. XII: 3, id eſt, vindices cauſæ populi & religionis: ut ſuo loco exponemus. Excitati ſunt Maccabæi a Deo, ejus & Spiritu animati, & auxilio corroborati, ad cauſam Dei & religionis agendam & tuendam: quare Deus eos *excitaſſe* dicitur, & illi ſub divino *vexillo* pugnaſſe, Zach. IX: 14. Bellum itaque fuit, vero ſuo conſpectu, *Sacrum* ad Dei judicium in impios & ſceleratos hoſtes exequendum, & populum Dei oppreſſum vindicandum; bellum pro *vita & lege*; 1 Macc. II: 40. III: 21.

§. XXXII. Tribunali erecto, & ſententia Supremi Judicis pronunciata, ejus conſequens & exſecutio vſ. 11 & 12 enarratur. Qui verſus, ad quorum expoſitionem ordo nos deduxit, duplicem admittunt interpretationem, *alteram*, qua de eadem beſtia *quarta* uterque intelligitur, *alteram*, qua vſ. 11. ad *quartam*, vſ. 12. ad tres ſuperiores feras refertur. Demus utriusque intellectum, & optionem relinquamus aliis. Secundum *poſteriorem*, a qua, ut pote vulgatiore, initium ſumimus, vſ. 11., *quartæ beſtiæ* deſtructionem cum in genere ſub phraſi, *occiſa eſt*, tum in ſpecie, ubi *corpus* dicitur *perditum* & *in ignem conjectum*, ob oculos ponit. Verba ita ſonant: *Adtente contemplatus ſum*, *tunc a ſono verborum magnificorum*, *quæ cornu illud effutiit*, *vidi*, inquam, *donec occiſa ſit beſtia*, & *corpus ejus perditum*; & *tradita incendio ignis*. Quibus in verbis ſeſe α. terminus a quo, & cauſa propter quam, judicii, offert. β. ipſum judicium, in genere & in ſpecie.

§. XXXIII. α. *Prius* voces, *tunc* a *ſono verborum*, continent, quæ notam temporis, quo inciperet deſtructio, non tantum figunt, ſed *cauſam* meritoriam ſimul comprehendunt. Vocula enim מן, *a ſono*, etiam reddi poteſt, *propter* ſonum. Prægnans itaque ſenſus admittatur, rei, de qua agitur, adprime congruus, quem *lapidis impulſus*, quo cum initium, tum cauſam moventem, deſtructionis Statuæ

Statuæ comprehendi, ſupra obſervavi, quoque confirmat. Regni Syriaci, quod hic primo loco & directe in cenſum venire, magniſona unius cornu verba, hic memorata, evincunt, ut ex ſuperiore Diſſert. conſtat, *interitus* ſicut ab eo tempore, quo Deo & ejus populo ſe hoſtiliter & ſuperbe oppoſuit, initium ſumpſit; ita ab ea ipſa cauſa præcipue eſt repetendus. Quod viſum Hirci, ſecundum Angeli interpretationem, c. VIII: 25., ubi *cornu* iſtius divinitus facta *confractio* cum inſolentia & improbis ejus facinoribus connectitur, confirmat. Ipſe quoque Antiochus Epiphanes, lethali plaga teterrima & terribili adfectus, illud agnovit, I Macc. VI: 12, 13. Regnum quoque ipſum ab eo tempore ad ruinam ſpectaſſe, ſupra obſervavi. Reliqua *regna*, ex Alexandrino nata, eandem ſortem & ab eo ipſo tempore, & ſuperbum ob dominium, aliaque facinora, & quod regno Dei obſtarent, ſubire cœperunt. De quo ſupra etiam dixi. Addam hic Diodori Sic. judicium in Excerpt. Vales. p. 293., quo, Macedonicum & Syriacum regnum propter prava facta fuiſſe *ira Dei adflictum*, cenſuit.

§. XXXIV. β. Judicium *a.* in genere ſub emblemate *occiſæ beſtiæ* proponitur *b.* in ſpecie reſpectu *corporis* beſtiæ, igni traditi, a. Sicut *vita* regni, per *beſtiam* depicti, in eo ſita eſt, quod ſui juris ſit, & poteſtate ac Imperio gaudeat; ſic *mors* utriusque privationem & ablationem, *occiſio* vero violentam deſtructionem repræſentat. Quem ſenſum vſ. 12 26., ubi *ablati* dominii ſit mentio, roborant, ipſæ phraſes metaphoricæ *vitæ* & *mortis* populi, apud Exoticos etiam Scriptores obviæ, illuſtrant. Quemadmodum enim *vivere* dicitur populus, qui libertate, pace & proſperitate, gaudet, & ad functiones ſuas aptus eſt; ſic *mortuus* audit, qui oppreſſus, disjectusque jacet. vid. Gataker. ad M. Anton. l. IV. § 48. Faber Semeſtr. l. I. c. 9. & alii. De quo ad cap. XII: 2. Evenit hoc regnis iſtis omnibus, in quæ Alexandrinum diviſum

eſt, quando in Provinciæ Romanæ formam redacta ſunt, unum alterumve Parthis obnoxium factum eſt. De quo mox quædam monebo.

§. XXXV. *b.* Beſtiæ occiſæ corpus cum *perditum* & *igni traditum* dicitur, partim regnorum totalis deſtructio denotatur, qua non tantum dominio & libertate, ſed & omni *regni* forma ſunt privata, in provincias Romani Imperii redacta, & ei tanquam partes ſerviles inſerta, ne ſpecie regni antiqui relicta; quod Statuæ confractæ diſſipatio, inſtar glumæ vento ablatæ, quoque exhibuit; & hiſtoriæ recte convenit, ut in *quinta* Diſſert. jam obſervavi, & Hiſtoricorum dictis illuſtravi; partim regni Syriaci longe triſtisſimum fatum, quo variis motibus inteſtinis fuit concuſſum, dilaceratum & miſere excruciatum, donec in Provinciæ formam redactum ſit, ob oculos ponitur. De quo vid. Diod. Sic in Excerpt. Vales. p. 346. Sed hæc ex Hiſtoria in vulgus nota ſunt. Prætulit itaque hoc regnum præ reliquis manifeſta Divinæ iræ, ei incumbentis, ſigna, a gentilibus etiam Scriptoribus animadverſa; ut modo ex Polyb. vidimus. Ceterum, *corporis beſtiæ* conſpectum haud inepte ferre regnum Syriacum, quis quæſo addubitaverit? qui illud omnium, ex Alexandrino ortorum, maximum fuiſſe, ſeſeque in primis pro Regno Alexandrino haberi voluiſſe, dictumque fuiſſe propterea *Syro-Macedonicum*, reſciverit. Quod jam alibi ſupra obſervatum memini.

§. XXXVI. Huic de *quartæ beſtiæ* excidio prophetiæ apte ſubnectitur reliquarum *trium* ſuperiorum haud diſſimile fatum vſ. 12. ne quis, quid reliquis contigiſſet, ignoraret, in primis, cum ad omnes ſpectaverit tribunalis Divini erectio, & Statuæ confractio ad omnia illa regna pertinuerit. Verba ita habent vſ. 12. *& reliquis feris ablatum eſt dominium*, & *prolongatio vitæ data fuit ipſis usque ad certum tempus.* Dicere vult Propheta, reliquas beſtias, æque ac quartam, fuiſſe *occiſas*, vita ipſis ad ſtatutum

tum tempus, & non in perpetuum, conceſſa. Loco vero *occiſionis* beſtiarum dixit, *Imperium* fuiſſe *ablatum*, *occiſionis* emblema explicans. Phraſes enim, *occiſa eſt beſtia*, & *regnum ei ereptum eſt*, ſibi concinunt, & eodem tendunt, altera emblematica vel figurata, altera propria & ſimplex. De quo ne dubium ſupereſſet, mox utitur *vitæ* nomine, quam ipſis ad tempus fuiſſe permiſſam adſerit. Errare itaque eos manifeſtum eſt, qui *vitam* a regno diſtinguunt, eamque poſt regnum ablatum continuaſſe volunt. Anſam erroris dedit membrorum verſus conjunctio per *&*; unde colligi debere videtur, vitæ prolongationem eſſe regno ablato poſteriorem. Sed *&*, in phraſi, *& prolongatio vitæ* &c. vel eſt *cauſaliter* pro *quia*, *nam*, *etenim*, qua poteſtate frequenter gaudet; vel eſt relativum, valens *qui*; quem uſum recte obſervavit & exemplis firmavit Cl. Coccejus in Lex. Quo admiſſo idem erit, acſi haberetur: & *reliquis feris ablatum eſt dominium*, *quibus prolongatio vitæ ad tempus data erat.* Phraſis, *& data eſt ipſis*, eſt eadem, ac *quibus data fuit.* Ceterum hoc in reliquas Beſtias anteriores judicium hic demum memoratur, ut partim eidem tribunali Divino illud acceptum ferendum, & ab eadem cauſa repetendum eſſe, indicaretur, partim, reliqua ultimum ſuum fatum demum in regno quarto deſtructo inveniſſe, cogitaremus: quod in priore viſo jam explicui; hic non repetendum.

§. XXXVII. Hæc licet ita ſeſe habeant; diſcrimen tamen phraſium, quibus Propheta de *quarta* beſtia occiſa non tantum, ſed & in ignem conjecta, & de tribus ſuperioribus vita tantum privatis, utitur, non caſu, ſed ſtudio videtur adhibitum, ut de regnorum illorum diverſo deſtructionis *modo*, *ratione* paulum diverſa cogitaremus. Quarta Monarchia ſublata eſt, reſpectu *corporis*, ſeu præcipui ejus regni, puta Syriaci, modo plane extraordinario, cum ſingularibus judicii & iræ Dei ſignis, per *ignem* & *combuſtionem* corporis repræſentatis, ut ſupra expoſui;

cum

cum reliqua regna, ordinario magis judicio, fuerint e medio ſublata; pro rerum humanarum vicisſitudine, & communibus judicii Divini legibus; ſaltem absque ut extraordinaria illa iræ Divinæ ſigna ſeſe præbuerint conſpicienda. Quæ ratio eſt, quare Propheta, *regnum fuiſſe ablatum*, ſimpliciter dicat, ſimul rationem ab eo repetat, quod *vita ipſis ad certum tempus* tantum fuerit data. Quod ipſum diſcrimen in Statuæ confractione adparet, uno pedum latere lapidis violentum impulſum tantum experto, reliquis partibus Divina directione, & *vento* ſuſcitato, disjectis Violenta quidem fuit regnorum omnium deſtructio, ſed qualis ordinario per *bella* eſſe ſolet; nec ſine judicii Divini demonſtratione, verum non adeo ſingulari & extraordinaria, ut in Syriaco regno. Quod ulterius ex eo confirmatur, quod ratio deſtructæ & combuſtæ *quartæ* beſtiæ a magniſonis & contumelioſis ejus verbis & factis, ſed *reliquarum* abolitionis a *limitata*, & ad certum tempus data, vita, derivetur.

§. XXXVIII. In hac etſi acquieſcere licet interpretatione, de *altera* tamen, cujus ſupra memini, quæ aliquid habet, quo ſe commendat, quin verbum addam, non poſſum. Secundum eam uterque verſus, 11 & 12., de eadem beſtia quarta intelligitur, hoc cum diſcrimine, quod, cum, *beſtiam eſſe occiſam*, in genere fuiſſet dictum, mox, quid ei ſecundum diverſas partes contigerit, qua ratione *vita*, vel *regnum* variis *ejus* partibus fuerit ereptum, diſtinctius explicetur, cum *corpus* dicitur igni concrematum, *reliquum beſtiæ regno* ſimpliciter privatum, vita ei ad tempus tantum conceſſa. *Corpus* itaque beſtiæ regnum *Syriacum* ſignabit, ut modo obſervavi, *reliquum* beſtiæ reliqua quartæ Monarchiæ regna, per *cornua* delineata, & ex Alexandrino præter *Syriacum* orta. In quibus deſtruendis idem illud obtinuit diſcrimen, quod modo in lucem produxi, & phraſium diſcrepantia ſuggerit. Syriacum multis cum exſtantioribus iræ Dei, ſcelera in popu-

populum Dei, & veram religionem, commiſſa vindicantis, ſignis, ſupra memoratis; ſed reliqua regna fatum judicio quidem Dei, ſed ordinaria & magis communi lege, invenerunt, ab hoſtibus ſubjugata & abſorpta.

§. XXXIX. In qua hypotheſi nihil admodum offendit præter vocem, plur. num. puncta præferentem, חֵיוָתָא *beſtias*, & non *beſtiam*, ſignantem; cum *reliquum*, non *beſtiarum*, ſed *beſtiæ* dici debuiſſet, ſi ad eandem beſtiam quartam pertineat. Quæ tamen difficultas non eſt ex maximis, duplici ratione haud difficulter tollenda. Legi enim *a.* poteſt, pro חֵיוָתָא, levi punctorum mutatione, חֵיוְתָא, ut eſt vſ. 11. quæ ſing. eſt num., per *beſtiam* vertenda. In quo vel rigidi punctorum patroni nihil, quod carpant, habent, cum Codices hic varient. Sing. enim num. lectionem habet *Plantin.*, & *Interlinearis*, edidit quoque Waltonus. Sed, *b.* in ſing., ſive in plur., legatur, parum intereſt, cum plures beſtiæ, utique plura regna Prophetæ fuerint obverſata, ut ex ſequentibus vocibus, dominium *ipſorum*, & *ipſis* conceſſa eſt vita, eluceſcit. Sive itaque *reſiduum beſtiæ*, ſive *reliquas* beſtias, legas, tanti non fuerit: cum *reſiduum beſtiæ* collective pro reſiduis regnis, totidem partibus beſtiæ, ſumi debeat; & *reliquæ beſtiæ* eundem ferant ſignificatum; modo notetur, de ejusdem beſtiæ *partibus*, tanquam de *beſtiis* variis, potuiſſe ſermonem inſtitui, rei figuratæ & per *beſtiam* unam expictæ ergo. Cum enim varia regna per beſtiæ partes fuerint repræſentata, uti notum eſt, *partes*, tanquam totidem *beſtiæ*, conſiderari potuerunt. Facilior tamen foret oratio, ſi *reliquum beſtiæ* legatur, & *reliquum* de pluribus capiatur partibus, ſeu regnis. De quo disputare non lubet.

§. XL. *Implementum* illuſtris vaticinii emblematici, hactenus luce aliqua perfuſi, ex hiſtoria demonſtraturo, præmittenda mihi forent generalia Hiſtoricorum dicta de regnorum Aſiæ inducta *plenaria deletione*, regum poteſta-

 tis

tis *abolitione*, Aſiæ Imperio *diſſoluto*, & prorſus *ſublato*, in *provinciarum* formam redacto per Romanos, nulla, niſi hic illic, regni ſpecie relicta. Ex quibus implementi veritas clare conſtat. Sed, quia ea jam ſupra in Diſſ. IV. §. 20. in medium adtuli, ad ſpecialiorem regnorum ex Alexandrino ortorum, quæ, ad *denarium* numerum redacta, ſupra recenſui, contemplationem mox accedo, paucis defuncturus, quia in plano verſor. Regnum vero Syro-Macedonicum cum primas & præcipuas in judicio Divino, hic repræſentato, partes habeat, quippe quod Lapidis impulſum ſenſit, & beſtiæ *corpus* in ignem conjectum expinxit; ab eo initium ſumendum videtur.

§. XLI. De regno Syriaco prædicitur hisce in vaticiniis, a. illud a Maccabæis, reſpectu Imperii in Judæos & vicinos populos, eſſe delendum. b. Totum eſſe deſtruendum. c. cum multis *juſtitiæ* Divinæ ſignis. *Primum* ex libris Maccabæorum & Joſepho notius eſt, quam ut moras injicere debeat. Lapis in Statuæ alterum pedem irruere cepit ſub *Juda* Maccabæo, & confregit ſub *Simone* Ethnarcha, ac conſummavit ſub *Johanne Hyrcano*, & *Alexandro Jannæo*. Tempore Simonis epocha libertatis populi Dei incepit, Syrorum dominio plane everſo, & Demetrio Nicatore, ac Antiocho Sotere, alias Sidete, regibus Syriæ, populum Judæum pro *libero* populo declarantibus. Quod anno ær. Seleuc. 170. contigit. 1 Macc. XIII: 41. vid. etiam, quæ de geſtis Simonis tradit Joſ. Ant. XIII: 6. Sed de eo poſtea ſuo loco plura dicemus. Dilatarunt præterea Judæi Imperium per varios populos vicinos ſub Joh. Hyrcano, & Alex. Jannæo, ſubjugatis Idumæis, Galaaditis, Samaritanis, multisque aliis Syriæ & aliarum Gentium urbibus. Quod nunc tetigiſſe ſuffecerit.

§. XLII. *Secundum* illud demonſtratione quoque non indiget. Regnum enim illud, variis inteſtinis motibus & bellis concuſſum, primum Tigrani, Armeniæ regi, a populo, turbarum pertæſo, evocato, ceſſiſſe, Antiocho

Euſe-

Euſebe, θεῦ μετιόντος, *divina ultione*, ab eo pulſo, ut loquitur App. Alex. in Syr. p. 215., dein, Tigrane, uno alterove prælio, primum a Lucullo, dein Pompejo, profligato, & avito regno incluſo, adjecta tantum maxima parte Meſopotamiæ, ut Strab. l. XVI. p. 1083., habet, reliqua, ab Euphrate usque ad mare, Romanorum in ditionem veniſſe, notiſſimum eſt ex Plut. in *Lucullo*, & *Pompejo*, Dione Caſſ. l. XXXVI., & aliis. Quod factum eſt a. P. J. 4648. ante. ær. Vulg. 66. Retinuerat quidem Selene, uxor Antiochi Euſebis, durante regno Tigranis, Ptolemaida cum nonnullis regionibus Phœniciæ & Cœleſyriæ, Filiosque, *Antiochum Aſiaticum* & *Seleucum Cyroſacten*, in ſpem regni educaverat: ſed cum *ille* a Pompejo, poſt Tigranem debellatum, reſtitutionem in regnum Paternum peteret, repulſam tulit, & *Provinciarum* Romanarum in claſſem venit Syriæ regnum, ann. P. J. 4649, ante. ær. Vulg. 65. De quo Appian. in Mithrid. p. 244., Porphyr. in Gr. Euſeb. Scalig., Xiphilin. ex Dione, Juſtin. l. XL. & alii videri poſſunt. Hac ratione regnum *Seleucidarum* evanuit. Tradit quidem Appian. Syr. p. 192., Pompejum gentibus nonnullis inter Euphratem & Ægyptum, quæ Seleucidis antea paruerant, partim proprios reges regulosque dediſſe, partim veteres in Tetrachiis ſuis confirmaſſe: ſed addit, nec multo poſt illa omnia in Romanorum ditionem veniſſe, maxime ſub Cæſare Auguſto.

§. XLIII. *Tertium* de judicii Divini exſtantioribus indiciis, in hoc regno, poſt hoſtiles Judæorum oppugnationes, conſpicuis, de quo ſupra quædam obſervavi, haud difficile quoque eſt demonſtratu. Huc enim 1. varia & ſingularia illa Dei, populi ſui vindicis, præſentiæ ſigna pertinent, quæ in bello Maccabæorum cum Syris in omnium oculos incurrerunt; quorum ſupra memini. 2. Violentæ & continuæ regum Syriæ, ab Antiocho Epiphane facto initio, cædes, ex *parricidialibus* paſſim iſtius regni

discordiis, quæ Juſtin. l. XXXIX: 3. phraſis eſt, ortæ; quas cum ignis combuſtione, qua *corpus* beſtiæ abſumptum eſt, recte comparaveris. Exempla in re non dubia, apud Joſ. Ant. l. XII, & XIII. App. in Syr. & Juſtin. l. XXXII. &c. aliosque obvia, adducere ſuperſedeo. In primis notabilis eſt ipſius Antiochi Epiphanis caſus, quo, in flore ætatis & medio moliminum curſu, *inſanabili plaga*, & *acerrimis correptus doloribus inteſtinorum*, a *vermiculis eroſorum*, & *tabe intolerandi fœtoris diffluentium*, exſpiravit. De quo hiſtorici omnes, Judæi non tantum, ſed & Exteri teſtantur, & in quo manum vindictæ Divinæ agnoverunt. 1 Macc. VI. 2 Macc. IX. Joſ. Ant. l. XII. c. 13. Polyb. in Excerpt. Vales. p. 145. App. Alex. Syr. p. 212. Quo Danielis, vel Angeli apud ipſum, c. VIII: 24. prædictio etiam pertinet, quæ habet, *Eum ſine manu eſſe frangendum.*

§. XLIV. 3. Inteſtinæ quoque, regiæ domui & univerſo regno funeſtæ, discordiæ, & terribiles concertationes inter Familias Regias, ex eadem ſtirpe ortas, de regno, quibus ſe invicem ſolio deturbarunt, ita ut, quæ Juſtini phraſis eſt l. XXXVI: c. 1., *regni mutatio inter novos reges alternaretur*, multum ſanguinis civilis fuderunt, regni denique robur adtriverunt, & vicinorum invaſionibus expoſuerunt. Sic Juſtin. l. XL: 1., *mutuis fratrum odiis, & mox filiorum inimicitiis ſuccedentibus, cum inexpiabili bello* & *reges* & *regnum Syriæ conſumptum eſſet, ad extera populus auxilia concurrit* &c. qui ibid. c. 2. dicit; *paulatim orientem Romanorum, discordia conſanguineorum regum, factum eſſe.* Vid. & Diod. Sic. Excerpt. Vales. p. 349. *ubi utriusque familiæ principes ſibi invicem inſidiatos*, & *continua certamina fuiſſe in Syria commiſſa*, tradit. Sed res eſt ex hiſtoria iſtius Regni notisſima. Fuerunt autem ſucceſſiones *duæ*, ex eadem ſtirpe regia cretæ, quæ ſecum hac ratione colliſæ ſunt. *Prior* fuit *Demetrii Soteris*, ex Seleuco Philopatore, fratre Antiochi Epiphanis, orti, &

Alexan-

Alexandri Balæ, qui ſeſe Filium Antiochi Epiphanis jactavit. *Poſterior* fuit duorum fratrum uterinorum, *Antiochi Grypi*, & *Antiochi Cyziceni*, & utriusque filiorum. Ex quibus tandem occaſio nata fuit regni Syriaci primum a Tigrane, dein a Romanis ſubacti. Prolixior eſt, nec ignota, hiſtoria, quam ut hic enarranda ſit. Quam apte vero funeſterum diſcordiarum imago ſit *ignis*, quo beſtiæ corpus conflagravit, dicere nihil adtinet. *Ignis* emblema, in deteriorem ſenſum ſumptum, quemvis graviorem & concitatiorem motum, in primis multo cum dolore & cruciatu conſumentem, qualis eſt *diſſidiorum*, factionum, & bellorum inteſtinorum, repræſentat. Vid. Jeſ. XLII: 25., L: 11. & alibi ſæpe.

§. XLV. 4. Cum inter judicii Divini ſigna prænuncia locum teneant *terræ motus* Matth. XXIV: 7.; animadverſionem meretur a. terribilem plane terræ concuſſionem circa tempora Tigranis, quibus ceteroquin bella ceſſabant, Syriam pervaſiſſe & vaſtaſſe. De quo in hæc verba Juſtin. l. XI: 2. *Sed ſicut ab hoſtibus tuta Syria fuit, ita terræ motu vaſtata eſt, quo centum ſeptuaginta millia hominum & multæ urbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruſpices reſponderunt.* b. Nullam fere urbem in Oriente fuiſſe crebrioribus terræ motibus obnoxiam *Antiochia*, metropoli regni Syriæ: quantum ex hiſtoria conſtat.

§. XLVI. 5. Antiochia non hoc tantum iræ & juſti Dei judicii ſignum, quod memoravi, ſed & aliud, omni animadverſione dignum, prætulit, tempore Demetrii Nicatoris & Jonathanis Ethnarchæ; eo memorabilius, quod a Judæis in primis fuerit inflictum: quo, poſtquam a Rege eſſet tyrannice adflicta, bello inteſtino inter Regem & Antiochenſes in ipſa urbe orto, partim *incendio* fuit a Judæis, quos auxiliares petierat & acceperat Rex a Jonathane, tota fere abſumpta, partim ingens civium numerus occiſus, ad 100 millia tradit Auctor 1 Macc. XI: 47.

47. Singularis hujus fati hiſtoria apud Joſ. Ant. l. XIII: c. 5. & I Macc. XI. non tantum, ſed & Diod. Sic in Excerpt. Vales. p. 346. &c. narratur. Hac ratione *beſtiæ corpus* in ipſa Metropoli, ubi cruenta in populum Dei conſilia cuſa ſunt, *ignem*, etiam proprie dictum, ſenſit, & ulterioris totius regni excidii omen exhibuit: quod enim metropolibus regnorum contingit; illud ad regna ipſa referendum eſſe, ſponte eluceſcit.

§. XLVII. Quod ipſum mihi in mentem revocat *Babylonis*, hoc ipſo tempore penitus fere deſolatæ, fatum. Quæ urbs cum primi regni, ſic dicti Monarchici, in Oriente, a Nebucadnezare conditi, unde ſucceſſio regnorum, hisce in Viſis depictorum, repetitur, fuerit metropolis, per ſequentia etiam regna eundem conſpectum aliqua ratione retinuerit, quod in Diſſ. IV. §. 21. obſervavi, ejus utique totalis ruina, in hanc periodum incidens, ſicut iram Dei regnis illis imminentem, ita regnorum illorum ſucceſſionem terminandam, & hoſtilia populi Dei regna peſſum itura eſſe, haud obſcuro indicio ob oculos ponere potuit. Quod aliquid roboris ex verbo Prophetico acquirit: in quo Babylon, ejusque deſtructio, hunc conſpectum nonnunquam fert. Conſideratur enim illa urbs tanquam populo, & regno Dei, in primis oppoſita, in cujus deſtructione ſalus Eccleſiæ ſita, & cum qua conjuncta eſt; adeoque inſtar ſigni & emblematis hoſtilis potentiæ, quæ populi Dei proſperitati obeſſet, tollendæ: quippe in qua una urbe reliquas omnes, populo Dei adverſarias, cenſeri voluerunt Prophetæ. Sic Jeſ. XXV: 2., in Prophetia de liberatione Eccleſiæ a Syris per Maccabæos, Babelis excidium hanc ipſam ob rationem his verbis celebratur: *quia poſuiſti urbem in tumulum; oppidum munitum in ruinam; arcem peregrinorum, ne ſit civitas; in æternum non ædificabitur*: ad quem locum conſulendus eſt Cl. Commentator. Concinunt loca ſimilia, cap. XXVI: 5, 6, 11. Incidit vero *Babylonis*, jam antea per *Seleuciam* conditam immi-

imminutæ, deſtructæ & deſolatæ epocha in hæc ipſa tempora. Thraatis enim, regis Parthorum, Satrapa Himerus, circa tempora Antiochi Sidetis, ann. ante ær. Vulg. 130. *plurimos Babylonios cum omni familia ſervituti addictos in Mediam diſtrahendos miſit; forum & nonnulla delubra urbis Babylonis igni tradidit*, καὶ τὸ κράτιστον τῆς πόλεως διέφθειρε *ac pulcherrima quæque urbis loca evertit*, ut habent Diodor. Exc. Vales. p. 377., ubi vid. Vales. in notis. Ex quo cum Babylone actum fuit, adeo ut tempore Tiberii Cæſaris, teſte Strabone lib. XVI., maximam partem fuerit *deſerta*. Conf. quæ Cl. Vitringa ad Jeſ. XI. p. 420. in medium adtulit.

§. XLVIII. Idem fatum, quod Metropolis regni Babylonici, poſt varias ſucceſſiones tandem in regnis, ex Alexandrino ortis, ſuperſtitis, quemadmodum in hisce Viſis res conſideratur, ſubierunt ipſa illa Regna, in quæ Babylonicum tandem fuit diviſum. Quod de reliquis regnis, per pedum *digitos* & *cornua* beſtiæ quartæ repræſentatis, paucis demonſtremus, vel potius, cum res non ſit dubia, enarremus, ſupereſt. Macedonicum, poſteaquam in familia Demetrii Poliorcetæ aliquandiu, & in univerſum 156 annos ſtetiſſet, concidit tandem ſub Perſeo, a Romanis per Aemilium Paulum ſubacto, ann. P. J. 4546., ante ær. vulg. 168., quum rex Syriæ eſſet Antiochus Epiphanes, nec tamen tunc, ut erronee tradit epitome Liv. l. 45., ſed aliquandiu poſt, victo Pſeudo-Philippo, *in provinciæ formam redactum*, ut ad eum locum *Gronov.* obſervavit, nec non Perizon. anim. Hiſt. c. 9. p. 374. In quo regno deſtructo gentiles quoque iram Divini Numinis, per ſcelera provocatam, obſervarunt: ut eſt in Diodori Excerpt. Vales. p. 293. Ceterum de Perſeo, & regni Macedonici everſione, vid. Plut. in Æmil. Paulo, Liv. lib. XLI. &c. Juſt. l. XXXIII., Flor. l. II. c. 12. Adhibet vero Diod. in Excerpt. Vales. p. 341. verbum valde emphaticum, ubi de Romanis dicit, *& Macedoniæ regnum* ῥιζοτόμησαν *exſtirparunt.* §. XLIX.

§. XLIX. *Diuturnius* quidem, ſimul *potentius*, poſt Alexandrum, Imperium, ſi Appian. in civil. bell. p. 603. adcredamus, regnum ÆGYPTIACUM, poſteaquam a Romanorum potente ſocietate diu jam pependiſſet, a Cæſare etiam totum eſſet occupatum, nec tamen ditioni Romanæ adſcriptum in gratiam Cleopatræ, ut Dion. Caſſ. l. XLII. p. 205. refert, pleniſſime ſubactum eſt ab Octavio, Antonio & Cleopatra ſibi ipſis manus inferentibus, & in Provinciæ formam redactum eſt ann. 30. ante ær. Vulg., quum duraſſet ann. 294. Id *autem notum eſt*, *ut annales veteres monſtrant*, inquit Ammian. Marcell. l. XXII: c. 16. *quod Ægyptus omnis ſub amicis erat antea regibus. Sed ſuperatis apud Actium bello navali Antonio & Cleopatra*, *provinciæ nomen accepit*, *ab Octaviano Auguſto poſſeſſa.* Hiſtoria petenda eſt ex Plut. in *Antonio*, Dion. l. LI., Strabone l. XVII. p. 1145. qui utitur verbo καταλυθῆναι de *Lagidarum Imperio.* Dion. vero Caſſ. l. c. p. 455. dicit, *Ægyptus* ἐδυλώθη *in ſervitutem redacta eſt*, qui p. 458. τὴν καταστροφὴν *everſionem* adpellat.

§. L. PONTI regnum, poſt aliquot regum ſucceſſiones, tandem in *Mithridate*, *Eupatore* ac *Dionyſo*, nec non a rebus geſtis *Magno* dicto, concidit. Hic enim poſt præclara geſta in bellis cum Scythis, quos vicit, dein cum Paphlagonibus & Cappadocibus, quos, pacto cum Nicomede, Bithyniæ rege, inito, ſibi ſubjecit; tandem propter ea ipſa geſta bello cum Romanis implicitus, primum, poſt diuturnum bellum varia fortuna geſtum, a Sylla, dein Lucullo, tandem Pompejo victus, morte ſua, quam ipſe ſibi conſcivit, regnum ruina ſua involvit. Mortuo enim Mithridate, τὰ τῆς ἀρχῆς αὐτῦ πάντα πλὴν ὀλίγων κατέστραπτο; *cuncta Imperii ejus*, *paucis exceptis*, *ſubverſa ſunt*; Dion Caſſ. l. XXXVI. p. 36. Addit Vell. Paterc. l. II. c. 40., *eum* fuiſſe *ultimum omnium juris ſui regum*, *præter Parthicos.* Pompejus avitum ejus principatum, Bithyniæ proximum, in Provinciæ formam redegit, reliqua varie diſtribuit.

buit. Appian. de bello Mithrid. p. 414. Strab. l. XII. p. 815. Liv. epitom. c. 102., Pompejum *in Provinciæ formam Pontum redegiſſe*, in genere tradit. Antonius vero illam partem, Bithyniæ conterminam, ſpecie regni denuo veſtitam, conceſſit Dario, Mithridatis Nepoti; alteram vero Ponti partem tradidit *Polemoni*, ex regia ſtirpe non creto, inde *Polemoniacam* dictam, Cappodociæ finitimam. Cujus filio Polemoni IIdo eam reliquit vel donavit Caligula; donec Nero de Ponti regno fecerit *Provinciam*. Suet. in Ner. c. 18. & alii. Plura ſuppeditant auctores in Diſſ. v. citati.

§. LI. Cappadociæ regnum cum poſteri Ariarathis aliquandiu tenuiſſent, *Archelaus*, reges priores nulla adfinitate contingens, ab Antonio illud accepit. Quo defuncto, formam Provinciæ adeptum eſt vel ſub Auguſto, ut App. Alex. in Mithrid. p. 403. tradidit, vel ſub Tiberio, ut Dion. Caſſ. lib. LVII. p. 614. Tacit. Ann. l. II. c. 42. Suet. in Calig. c. 1., qui id a Germanico fuiſſe factum tradit. Cæſarem ſimpliciter adpellat Strab. l. XII. p. 808. Sed jam diu antea Majeſtatem Romanorum ſub titulo *Sociorum* & *amicorum* revereri debuerunt. Primus *nomine* φιλορωμαίοις adnumeratus eſt Ariarathes tempore Antiochi M., cujus partes primum ſectatus eſt. De quo vid. Ill. Ez. Spanhem. Num. Diſſ. VIII. p. 474.

§. LII. Bithyniæ regnum, per *octo* regum Succeſſiones devolutum, jam ſub *Pruſia*, dicto *Venatore*, ad Romanos reſpiciens, cum ille Romanos, Perſeo, rege Macedoniæ, domito, metuens, ſe *eorum libertum* profeſſus, in regno ex Romanorum miſericordia ſit confirmatus; ut narrat Appian. Alex. de bell. Mithrid. p. 298.; tandem Romanis, mortuo Nicomede IVto, qui Romanum populum teſtamento reliquit hæredem, plane ceſſit, ibid. p. 302, 367. vid. etiam epitom. Liv. c. 93., a U. C. 679., cum ſtetiſſet, teſte Syncello, ann. 213. Quod factum fuiſſe Olymp. 176. tradit App. bell. civ. p. 698., adeoque ante ær. Vulg.

76. Diu ante, eodem, ſaltem ad ſpeciem, titulo Regnum PERGAMENUM crevit populus Romanus, Attali III., Philometoris dicti, teſtamento, quo *Populum Romanum bonorum ſuorum hæredem* ſcripſerat, ad ipſum regnum tracto. Quando *Provincia Romana facta*, & *Aſia proprie dicta* eſt, Strab. l. XIII. p. 926. Juſt. l. XXXVI. Liv. epitom. 58. Flor. II. 20. Teſtamenti etiam meminit Plut. in *Gracchis* p. 830. Quod accidit a. P. J. 4581., ante ær. Vulg. 133. rege Syriæ Antiocho Sidete, & Judæorum Ethnarcha *Johanne Hyrcano*. Ariſtonicus quidem, frater Attali, jus ſuum armis adgreſſus eſt vindicare, ſed irrito ſucceſſu, a Conſule Perpenna devictus. Stetit itaque Regnum Pergamenum ann. 150., nec ſine judicii Divini ſignis peſſum ivit. Attalus enim ille *florentiſſimum ab Eumene Patruo acceptum regnum cædibus amicorum* & *cognatorum ſuppliciis fœdaverat*; ut Juſt. l. XXXVI. c. 4. tradit: qui addit, eum poſtea *nullum ſignum ſani hominis habuiſſe*, *prorſus ut pœnas pendere manibus interfectorum videretur*.

§. LIII. ARMENIAE regnum, primo diviſum in duo, dein unitum ſub Tigrane II., eodem, qui Syriæ regnum tenuit, tandem eo, Ducibus, primum Lucullo, dein Pompejo, a Romanis, ſicut per intolerandam tyrannidem meruerat, de quo vid. Plut. in *Lucullo* p. 505., debellato, ita ut *ſupplicem eum regnare* juſſerit Pompejus, Flor. III: 5., reges quidem diu poſt retinuit, ſed reges non in *fide*, ut *Socios*, ſed in ditione Romanorum, ut ſubditos, adeoque *juris Romani* factum eſt, teſtibus Tac. Ann. l. XV. c. 13., Flor. l. IV. c. 12. & Strab. l. XI. p. 794. ubi *Armenios* adpellat *Romanis* ſubjectos. Armenia minore, Tigrani erepta, & Dejotaro Tetrarchæ Galatiæ tradita, poſtea in Provinciæ formam redacta ſub Veſpaſiano. Parthi vero partem, a Tigrane II. acceptam, ſibi vindicarunt, reges ex Arſacidis ei ſemper præficientes: unde varia poſtea inter Romanos & Parthos exorta ſunt bella. Paulo meliorem conſpectum prætulit regnum MEDIAE ATROPATIAE; ſaltem

ſaltem usque ad Strabonis tempora. Tradit enim, l. XI. p. 794. *Atropatis* ſucceſſionem eousque duraſſe: addit tamen, regnum hoc ſeſe amicitiis & conjunctionibus matrimonialibus cum Armeniæ, Syriæ, & Parthiæ, regibus diu tuitum, tandem *adplicuiſſe Cæſari*, *amicitiæ ſpecioſo titulo; ſimul & Parthos* coluiſſe. Antonius in bello Parthico *Atropatenam depopulatus* eſt, teſte App. Alex. Parth. p. 272. Reliqua fata non conſtant.

§. LIV. Bactriani, poſt ſex regum Succeſſiones, *per varia bella jactati*, *non regnum tantum*, *ſed & libertatem amiſerunt: ſiquidem Sogdianorum Indorumque bellis fatigati*, *ad poſtremum ab invalidioribus Parthis velut exſangues oppreſſi ſunt*, quæ verba Juſtini l. XLI: 6. ſunt. Eucratides quidem regnum ſtrenue fuit tuitus & amplificavit; ſed ab impio filio, quem Socium regni fecerat, immani parricidio interfectus regni ruinam ſecum traxit. Quod factum eſt ſub *Mithridate* Magno, Parthorum rege, *qui Imperium Parthorum a monte Caucaſo*, *multis populis in ditionem redactis*, *uſque ad flumen Euphratem protulit*: ut ibid. Juſtinus tradit. Sed ſucceſſit parricida Filius, etiam Eucratides dictus, cui partem tantum Bactriani regni abſtulit Mithridates: verum haud diu poſt in reliquum regnum irruperunt Scythiæ gentes, Sarancæ & Aſiani (alias Oxiani, ab Oxo fluvio) aliique, ut habet prologus 41*mus* Trogi Pompeji, & Bactrianum Græcorum regnum exſtinxerunt. Quos barbaros rurſus cum ipſis Græcis oppreſſerunt Parthi: quorum ditioni acceſſit univerſum illud regnum, diuque manſit, adeo ut *Bactrios* & Seras *Parthæ telluris alumnos* dixerit Propertius, Cæſaris Auguſti ætate, lib. IV. eleg. 3. Hac ratione Bactriani regni excidium docte digeſſit Cl. Bayerus in hiſtoria *regni Græcorum Bactriani*; qui etiam finem iſtius regni in ann. ær. Seleucid. 179., ante Chriſtum natum 134., confert, poſteaquam ſtetiſſet annos 122.

§. LV. Ex dictis, ſicut *viſorum* implementum, ita ſimul

eluceſcit, Deum, tanquam Supremum mundi Judicem, & Eccleſiæ ſuæ vindicem, Romanis & Parthis, in primis Romanis, fuiſſe, tanquam *inſtrumentis*, uſum ad judicia ſua in tyrannica, & populo regnoque Dei oppoſita, regna exſequenda, eo præterea ſcopo, ut liberior regno Meſſiæ curſus concederetur, & *locus* regno ejus erigendo præpararetur; quippe quod in medio ſui tandem hæc ipſa regna admitterent. Romanam Remp. non ſine ſingulari Numinis deſtinatione & directione ad *orbis* Imperium perveniſſe, recteque cum *vento* divinitus ſuscitato comparari, ſicut res ipſa evincit, ita ipſi Gentiles agnoverunt, non tantum ubi *fortunæ* hic partes dederunt, ut *Florus* in Principio, & l. II., & alii; ipſe quoque Polyb. l. II. init., ſed & diſertioribus verbis teſtati ſunt. Plut. de *fortuna* Rom. p. 323. *tantam* Imperii Rom. *molem* non eſſe adtribuendam expreſſe dicit χερσὶν ἀνθρώπων *manibus hominum*, ſed θείᾳ πομπῇ καὶ πνεύματι τύχης ἐπιταχυνομένης *divinæ incitationi*, & *accelerantis fortunæ vento:* quod ibi ex factis & geſtis illuſtrat. Ipſi Romani, devicto Antiocho M., *ſibi nil amplius arduum* ὑπό τε ἀρετῆς καὶ θεῶν ἐπικουρίᾳ, *fretis cum propria virtute*, *tum auxilio Divino*, putarunt, teſte App. Alex. Syr. p. 178. quo etiam verba Diod. Sic, mox proferenda, pertinent. Romanus vero populus ad judicia illa implenda in primis cogitari poteſt electus, I. quia, a regio dominio alieniſſimus, libertatiſque populorum, ſub tyrannico Imperio gementium, ſtudio ductus, ad *Regna* quaquaverſum abolenda, populos ab inpotente Dominorum Imperio liberandos, ſimul ad legitimam regiminis juſti, ad fixas leges componendi, formam redigendos, ſive ſuis legibus uti permiſerint, ſive Romana jura ipſis præſcripſerint, quæ ſingularis plane, & in Oriente ignotior, ſcena nunc ob ſapientes rationes eſſet aperienda, longe aptiſſimus erat; imo ſolus fere adcommodatus, cum ubique terrarum reges ex libidine regnarent per Græciam & Aſiam. Græci, ut uno alterove exemplo dicta

dicta illuſtrem & confirmem, bello Macedonico Romanorum cum Philippo profligato, libertate a Romanis donati proclamarunt, Romanos id agere, ne *toto terrarum orbe injuſtum imperium ſit*, & *ubique jus*, *fas*, *lex potentiſſima ſint; una voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Aſiæ urbes*, Liv. l. xxxIII. c. 33. Polyb. Excerp. leg. ix., Flor. l. II: 7. Perſe, ultimo rege, domito, Macedonia, cum *in ditionem Romanorum ceſſiſſet*, *Magiſtratibus per ſingulas civitates conſtitutis*, *libera facta eſt*, *legesque*, *quibus adhuc utitur*, *a Paulo accepit*. Juſtin. l. xxxIII. c. 2. Liv. XLV: 19. de quo etiam vid. ex Diodoro Excerpt. Vales. p. 314. Aſiæ nationes *legibus* fuiſſe & *republica* adornatas a Pompejo, quæ ſuo ad huc tempore vigebant, tradit Dion Caſſ. l. xxxvII. p. 38. & ex eo Xiphilin. p. 6. Quod idem ante fecerat Lucullus, ut Plut. in Lucull. refert. Adde Romanorum morem *omnia regna ſubvertendi*, Saluſt. hiſt. l. IV. p. 449. Sic Cæſar Auguſtus Ægyptum ἔπαυσε παροινουμένην *a contumeliis ebrioſorum Dominorum liberavit*, teſte Strab. l. xvII. p. 1147.

§. LVI. Romanos præterea, quod 2. addi poteſt, Juſtitiæ in bellis inferendis fuiſſe præ reliquis gentibus ut plurimum obſervantiores, nec niſi vel injuriarum ulciscendarum, vel ſociorum defendendorum gratia, ſolitos fuiſſe arma, quæ propterea adpellat *Sacro-Sancta* Flor. l. II. c. 20., ſumere, ſaltem ea ſub ſpecie id feciſſe, eamque ob rationem non indignos Divino auxilio fuiſſe viſos, orbis quoque Imperio præ reliquis dignos, Hiſtoria ubique teſtatur. Vid. Excerpt. Vales. ex Polybio p. 206., ex Diodoro p. 293., ubi dicit, *Romanos & tum* (loquitur de bello Macedonico cum Philippo) *& poſtea nonniſi juſta ſuſcipientes bella*, *jusque jurandum & fœdera magnifacientes*, *non immerito habuiſſe* συμμάχους τοὺς θεοὺς *adjutores Deos in omnibus moliminibus*. Quod idem multis exſequitur autor 1 Macc. VIII. vid. etiam App. Alex. Parth. p. 220., ubi, *innocentibus* & *pacatis* arma inferri, noluiſſe Populum Rom.

tradit. Ill. H. Grotius B. & P. l. II. c. I. §. I. aliis hoc etiam firmat teſtimoniis. Vid. quoque Cic. Off. l. I. c. 8. De Auguſto Suet. c. 21., *nec ulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit.* Quo etiam facit, Romam tunc temporis *virtutum omnium domicilium* fuiſſe, teſte Amm. Marcell. l. XIV. c. 6, &, quod Florus in *principio* habet, *ad conſtituendum ejus Imperium virtutem & fortunam* (Providentiam potius dicas) *concurriſſe videri.* Vid. de virtutibus Romanorum Flor. l. II: 19. & III: 12. Saluſt. in Catil., & Hiſt. l. I. p. 384. Nec a ſcopo alienum fuerit obſervaſſe, *clementiam* in deviĉtos populos, qua tunc uſi fuerunt Romani, & *fidelitatem* in Socios, multorum animos ad eos inclinaſſe, ut diſerte autor I Maccab. VIII. Diod. Sic. in Excerpt. Vales. p. 314., cum narraſſet, Æmilium Paulum, debellato Perſe ultimo Macedonum rege, ſe adverſus armatum quidem gravem & metuendum, ſed in victos placidum mitemque eſſe declaraſſe, ſubjungit; *cujusmodi inſtitutum cum reliqui ſectarentur, Imperium orbis terrarum citra invidiam penes populum Romanum fuit, quamdiu ejusmodi Imperatoribus eſt uſus.* De quo etiam agit ibid. p. 341., ubi & hæc verba occurrunt, *proinde ob ſingularem eorum benignitatem reges ac civitates, gentesque adeo omnes, in clientelam Populi Romani confugiebant.* De eadem lenitate & manſuetudine teſtatur etiam App. Alex. Bello Pun. p. 82. Sic & Saluſt. in Catil. c. 12., Romanos *neque victis quicquam præter Injuriæ licentiam eripuiſſe*, tradit. Quam ob cauſam Cic. Off. l. II. c. 8. *patrocinium orbis terræ verius quam Imperium potuiſſe nominari adſerit.* De Julio Cæſare tradit Autor *belli Alexandrini* c. 65. *quas in provincias regionesque veniſſet*, eum *eas* ita reliquiſſe *conſtitutas*, *ut domeſticis diſſenſionibus liberarentur, jura legesque acciperent & externorum hoſtium metum deponerent.* Auguſtum *virtutis moderationisque fama Indos & Scythas ad amicitiam ſuam & populi Romani petendam pellexiſſe*, refert Suet. c. 2. Ceterum, ut illud uno verbo obſervem, quod

in rem facit, Romana Republica in unius poteſtatem redacta, manſerunt, ut jam antea fuerant, *duo* in orbe Romano regiminis genera, *alterum*, quo τὸ ὑπήκοον *ſubjecti* ac provinciales a præſidibus Romanorum & ad eorum leges regebantur, *alterum*, quo ἔνσπονδον *fœderati* & *Socii*, ac libertate donati populi ſuis legibus & regimine utebantur, ad quos quoque referre licet *fœderata* ſeu *precaria* regna, hic illis a Romanis relicta. Unde Imperii Romani diviſio nata eſt in *liberos populos* vel *civitates*, *regna*, & *provincias*. De quibus prolixe diſſeruit Ill. Ez. Spanh. in *orb. Rom.* cap. x. &c. Regum vero *ultimum ſui juris fuiſſe* Mithridatem Ponticum, ſupra ex Vell. Pat. obſervavi.

§. LVII. 3. Quid denique addere vetat, Romanum Imperium Judaicæ Eccleſiæ ſtabiliendæ & propagandæ non tantum multum tribuiſſe, partim hoſtiles populos atterendo & ſubigendo, partim populum Judæum amicitia & patrocinio, ipſam religionem veneratione, honorando, de quo Jeſ. xxv: 3. ad quem locum vid. Cl. Commentator; de quo etiam tot decreta a Senatu & Imperatoribus in gratiam Judæorum, tempore Julii Cæſaris & ſeq, teſtantur apud Joſ. Ant. l. xiv. c. 10, & 12. verum etiam Chriſtianæ Eccleſiæ, inter Judæos & Gentes condendæ, opem tuliſſe, cum quod Judæorum, qui ad hoſtium regni Chriſti claſſem tunc pertinebant, potentiam fregerit, ipſam etiam illorum œconomiam legalem deſtruxerit, tum quod Euangelio liberum longo tempore permiſerit per totum Imperium curſum, paucas ſi exceperis perſecutiones, usque ad medium Sec. III.: donec, poſt dimidii ſeculi oppoſitiones, regnum Chriſti in medio ſui admiſerit ſub Conſtantino M. & Succeſſoribus. Quæ latius deducere & demonſtrare non licet in præſentia.

§. LVIII. Hæc, quæ de *Romano Imperio* in medium adtuli, qui probe conſideraverit; is, ni fallor, mirari deſinet, quare partim nullus huic Imperio locus fuerit in Viſis

Viſis de quatuor Monarchiis, quæ dicuntur, Orientis datus, partim inter *media*, quæ Supremum Numen ad Regna illa delenda, & regnum ſuum erigendum, adhibuit, locum acceperit. Sicut enim longe diverſus fuit Romanorum, quam regnorum in hisce viſis depictorum, conſpectus, ut ex ſupra dictis, & Diſſ. IV., conſtat; ita partim aptiſſimi erant, per libertatis & Reip. ſtudium, ad regna tyrannica deſtruenda, partim cum ob multiplicem virtutem, tum quod regnum Dei reciperent, digni videri poſſunt, qui impedimenta regni Chriſti è medio tollant, & viam Supremo Regi, ad regnum condendum ac propagandum, ſternant: quod, licet inſcii, ſingulari Dei directione, præſtiterunt. Ceterúm inter rationes Providentiæ Dei erga Romanum Imperium, qua illud ad tantam potentiam evectum, tantaque facinora in uſum Eccleſiæ Dei patranda adhibitum eſt, & illam locum tenere poſſe, quam a virtute, & receptione veræ Religionis modo petii, exemplo contrario Babylonis aliquatenus illuſtrari & confirmare poſſe mihi videor. Inter rationes enim, quæ illam urbem cum regno ſevero Dei judicio obnoxiam fecerunt, & hæc datur, quod, licet occaſio Ei multiplex, in primis cum Judæi exules in medio ejus verſati fuerunt, ad veri Dei cognitionem, veramque ſapientiam, perveniendi, ſuppeditata ſit, nullo tamen modo ad meliorem ſe paſſa fuerit frugem adduci; animumque a Deo Iſraëlis, ejusque populo, perrexerit habere alienum. Sic Jeſ. XXVII: 11. *quia non eſt populus præditus intelligentia; idcirco non miſerebitur ejus Factor ejus, & Formator ejus non erit illi propitius.* Agitur ibi de Babylone, ut recte advertit & explicuit Cl. Commentator. Quo etiam pertinet dictum Jeremiæ c. LI: 9. *curavimus Babylonem*, adhibendo ſc. ei medicinam; *ſed ſanata non eſt;* quando mox ultimum judicium, ei infligendum, ſubjungitur. Idem illud in genere de Gentibus prædicitur, veri Dei & religionis cultum ſpreturis, temporibus Maccabaicis & ſequen-

ſequentibus, Zach. XIV: 19. *hoc erit peccatum Ægypti, & peccatum omnium gentium, quae non adſcenderint ad celebrandum feſtum Tabernaculorum.* Cui verba Dei apud Jer. XII: 16., *ſi didicerint vias populi mei, ut in nomine meo jurent* —— *aedificabuntur in medio populi mei, ſed, ſi non obedierint, delebo gentem hanc*, ad vicinos populos, tempore liberationis ab exilio Babyl., eamque ſecutæ rerum inſtaurationis, pertinentia concinunt. Inter eos vero, qui Deum Iſraëlis honorarunt, ejusque populum, donec iram Dei in ſe provocaverit, amicitia & favore ſuo complexi ſunt, ſimul Chriſtianam religionem partim adoptarunt, partim propagari ſiverunt, cum Romani principem locum obtinuerint; quid mirum? Romanos præ reliquis fuiſſe a Deo exaltatos, & ad opus ejus efficiendum electos. Poſſem etiam prophetias de Cyro, de *juſtitia* ejus expreſſe agentes, advocare: ſed prolixiori eſſe non licet.

§. LIX. De PARTHIS, *penes quos, velut diviſione orbis facta, Orientis nunc eſſe Imperium* dicit Juſtin. XLI: 1., de quo Diſſ. §. IV: 21. plura protuli teſtimonia, quorum aliqua tantum pars in hisce regnis deſtruendis fuit, cum Babylonem tenuerint, Bactrianorum regnum exſtirparint, & alias regni Alexandrini partes poſſederint; nec plura neceſſe fuerit, nec habeo dicere. Romani enim Imperii præcipuam hic habendam eſſe rationem, relatio ejus ad Eccleſiam, & Judaicam & Chriſtianam, plane peculiaris, clare evincit. Nihil tamen vetat obſervaſſe, 1 Supremæ in populo & regno virtutis, *fidelitatis* in pactis ſervandis, & *juſtitiae* a ſtudio celebrari reges & regnum Parthorum. De quo ſicut δικαίȣ *juſti* cognomen Arſacidarum in Nummis, apud Ill. Ez. Spanhem. Num. Diſſ. VIII. p. 466., ita mos Perſarum, quo *Scholas juſtitiae publicas*, ad quas liberos, optimo inſtituto, mittebant, ut ex Xenoph. ibid. obſervat, ad Parthos cum aliis Perſarum inſtitutis translatus, teſtatur. De *fide* data, ab ipſis ſervari ſolita, vid. Joſ. Ant. l. XVIII. c. 9. Contradicit tamen, neſcio an

 ſolide,

ſolide, Juſtinus, qui, ſicut alibi *crudelitatem* Parthorum perſtringit, de illis tradit, *fides dictis promiſſisque nulla, niſi quatenus expedit.* 2. Judæos ſatis benigne a Parthis fuiſſe admiſſos & exceptos, quorum immenſa multitudo inter eos, & in primis circa Babylonem, degit; teſte Joſ. Ant. XV: 2, & 3. XVIII: 9. Imo Philo leg. ad Cajum p. 792. *Babylonem & multas alias Satrapias* a *Judaeis teneri*, adfirmat. 3. Eccleſias Chriſti in regno Parthico cito fuiſſe fundatas, brevi tempore mirifice multiplicatas, & per omne tempus, quo Parthi regnarunt, imo usque ad Sec. IV., pace, ſingulari populorum illorum lenitate & humanitate, ſine ulla interruptione fuiſſe gaviſas; quin aſyla & refugia inter Parthos reperiſſe Chriſtianos, Romano Imperio per varias vexationes exactos. De quo nunc diſſerere non licet. Vid. Vir judicio & eruditione, ſimul moderatione, præclariſſimus, Beauſobre in hiſt. Manichæismi lib. II. c. 3., in primis Aſſeman. in Bibl. Orient.

DISSER-

DISSERTATIO OCTAVA

DE

REGNO QUINTO

EXPICTO PER

MONTEM EX LAPIDE ORTUM, ET REGNUM FILIO HOMINIS DATUM.

PARS POSTERIOR.

CAP. II: 35, 44. VII: 13, 14, 27.

§. I.

AD Quinti Regni, vero ſuo conſpectu conſiderati, notitiam, ex duplicis emblematis, montis vel rupis ex lapide orti, & Filii hominis ad Antiquum, vel Permanentem dierum, adducti, & regno donati, intellectu hauriendam, *tria* requiruntur I. Perſona, cui Regnum datur. II. Regni adtributa & qualitates. III. Tempus, quo conderetur. In quibus illuſtrandis hæc Diſſertatio, *viſorum* Danielis explicationi finem impoſitura, verſabitur.

§. II. De *Perſonis*, penes quas regni quinti foret admi-

niſtratio, nihil aliud ex Lapidis & Rupis emblemate, in viſo Nebucadnezaris, colligitur, ac partem futuras populi Judæi, nec qualemcunque, ſed ſelectam, Maccabæis, per Lapidem expictis, ſimilem. Quod ex *Lapide*, in *montem* excreſcente, ſponte ſua eluceſcit. Cum enim *Lapis* repræſentaverit Maccabæos, ut ſuperiore Diſſ. adfirmavi, & *ex lapide* fuerit *rupes* nata, quæ regnum quintum delineavit: ejusdem originis, gentis, & ſimilium ſint qualitatum illi, quibus hoc regnum concederetur, neceſſe eſt. Ex quo manifeſtum eſt, Regnum quintum in medio populi Judæi non tantum erigendum eſſe; ſed & Regem ac Rectores ex eo populo futuros, a Deo ſingulari providentia ſuscitandos, qui *ſemen* Abrahæ ſingulari emphaſi & eſſent, & præſtarent: in quo ipſe *Pater multarum gentium foret*. Quod ſicut in Chriſtum & Apoſtolos, *illum* inprimis, tanquam *caput*, recte quadrat, uti nemini non notum eſt; ita ex verbo Prophetico lumen & pondus acquirit. Prophetæ enim & poëtæ Divini, quorum Odae in Libro Pſalmorum ſuperſunt ad Maccabaicá tempora pertinentes, Eccleſiam Maccabaicam & Apoſtolicam, Maccabæos & Heroas Spirituales, ſeu Apoſtolos & Euangeliſtas, ſæpe permiscent, & ſimul depingunt, Maccabæos tanquam Apoſtolorum imagines, Eccleſiam Apoſtolicam tanquam Maccabaicæ *ſcopum* & *complementum*, conſiderantes. Quo etiam facit, regnum Dei in Maccabæis ſecundum Prophetas initium habere, & in Chriſto ac Apoſtolis perfici & conſummari. De quo poſtea ſuo loco.

§. III. Viſum vero Danielis cap. VII. expreſſiores Perſonarum illarum ducit characteres, partim in ipſo emblemate *Filii hominis*, partim in explicatione ejus, ubi *Sancti altiſſimorum*, & *populus Sanctorum*, adpellantur. Verba Viſi verſ. 13. ita habent. *Contemplatus ſum in viſis nocturnis; & ecce! inſtar Filii hominis aliquis veniebat cum nubibus cœlorum, accedebatque ad permanentem dierum, coram quo ipſum ſtiterunt.* Circa quam Perſonam & illos ſecum diſſen-

diſſentire Interpretes, qui; quæ communis & recepta eſt hypotheſis, regnum Meſſiæ hic intelligunt, mirari lubit. III. H. Grotius, qui *Romano populo, nullum intra ſe Regem habenti*, hunc *Filii hominis* titulum adplicat, ſibi hic merito relinquitur. 1. Enim inſolitus hic plane eſt tituli iſtius ſignificatus, quo *privatum* dicit. Solet & de principibus ac regibus, & de privatis promiscue uſurpari, referrique ad imbecillitatem, & fragilitatem humanæ naturæ; nonnunquam *humanitatem* quoque complecti. 2. Romanus populus, penes quem fuit Majeſtas imperii, ob diverſam a Monarchali regiminis formam, *privati* conſpectum & titulum nullo modo ferre poteſt. 3. Multo minus illud in Romanos, poſt judicium Dei in regna Aſiæ, quo illa deſtructa ſunt, ſicut hic obtinet, quadrat; cum Imperatores circa illud tempus acceperint. 4. Comparatio *filii hominis* cum *beſtiis* ſuperioribus, quam quisque hic inſtituendam eſſe videt, regnum, Filio *hominis* datum, a reliquis mundi regnis longe diverſum, & humanitatis, æquitatis, & pacis plenum fore, adeoque eo pertinere titulum *Filii hominis*, clare evincit. 5. Denique Romano imperio hic nullum eſſe poſſe locum, partim ex eo, quod in Judicio Dei exſequendo præcipuas partes habuerit, de quo in ſuperiore Diſſ. egi, eluceſcit, partim adtributa *regni quinti*, a Romano aliena, demonſtrant. Regnum enim quintum hic repræſentatur tanquam Divinitus ortum, univerſale & æternum, denique *pacificum* & *humanum*. De quo in ſequentibus. 6. Emblema *montis*, ex *lapide* orti, cui regnum *Filio* hominis datum manifeſte reſpondet, in *Romanum* Imperium non convenit; cum quod ex populo Judæo, ſeu Maccabaico, per Lapidem depicto, oriretur, tum quod *militarem* conſpectum, quem *Lapis* præfert, non amplius haberet; qui proprius tamen eſt Romani imperii character.

§. IV. Sed miſſa hac hypotheſi, quæ nihil probabile habet, & communi admiſſa, quæ Regnum Meſſiæ intelli-

gendum eſſe per *Quintum Imperium* recte tenet, *Filius hominis* alius eſſe nequit, ut videtur, ac ipſe Meſſias, Rex Regum & Dominus Dominorum; cujus characteres hic in omnium mox incurrunt oculos. Præterquam enim quod Ipſius ſit Regnum, adeoque ipſius, tanquam *Regis* & *Capitis*, mentio prætermitti non poſſit, 1. *Filii hominis* titulus ipſi Pſ. VIII. & frequenter datur in Euangelio; nec ſine adluſione ad hunc locum, ut Joh. v: 27. *Eique poteſtatem dedit etiam judicium exercendi, quia Filius hominis eſt.* Senſus ex mea quidem opinione in genere eſt, Patrem Filio omnem hanc poteſtatem dediſſe, propterea quod, *cum in Dei forma fuerit, nec rapinam duxerit æqualitatem cum Deo, ſe ipſum eousque demiſerit, ut ſumpta ſervili forma factus ſit hominum ſimilis, & obediens usque ad mortem.* Phil. II: 6--11. attamen digitum ſimul ad Dan. VII. intendi, & vim tituli *Filii hominis* tacite inſinuari in illo loco Dan. exiſtimaverim, cum utrobique de eadem dignitate, Filio Dei tanquam Filio hominis concedenda, agatur. Nec dubitaverim, quin Matth. XXIV: 30. XXVI: 64. eodem reſpiciatur. Effícta quoque eſt ſpecies auguſtæ perſonæ Ap. I., quæ Johanni adparuit, ad hanc noſtri loci imaginem, & eam Ezech. I., ubi *Filio hominis* quoque adſimilatur. 2. Characterem Meſſiæ quoque præſtat, quod *cum nubibus coeli* dicatur venire: quemadmodum ex Matth. XXIV. & XXVI. modo citatis, & Act. I: 9. aliisque locis, conſtat. Quid? quod *ſignum* Filii hominis Matth. XXIV: 30. adpelletur, cum *nubibus coeli*, & Divinæ Majeſtatis ſignis, adparere. De quo mox. 3. Tertius character eſt in *obedientia populorum*, & omnium nationum ac linguarum ſubjectione, ſitus, ubique in verbo Prophetico obvius, Gen. XLIX. Jeſ. XI. & XLIX. Pſ. II. & alibi ſæpe. 4. Addatur, non niſi Meſſiæ competere honorem, quem populi terræ *Filio hominis* deferrent vſ. 14. *Et ipſi dedit dominium, gloriam & regnum, & omnes populi, nationes & linguæ ei ſervient.* Verbum פלח in codice ſacro non niſi de cultu religioſo uſur-

uſurpari, recte notavit Gejerus. Idem itaque eſt, quod Phil. II. 10, 11. & alibi de divino Meſſiæ honore habetur.

§. V. Hi, licet expreſſi ſint Meſſiæ characteres, facere tamen non potuerunt; ut omnes in eo conſenſerint Interpretes. Nonnulli enim, ſive perverſis ducti hypotheſibus, ſive aliquibus difficultatibus, quas Viſum ſuggerit, moti, oculos a Meſſia abduxerunt, & in *populum ſanctorum* fixerunt, Filium hominis non Meſſiæ, ſed Sanctorum, ſeu regni Meſſiæ ſubditorum, imaginem gerere exiſtimantes. Quorum præcipui ſunt Cl. Coccejus & Jungmannus. Quibus tamen præivit inſignis Script. commentator J. Launæus; licet in ea opinione non auſus fuerit pedem figere. Nata eſt hæc opinio partim ex hypotheſi de *permanente dierum* emblemate Filii Dei, partim ex Filii hominis adductione ad Judicem cum *nubibus coeli*, partim ex Angeli expoſitione, quae *ſanctis* & *populo* ſanctorum regnum fuiſſe traditum habet. Quae ſubleſta ſunt fundamenta. Hypotheſis, Judicem eſſe ipſum Dei Filium, tantum abeſt ut demonſtret, ut potius deſtruat eam ſententiam. *Patrem* enim, & non *Filium*, per *antiquum*, vel *permanentem dierum*, eſſe intelligendum, ex ſuperiore Diſſert., ni fallor, clare eluceſcit. Reliquis difficultatibus ſequens explicatio ſatisfaciet. Quare ad eam mox pergo.

§. VI. Adpellatur itaque Meſſias 1. *Filius hominis* cum humanæ naturæ reſpectu, quam indueret, tum ad qualitates regiminis ejus depingendas. Humana natura hic expreſſe memoratur, non tantum quod regnum non niſi homo factus capeſſeret & adminiſtraret, ſed & quod per hanc ipſam demiſſionem & humiliationem ſuam jus ad regnum acquireret. Phil. II. Joh. v: 27. Quæ nota ſunt. Sed, cum reliqua Regna ſub *ferarum* emblemate fuerint exhibita, quintum vero *filio hominis* dandum eſſe dicatur; Regis regnique hujus longe diverſas & oppoſitas fore qualitates, clare ſimul inſinuatur. Quantum a *ferarum* indo-

le

le & agendi ratione diſtat *humana*, tantum inter regna mundi & Meſſiæ foret diſcrimen. Regnum itaque ob oculos ponitur *juſtitiæ*, *æquitatis*, *libertatis & pacis*. Quæ propria ſunt regni Meſſiæ criteria. Jeſ. XI. Pſ. LXXII. Zach. IX. & alibi ſæpe. Sed quid ſibi vult, quod non *Filius*, verum *ſicut Filius hominis*, כבר אנש, adpelletur? Nonnullos ad id obhæreſcere potuiſſe mirum eſt; cum ipſe Filius, homo jam factus, hic non comparuerit, ſed, ut viſi natura poſtulabat, ejus repræſentatio & imago. Non erat, ſed videbatur Filius hominis, inſtar ejus aliquis in ſcenam prodiit, qui Filium Dei in carne manifeſtandum expinxit. Quemadmodum Ap. I: 13. quendam ὅμοιον *ſimilem Filio hominis* vidit Johannes, quem tamen nemo Chriſtum fuiſſe dubitat. Repræſentatur vero hic tanquam *Filius hominis* propter modo prolatas rationes.

§. VII. 2. Vidit porro Propheta hanc perſonam, quæ *hominis* præferebat ſpeciem, *nubibus coeli* veſtitam ad Permanentem Dierum *tendere* & *coram eo ſiſti*. Quæ aliquid habent impediti, cum, *unde* venerit Filius ille hominis, non addatur. Dubium itaque relinquitur, num de cœlo in terram deſcendiſſe, an de terra in coelum adſcendiſſe, Danieli fuerit viſus. Forte neutrum vidit, ſed Filium hominis *recta* ad Judicem, pro tribunali ſedentem, absque ut obſervaverit *unde*, tendentem. Quod mihi verius videtur, cum quod textus nihil de loco, *a quo*, habeat, tum quod verbis utatur propheta, *venire* & *tendere*, vel adtingere, quæ nec adſcenſus nec deſcenſus intellectum præbent, ſed *recta* pergentem depingunt. Quo etiam facit, quod verbum אתה *venire*, inopinati adventus, quo quis vel quid *ſupervenit*, poteſtatem involvat, ut Cl. Schult. ad Job. III: 25. obſervavit; quod & huc bene quadrat, & ex vocula *ecce* confirmatur. Atenim, cum hæc perſona Danieli nec opinanti ſeſe obtulerit, absque ut *coelitus* eam veniſſe adverterit, illud quidem indicio eſt, de *adventu* ejus in terram hic non agi, nec tamen *coeleſtem* ejus ortum

ortum in dubium vocat Poterat enim de *coelo* ante veniſſe, quam Daniel obſervaverit, imo quam ad permanentem dierum ſeſe contulerit. Indicium quoque cœleſtis ortus ſuppeditat, quod *cum nubibus coeli* venientem viderit Propheta. Licet enim *coelitus* eum viſum fuiſſe venire illud non evincat; attamen coeleſtem, & non terreſtrem, fuiſſe perſonam haud obſcure indicat. Nubibus coeli amictum incedere, ut hic Filius hominis fuit viſus, cœleſte ejus domicilium, & originem humana majorem, clare teſtatur. Venit itaque de cœlo, ſed ad regnum capeſſendum non, niſi poſteaquam in terra jam verſaretur, tanquam Filius hominis, perrexit.

§. VIII. De quo itaque adventu Filii hominis, ſi de *deſcenſu* in terram ſermo non fiat, hic cenſebimus agi? de eo, ni fallor, qui cum regni poſſeſſione conjunctus eſt. Cujus manifeſtum eſt in ipſo viſo criterium. Vidit enim Propheta Filium hominis recta ad permanentem dierum ſe conferentem, ut regnum adipiſcatur; præterea eum *ſiſti* animadvertit coram Judice ſupremo, & denique *ei* dari dominium & regnum. Quæ dubitare non ſinunt, quin de illo hic agatur adventu, quo a Patre *juſtificatus*, & *regno* eſt donatus. Huc enim nos manifeſte ducit 1. quod *adductus* dicatur coram Deo. 2. tanquam pro tribunali ſedente, adeoque Judicis perſonam ſuſtinente. 3. quod a Deo Judice ipſi *datum* ſit regnum. Hæc qui ad animum revocaverit, & cum implemento, ſeu hiſtoria Euangelica, comparaverit, de alio cogitare non poterit *adventu*, ac quo in coelum ſublatus, & ad dextram Patris collocatus eſt. Verum quidem eſt, nihil hic de adſcenſu in coelum, nihil de ſeſſione ad dextram, occurrere: ſed, præterquam quod ſedere ad dextram & *regnare*, quod expreſſe memoratur, idem ſit, adeoque *ſeſſio* ad dextram, non nomine, ſed re exprimatur, cum regnum ipſi dicitur datum; *adſcenſus* in *coelum* cum viſo non erat conjunctus. Thronos enim in terra erigi, & permanentem dierum ſedem ibi ca-

peſſere, viderat Daniel: cui viſo congruenter Filius hominis ipſi non poterat adparere coelum adſcendens, ſed debebat ad Judicem accedens. Cum vero id, quod Danieli per viſum in terra adparuit, in coelo fuerit factum, ubi Deus *thronum* cenſetur habere: Meſſiam, quem ad thronum Dei vidit adpropinquare, in coelum fuiſſe evectum, nihil habet a viſi intellectu alieni. Anſam de adſcenſu, in implemento locum habituro, cogitandi quoque ſuscitare aptum eſt, quod, ne de throno Judicis forte ſupra terram evecto dicam, *nubibus coeli* fuerit adductus ad Judicem. *Nubium* enim comitatus ſicut cœleſtem ortum, ut modo obſervavi, ita ſimul cœleſtem regni ſedem ob oculos ponere poteſt, ne de terreſtri Rege & regno cogitaremus. Quod itaque Daniel per viſum vidit in terra peragi; illud *nubium* emblema, in cœlo reapſe eſſe præſtandum, indicat. Cui robur accedit ex circumſtantiis adſcenſus Domini noſtri in cœlum, Act. 1: 9. ubi *nubes* exſerte memoratur eum oculis Diſcipulorum ſubduxiſſe, & cœlum verſus extuliſſe.

§. IX. Ex dictis elucefcit, adventum Meſſiæ ad Patrem in cœlum, & primordia Regni ejus, non ultimam ejus periodum ſub finem ſeculorum, ut multis videtur, hic repræſentari. 1. Quia hic ad patrem adduci, & ab eo, tanquam Judice, accipere regnum, proponitur. Quod in primam, & non ultimam, regni epocham quadrat. Ad dextram enim Patris collocatus, & rex ac Dominus factus, ipſe non ad Patrem tendit, ſed cum majeſtatis ſuæ demonſtratione, in terram venit, ad populos, ſibi a Patre datos, ſubigendos. Tota ſcena ad initium Dominii & Regni exhibendum inſtructa eſt. 2. Quia introductio Meſſiæ in regnum connectitur cum Judicio Dei in regna hoſtilia, ante Meſſiæ adventum deſtructa, ut ex ſuperioribus conſtat. 3. Phraſes, in Euangelio obviæ, quibus *poteſtas ipſi data* dicitur, poſt reſurrectionem, *in coelo & terra* Matth. XXVIII. *Rex & Dominus factus* Act. II.

nomen

nomen ſupra omne nomen accepiſſe, Phil. II. & quæ aliæ ſunt, ulterius illuſtrant & confirmant.

§. X. Hæc licet ita ſeſe habeant, inaugurationem tamen divinam & cœleſtem, qua Meſſiæ poteſtas data eſt omnis in cœlo & terra, ipſe Rex & Dominus conſtitutus eſt, non tantum, ſed una occupationem regni, & populorum ſubjectionem, hic comprehendi, notari velim. Quæ duo, etſi intervallo temporis diſtant, & occupatio regni per totum orbem non niſi per gradus ſucceſſive, & inter varia fata Eccleſiæ Chriſti, facienda eſt; in viſo tamen tanquam conjuncta & connexa ob oculos ſunt poſita: de quo poſtea fuſius diſſeram. Cujus rei indicium eſt, cum, quod *datio* regni & gloriæ ac adorationis omnium gentium & nationum mox ſubjungatur, verſ. 14.; tum, quod *cum nubibus coeli* adparuiſſe dicatur. Nubium comitatus, quo ad Patrem adſcendit Meſſias, ut vidimus, & hiſtoria Act. I. 9. exſerte tradit, eo collineat, ut Meſſiam, partim omni humilitate & vilitate, quam inter homines circumtulit, depoſita, inpoſterum cum divinæ Majeſtatis ſignis eſſe adpariturum, partim regnum eo ipſo tempore erecturum & poſſeſſurum eſſe, eluceſcat. De quo cum illud teſtatur, quod, quoties ad Judicis vel Regis munus exſequendum, & regnum condendum vel firmandum venire, toties *cum nubibus coeli* advenire dicatur, Matt. XXIV. & XXVI. Act. I: II., tum etiam, quod *ſignum Filii hominis* adpelletur, Matth. XXIV: 30. *Ac tum adparebit in coelo ſignum Filii hominis. Tum vero plangent omnes terrarum nationes, videbuntque Filium hominis venientem in nubibus coeli cum multa potentia & gloria.* Ubi, quod initio verſus *ſignum Filii hominis* adpellatur, mox in ſequenti per advenire in nubibus cum Divinæ Majeſtatis demonſtratione explicatur; argumento, in eo ipſo hoc *ſignum* eſſe ſitum. De quo nunc plura non dicam. Illud non poſſum, quin hac occaſione obſervem, hoc ipſum fuiſſe *Signum*, quod Judæi a Chriſto poſtularunt, reliquis ejus miraculis

 non

non contenti, & propter quod, ipſis eo tempore negatum, Chriſtum pertinaciter repudiarunt. Vid. Matth. xvi. 1. Marc. viii: 11. Luc. xi: 29. 1 Cor. i: 22. Judæi recte ex verbo Prophetico, noſtro inprimis vaticinio, collegerant, Meſſiam, Regem totius mundi futurum, regali & divina magnificentia fulgentem adparituram. Sed graviter errarunt, cum quod terreſtrem, & regibus humanis propriam, requiſiverint pompam, tum quod œconomias vel ſtatus Meſſiæ non diſtinxerint. Signum illud ſplendidum, quod Mesſiam ambiret, non niſi poſt humiliationis tempus abſolutum, & exaltationem in cœlum, oculos præſtringeret. Quo Chriſtus reſpicit Matth. xxvi: 64. ubi a Pontifice adjuratus, ſitne Mesſias & Filius Dei? palam proferret, in hæc verba respondet. *Ab hoc videbitis Filium hominis ſedentem ad dextram potentiæ, & venientem in nubibus coeli:* acſi diceret, petiiſtis ſemper *ſignum*, ſed ad hoc tempus usque aliud vobis non eſt conceſſum, ac quod Jonæ typus exhibet, Matth. xvi: 4., verum brevi poſt in oculos veſtros incurret *ſignum* illud ſplendidum & magnificum, ex quo, me eſſe Mesſiam & regem mundo datum, adparebit.

§. XI. Interpretibus oculos a Mesſia ad populum Sanctorum flectendi inter alia occaſionem præbuiſſe explicationem Angeli, *Sanctos* tantum, quibus regnum datum *eſt*, memorantis vſ. 18, 22, 27. ſupra obſervavi. Qui ſcrupulus ut e medio tollatur, ſimul regni *conſortes* in lucem proferantur, notari velim, α. Sanctos non eſſe in genere & ſimpliciter cives, β. Viſum, ejusque explicationem, ſecum componi, & ad mutuam illuſtrationem adcommodari debere. α. Sanctos, quibus Regnum in populos terræ daretur, non eſſe in genere qualescunque regni Mesſiæ ſubditos, ſed primarios ejus miniſtros, & regni aliqua ratione conſortes, ſequentes comprobant rationes. 1. Quia *regnum* in nationes mundi ipſis *datum* dicitur; adeoque, cum mundi populi regnum conſtituant, ſintque cives & ſubdi-

ſubditi; illi, quibus hoc regnum fuerit conceſſum, eorum numero ſint exempti, & peculiares habeant ad regni adminiſtrationem relationes, neceſſe eſt. 2. Quia, quod in viſo Daniel *filio hominis*, concedi viderat, illud ipſum in explicatione ad *Sanctos* adplicatur, argumento, ſanctos in conſortium regis admiſſos intelligi. 3. Quia cum Angelis comparantur & cœli incolis, adeoque, ſicut illi primarii ſint miniſtri, in dignitate ſublimiore poſiti, ita & *Sancti*, quibus regnum donaretur, ejusdem oportet ſint conditionis, & eundem vel ſimilem prætulerint conſpectum. Sic vſ. 17. *ſancti altiſſimorum*, id eſt, Angeli; ut Diſſ. vi. §. 8. demonſtravi, adpellantur; & vſ. 22. cum iis conjunguntur; denique vſ. 27. עם *populus*, proprie *communitas*, *ſanctorum Altiſſimorum*, vel *Angelorum*. Populus ſanctorum vel ſancti ſunt, unum in corpus communitatis *revincti*, quæ propria eſt vocis עם poteſtas, de quo vid. Cl. Schult. ad Har. conſ. vi. p. 248., vel, qui *ſelectam* populi partem conſtituunt. Quem uſum vox עם habet Job. xii: 1. *Sane vero vos eſtis* עם *populus*, *& vobiscum morietur ſapientia*, ut notavit Cl. Commentator, modo laudatus: quemque reddiderim 1 Sam. ix: 24. ubi Samuel, rationem reddens, quare armum ſeponi curaverit, dicit, העם *populum invitavi*, id eſt, præſtantiſſimam populi partem, Saulum ſcilicet, hoc ſigno honorandum, tanquam Regem Iſraëlis futurum. 4. Addi poteſt, Maccabæos, quibus hi Sancti reſpondent, ut pote ex quibus, tanquam ex *lapide* rupes, nascerentur, qui regnum per orbem participarent, eodem nomine venire verſ. 21.; & cum *ſtellis* comparari cap. xii: 3.

§. XII. Difficile nunc non fuerit, hos Sanctos demonſtrare, qui peculiarem ad Meſſiam habent relationem, tanquam primarii regni ejus miniſtri, & regiminis ſocii. Apoſtoli enim, ſicut *Angeli* eorum *conſervi* dicuntur Ap. xxii. 9. ita *thronis inſidere*, *judicantes duodecim tribus Iſraëlis*, *una cum Chriſto* Matth. xix: 28. Quod ipſum Domi-

nus primo & directo ſenſu Luc. xxii: 29, 30. his verbis declarat. *Sicut Pater mihi diſpoſuit regnum, ita ego vobis diſpono; ut edatis & bibatis ad menſam meam in regno meo, & ſedeatis in thronis judicantes duodecim tribus Iſrael.* Quæ oratio, tota figurata, Apoſtolorum cum ſupremam in Eccleſia poſt Chriſtum *auctoritatem*, tum ſingularem *prærogativam*, qua primarii forent Chriſti miniſtri & vicarii, complectitur. Quo etiam facit, quod *claves regni cœlorum* cum poteſtate *claudendi* & *aperiendi*, id eſt, credenda & facienda præſcribendi, ipſis ſolis fuerint commiſſæ, Matth. xvi: 19. xviii: 18. Joh. xx: 23. Quam perſonam Apoſtoli, tanquam infallibiles Doctores, ſupremi rectores & judices, dum inter homines fuerunt, præclare geſſerunt, geruntque per *verbum*, ab ipſis relictum, per omnia tempora. Quæ hic latius deduxiſſe nihil adtinet.

§. XIII. β. Hoc rite percepto, Viſum, quod *Filium* hominis, & explicatio Angeli, quæ *Sanctos* memorat, amice conſpirant. Cum enim *Sancti* eodem in throno cum *Chriſto* conſidere dicantur, ut modo vidimus, adeoque ſint ejus σύνθρονοι & πάρεδροι, quibus titulis homines, in conſeſſum Deorum adſumpti, venire ſolent apud Gentiles: eos ſub *Filii hominis*, & hunc rurſus *Sanctorum* nomine, comprehendi poſſe, haud difficulter cernitur. Filius hominis in ſcena comparens ſicut Chriſtum, regem & caput, expinxit, cui regnum proprie competit, ita *Sanctorum*, qui cum ipſo regnarent, perſonam ſimul ſuſtinet quam aptiſſime. Quod tam late extenditur, ut, quod Sanctis ſeu Eccleſiæ ejus accidit, illud & ipſi fieri dicatur, quemadmodum *caput* corporis fata ſibi vindicat. Ita Chriſtus ad Saulum, *quid me perſequeris?* Act. ix. Quod variis in prophetiis, ad Chriſtum & Eccleſiam pertinentibus, quoque obtinet: in quibus de Chriſto & corpore ejus, Eccleſia, tanquam de *una perſona* mentio fit. Imo titulo *ſeminis mulieris* Gen. iii. & *Filii hominis* Pſ. viii. Chriſtus & Sancti ejus comprehenduntur. *Filius* vero *hominis* in

Viſo

Viſo tantum memoratur, quia ipſius proprie eſt regnum, nec cum aliis, niſi ab ipſo & cum ipſo unitis, communicandum. Verum in explicatione viſi Angelus *Sanctorum* in genere meminit, regem, *Sanctum Dei* κατ' ἐξοχὴν dici ſolitum Luc. 1: 35. & alibi, & ejus primarios miniſtros, regnique conſortes, una complexus, partim ut de *ſociis* regni Chriſti cogitandi præberetur anſa, partim ut *Filii hominis* emblema ad *qualitates* regni & rectorum eſſe extendendum indicaretur. Cum enim *Filius hominis* in viſo opponatur *feris*; illud & eo collineare, ut, longe diverſæ naturæ hoc regnum Filii hominis fore, oſtenderetur, Angelus *Sanctorum* nomine inſinuatum voluit. Quam ob cauſam nomina *Filii hominis* & *Sanctorum* alternantur, & Sancti rurſus cum *Angelis* permiſcentur, *Sancti altiſſimorum* adpellati.

§. XIV. Perſonis in lucem protractis, quibus *regnum* datum eſt, ipſum Regnum ex *adtributis* & qualitatibus ejus illuſtrare adgredior. Quæ *ſecunda* Diſſertationis pars eſt. Offert ſeſe in hiſce viſis regnum *quintum*, tanquam *cœleſte*, *juſtum* & æquum, *pacificum*, *univerſale*, *perenne* denique & *æternum*. Quæ adtributa eo majorem merentur adtentionem, quod Meſſiæ regnum characterizent, adeoque, non niſi illud hic intelligendum eſſe, clare evincant. 1. *Primum* eſt in *coeleſti* ejus conſpectu ſitum, quo ab omnibus hujus mundi regnis diſtinguitur. Quemadmodum Dominus noſter ad Pilatum ipſis verbis dicit, *regnum meum non eſt hujus mundi* Joh XVIII.; de quo Prophetæ etiam ubique teſtantur, ubi *regnum Dei* adpellant, regni thronum in cœlo collocant, bona quoque & leges ejusdem naturæ deſcribunt. Quæ alibi diſputari ſolent. Cœleſtis & Spiritualis regni indicia ſeſe produnt haud obſcura cum in *comitatu nubium*, de quo ſupra, tum in Filii hominis ad thronum Dei adductione, quæ ſeſſionem in eodem throno involvit, Pſ. cx. Zach. VI., tum denique in eo, quod regna mundi non abolerentur, ſed huic regno ſub-

ſubjicerentur in fide & amore. Sic verſ. 14. regnum Filii hominis in eo ponitur, quod *omnes populi*, *nationes* & *linguæ* ipſum *culturæ* & obſervaturæ, ſeſeque in fide religioſe ſubjecturæ ſint. Clarius verſ. 27., ubi *regna* mundi diſerte memorantur, & ea ipſa regno Sanctorum obſequium præſtitura dicuntur, his verbis. *Et regnum & dominium & amplitudo regnorum ſub toto cœlo dabitur populo ſanctorum altisſimorum; regnum ejus erit regnum æternum, & omnia imperia ipſi ſervient, & obedient.* Supereſſent itaque regna & imperia varia per Orbem, non deſtruenda per regnum Meſſiæ, ſed ſanctificanda, & *legibus* regni Chriſti paritura, Regemque ipſum honoratura & cultura. Quod ex aliis prophetiis, ſi neceſſe foret, confirmari facile poſſet. Vid. Jeſ. LX: 10. Zach. XIV. Ap. XXI: 24.

§. XV. 2. Secundum regni adtributum ejus *juſtitiam* & *æquitatem* complectitur, quam & Rex & ſubditi præſtarent, cuncta ſecundum regiam *amoris* legem agentes; absque ut injuſtitiæ aliquid committeretur. Quod cum per *filii hominis* emblema, in primis relate ad *beſtias* præcedentes, clare expingitur, tum *ſanctorum* titulo, quo Rectores inſigniuntur, indicatur. Concinit univerſum verbum Propheticum, quod de Meſſiæ regno ubique eandem in mentem loquitur. Jeſ. II: XI. XXXII. XXXV: 8. XLIX. LIV. LX. Mich. IV. Zach. XIV. Pſ. LXXII. LXXXV. & alibi ſæpe. 3. Tertium adtributum eſt, regnum hoc *pace* & *ſecuritate* gaviſurum eſſe, absque ut hoſtiles impetus vel pateretur vel faceret. Cujus manifeſtum eſt indicium, cum in titulo *Filii hominis*, oppoſite ad *feras*, tum in voluntaria omnium populorum & regnorum mundi obedientia, huic regno præſtanda. Quod ipſum *montis*, *ex lapide* orti, imago repræſentat. Sicut enim *lapis*, in ſtatuam impulſus, militarem, ita *mons*, inde ortus, pacificum præfert conſpectum. Nec aliter regnum Meſſiæ depingunt Prophetæ, ut ex locis modo citatis nemini non notum eſt: quibus addatur Zach. IX.

§. XVI. 4. Quar-

§. XVI. 4. Quartum adtributum eſt ejus *Univerſalitas* & amplitudo per totam terram; quam viſi, & explicationis ejus, ipſa verba exhibent verſ. 14, 27. ſupra recitata, quibus partim *omnes populi*, *nationes* & *linguæ*, partim *regna* ſub *toto cælo*, regno Meſſiæ ſubjiciuntur; non acſi abolerentur, quod ipſi textui & naturæ regni Chriſti adverſatur, ut modo obſervavi, ſed quod Meſſiæ ejusque regno obſequium præſtarent. Quam latitudinem regni Meſſiæ Rupes in viſo Nebucadnezaris, quæ *totam terram implevit*, cap. II: 35. clare quoque ob oculos ponit. Nec abhorrent aliæ prophetiæ, ubique obviæ, ut Jeſ. II. XI. LX. Zach. XIV. Pſ. LXXII. & alibi. Sic & Ap. XI: 15. *regna mundi* dicuntur *facta Domini noſtri & Chriſti ejus; qui regnabit in ſecula.* Ceterum quousque hæc ſe porrigat *univerſalitas*, ſitne abſolute an reſtricte intelligenda? ante eventum vix pro certo definiri poteſt. Tantum ex Apoc. patere videtur, non defuturos in *angulis terræ* populos, a religione Chriſti ejusque Eccleſiæ alienos, utriusque hoſtes latentes, qui ſtatuto tempore ex latebris erumperent, & Eccleſiam oppugnaturi ſint; ſed ſingulari Dei Judicio deſtruendi. Qui populi *Gog* & *Magog* adpellantur, Apoc. XX. ubi vid. Interpretes.

§. XVII. 5. Quintum & ultimum adtributum eſt *perpetuitas* & *æternitas* hujus regni. Quam ſicut *rupis*, quæ immota & perennis ſtat, emblema repræſentat, ita ipſis verbis prophetia exhibet. Sic cap. II: 44. *Tempore regum illorum ſuscitabit Deus cælorum Regnum, quod in æternum non deſtruetur, & regnum ejus alteri populo non relinquetur. ----- & illud ſtabit in ſecula.* Quibus verbis duo ſignificantur, nec ceſſaturum, nec penes alium populum ejus regimen futurum, ut reliquis regnis mundi contigerat. Quod poſterius verba, *& regnum ejus alteri populo non relinquetur*, denotant. Relativum *ejus*, cum fœmin. ſit in textu, ad nomen *regni* referendum, *regnum* ejus, ſeu regni, pro ejus *gubernatione* hic ſumi manifeſtum, &

ab aliis jam obſervatum eſt. Ita Dan. IV. 28. V: 28. & alibi. Eodem fere modo de *perennitate* & *æternitate* hujus regni teſtatur viſum Danielis c. VII: 14. *Imperium ejus imperium æternum, quod non tranſibit* (ſc. ab eo ad alios,) *& regnum ejus, quod non deſtruetur.* Quod ipſum adtributum regni Meſſiæ aliis in locis Script. obvium, & nemini non notum eſt. De quo alibi diſputari ſolet.

§. XVIII. Supereſt *tertium* Diſſertationis caput, quod de *origine* & *initio* regni *quinti* agit, & ejus *epocham* figit. Quæ magni momenti in rem præſentem eſt diſquiſitio, paulo accuratius pertractanda; unde & hypotheſibus noſtris de hiſce viſis, & multis verbi Prophetici partibus, lumen & robur accedet. Ut autem ordine procedamus, & rem altius repetamus, duplicem regni epocham, ſupra ſuo loco in præcedente Diſſ. propoſitam & demonſtratam, ad animum ante omnia revocari velim, *alteram* per *lapidem* & *tribunal* Divinum, alteram per *rupem* & *Filium* hominis, ob oculos poſitam. Prior epocha eſt regni primordialis & anticipati, poſterior propria ſua natura erecti, cujus *illius* conſpectus eſt *militaris* & *judicialis*, *hujus* vero *regalis* & *pacificus*. De quo ſupra egi. Hic obſervaſſe ſuffecerit 1. regnum Dei ſingulari modo temporibus Maccabaicis erigendum, 2. cum regno Meſſiæ variis modis connexum ſiſti in verbo Prophetico, adeo ut regnum Meſſiæ a temporibus Maccabaicis haud una ratione repeti poſſit.

§. XIX. 1. Deum ab eo tempore, quo Reſp. Judaica cum Religione, tantum quod oppreſſa per impios ex ipſa Gente & Syro-Macedonas, glorioſe & multa inter Majeſtatis Divinæ ſigna inſtaurata, in libertatem pleniſſimam ac ſummam proſperitatem adſerta eſt, quod tempore Simonis Ethnarchæ incepit, *Regnum* capeſſiviſſe, & in medio populi ſui erexiſſe, haud una prophetia diſerte adfirmat. Præcipua hanc in rem loca citaſſe nunc ſuffecerit. Jeſ. XXIV: 23. *Et pudore ſuffundetur Luna, & pudefiet Sol,*

ubi

ubi Regnum capeſſiverit Jehova, Dominus *exercituum*, in *monte Tſione* & *Hieroſolymæ*; & *coram Senioribus ejus erit gloria.* c. XXVI: 13. *Jehova, Deus noſter! alii Domini præter Te imperioſe dominati ſunt nobis. Per Te ſolum commemorabimus nomen Tuum*, nimirum, regis & Domini noſtri ſolius, oppoſite ad imperioſos Dominos illos, nunc loco motos. c. XXVIII: 5. *Illo tempore erit Jehova Dominus exercituum in coronam decoris, & diadema ornatus reliquiis populi ſui.* c. XXXIII: 22. *Quia Jehova Judex noſter, Jehova Legislator noſter, Jehova Rex noſter, ipſe ſervabit nos.* Quæ omnia loca primo & directo ſenſu ad Maccabaica tempora reſpiciunt, ut apud Cl. Commentatorem videre eſt. Eodem etiam pertinet pericopa Ezech. XXXIV: 11--16., quæ Jehovam introducit *Paſtorem*, ſeu Regem & ductorem, populi ſui. Quid clarius verſu ultimo Obadiæ? ubi prophetiæ de Edomo a Judæis ſubigendo, tempore Maccabaico impletæ, ſubjungitur. *Et adſcendent Servatores in montem Tſionis, ad judicandum montem Eſavi; & erit Jehovæ Regnum.* Sic & Mich. II: 13. *Adſcendet effractor coram ipſis discedet* & *evaneſcet* (illud enim hic & alibi denotat עלה hoſtis & perſecutor, Rex Syro-Macedonum, ipſis intuentibus, ſc. Maccabæis) *perrumpent & tranſibunt in portam, & egredientur per eam* (urbes Cananææ occupaturi & repleturi, extra urbes ſe diffuſuri præ multitudine & potentia) *& tranſibit Rex eorum*, expeditionum, quas Maccabæi inſtituerent, Dux & Servator. Mich. V., cum Novæ Oeconomiæ erectio ſub Meſſia vivis coloribus eſſet depicta verſ. 1--4., læta fata Oeconomiæ Vet., quæ hanc erectionem antecederent, & ad ſummum illud bonum, tanquam ſcopum & complementum ſuum ſimul ſpectarent & ducerent, quæque populo contingerent, ordine recenſentur, *α.* in genere vſ. 6--8. *β.* in ſpecie, cum reſpectu temporis præſentis, quo edita eſt Prophetia, verſ. 9, 10. tum futuri paralleli poſt exilium Babylonicum verſ. 11-- fin. Generalis recenſio *tria*

continet promiſſa, poſt exilium illud in primis implenda, *a.* veræ religionis inſtaurationem inter Judæos verſ. 6. *b.* diſperſorum congregationem, & multiplicationem verſ. 7. *c.* Regni Dei renovationem verſ. 7. fin., & verſ. 8. verſ. 7. fin. his diſertis verbis. *Et regnabit Jebova ſuper ipſos, a tunc usque in ſeculum:* verſ. 8. paulo obſcurior ita vertendus eſt. *Et tu, turris Eder, Opbel! Filia Tſionis ad te veniet; imo veniet dominatus prior, Regnum* ſc. *Filia Hieroſolymæ.* Id eſt: Tu, turris & Ophel, denuo frequentaberis, & regia ſede, ut olim, ornanda es; Tſionitæ ad Te frequentes venient, & antiquum regnum in Te conſpicuum fiet. Mons ſeu clivus *Opbel* eſt pars Tſionis Orientalis, Templo ad meridiem adjacens, in quo a Salomone exſtructum fuit *palatium regium, domus ſaltus Libani* dictum, in quo erat armamentarium regis Jeſ. XXII: 8. Neh. III: 25. *Turris* עדר *Eder* fuiſſe videtur Specula alta iſtius Palatii regii in Ophel, quæ בחן *turris*, vel Specula exploratoria, dicitur Jeſ. XXXII. 14. nec non turris inſignis & alta, quae ex domo regia ſuperiore, nim. in Ophel, egreditur, Neh. III: 25. 27. a *frequentia* hominum *turris gregis*, vel quia ſpeculatores ibi in *acie* quaſi *ſtabant*, quem ſignificatum verbum Hebr. habet, ſic dicta. Videntur Prophetae ob oculos fuiſſe verſata verba Jeſ. XXXII: 14. ad calamitatem, a Chaldaeis infligendam, pertinentia: *nam palatium miſſum factum eſt, turba urbis derelicta: Opbel & exploratoria ſpecula erunt pro ſpeluncis in ſeculum.* Huc reſpiciens Propheta Hieroſolymam eſſe inſtaurandam, ſedemque Regni rurſus futuram, hic declarat. Conf. Cl. Vitringa ad Jeſ. l. c. Ceterum, quod in rem noſtram facit, phraſis, *ad Te veniet dominatus prior*, nos omnino ad illud regnum, quod antiquis temporibus inter Israëlitas ante *Reges* introductos fuit, ducit, adeoque Regnum ipſius Dei, tempore Maccabaico renovandum: ut ex verſ. praecedente liquet. Conf. Zach. XII: 7. Eodem etiam pertinent Odae, quae de Deo tanquam Rege, & regno Dei

Dei in medio populi ſui, luculenter agunt, Pſ. XCIII. & ſeq.

§. XX. Regni Dei ſigna eo tempore conſpicua fuerunt 1. in ſacris Maccabæorum expeditionibus, ad Remp. & Eccleſiam vindicandam & inſtaurandam, ſub auſpiciis Dei, multis cum ſingularibus Majeſtatis Dei, tanquam regis populi Judæi, ſignis: de quibus in ſuperiore Diſſ. dixi. Quemadmodum itaque tempore Joſuæ & Judicum Deus ſeſe Regem & ſupremum ducem præſtitit, ipſeque *Regnaſſe* dicitur, ſic eodem plane ſenſu temporibus Maccab., nondum regno humano inter eos erecto. Rediit itaque *Dominatus prior* ad Israëlem, & Jehova *thronum* in medio ejus erexit. 2. Quocum proxime conjunctum eſt, quod, regia regiminis forma nondum introducta, Rectores populi fuerint *Duces & Sacerdotes*, perſonæ Deo ſacrae, & a Spiritu ejus ductae, ut olim, ſub Eli inprimis & Samuele. Quod Joſuae Pontifici praedictum & promiſſum fuit Zach. III: 7. nec non Jeſ. XXIV: 23., ubi *coram Senioribus ejus* (Dei) *gloria* dicitur futura. Cujus regiminis ſpecies in *Synedrio* fuit, hoc tempore nato, quod poſtea, non obſtante forma regiminis *regia*, ad quam prolapſi ſunt Maccabæorum poſteri, ſemper continuavit; in quo *Seniores* & perſonæ ſacræ jus dixerunt ſecundum præſcriptum legis. 3. Denique ſeſe Regnum Dei oſtendit in *libertate* populi, ab omni peregrino dominio nunc demum liberati; in *ſacrorum* exercitio, ſummo ſtudio hac periodo Maccabaica facto; in *Spiritus S.* operationibus, uberiore copia conceſſis, *ad virtutem* Heroicam, *Legis* ſtudium, & *revelationes* immediatas, in Odis hoc tempore compoſitis, & futurorum revelationibus conſpicuas. Vid. Cl. Vitringa Obſ. S. l. VI. c. 8. & ſeq. in *glorioſo* denique & *proſpero* Reip. & Eccleſiæ *ſtatu;* quo nomen Dei, tanquam Regis populi Judæi, fuit inter Gentes celebratum, & populus Judæus, tanquam Dei populus & Eccleſia, agnitus & honoratus. Deus itaque, qui populi

curam aliquandiu abjeciſſe videbatur, nunc ſeſe rurſus *Regem* & *Dominum* demonſtravit; eoque ſenſu *regnum* denuo capeſſiviſſe dici poteſt.

§. XXI. 2. Hoc *Dei* inter Judæos *Regnum*, longiſſimo tempore variis modis partim obſcuratum, partim interceptum, nunc ad antiquam formam, quam ſub Judicibus ante Regnum introductum habuit, renovatum, non quidem ipſum *Meſſiæ* fuit regnum, attamen haud uno vinculo arctiſſime cum eo colligatum, ita ut primordia Regni Meſſiæ inde repeti queant. Quod clariore luce donandum eſt. α. Regnum Dei, temporibus Maccabaicis erectum, pro Meſſiæ regno, proprie dicto, habendum non eſſe, in obſcuro non eſt. 1. Meſſias, ſive potius Filius Dei, non Regis, ſed Dei, tanquam Regis, *Legati* perſonam, ut antea per Oeconomiam Veterem, adhuc geſſit. Quare *miſſus* & *Angelus Jehovæ* adpellari ſolet, de quo alibi disputatur. Sic Dan. XII: 1. *Illo tempore ſtabit Michaël*, *Princeps ille Magnus*, *qui ſtat a Filiis populi tui.* &c. qui ipſe eſt, quem Script. *Angelum Jehovæ*, ſupremum exercitus Dei & populi ejus ducem & præfectum, adpellat. Quam perſonam exuit, *Dominus & Rex factus*; poſt exaltationem ad dextram Patris. 2. Regnum Dei hoc etiam tempore fuit *externum*, *legale* & *typicum*; cum Chriſti ſit internum, Spirituale & verum. 3. Regnum Dei tulit quoque conſpectum *militarem* & *judicialem*, quo *armis* ſe vindicavit & tutatum eſt, hoſteſque vi & bello ſunt ſubacti, & oppreſſi. Quæ facies a Chriſti regno eſt aliena. 4. Regnum Dei unius intra populi limites ſeſe hoc etiam tempore continuit; cum Chriſti ſit univerſale, per totum orbem: ut ſupra vidimus.

§. XXII. β. Verum, quemadmodum *lapis*, & *rupes* inde orta, ſecum differunt, ſimul arcte ſecum cohærent; ita res ſeſe habet cum regno Meſſiæ, cujus arctus eſt cum regno Maccabaico nexus, paucis explicandus. 1. Rex, rectores

rectores ſubalterni, & populus originalis, iidem in utoque regno ſunt; perſonis, quas præferunt, tantum mutatis. Idem, qui tunc Angelus, nunc Rex eſt ſupremus, Meſſias & Filius Dei. Rectores & populus ſunt ex eadem ſtirpe & gente; ſed heroës myſtici, & populus Judæus in Spiritu, & non tantum carne. Eccleſia Chriſti Originalis, cui regnum hoc competit, eſt Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti ex Judæis, in ipſo monte Tſionis Hieroſolymis etiam fundata, quæ *mater* eſt univerſalis Chriſti Eccleſiæ. Quæ nemini non nota ſunt. 2. Continuavit etiam eadem religio, quod ad eſſentiales ejus partes adtinet, accidentalibus tantum & heterogeneis Veteris Eccleſiæ abolitis & immutatis. Adeoque regni Meſſiæ, quod eſt religioſum & ſacrum, idem manſit eſſentialis character. Idem nunc, quod olim, eſt cultus objectum, eadem officia fidei & amoris eſſentialia; eadem *bona* &c. 3. Regnum Maccabaicum Regno Meſſiæ varie *præluſit*, & *viam* ad illud condendum paravit; ſimul eo collineavit, ut in illud exiret, ſicut *lapis* in *rupem*, inde ortam. Quo pertinet *a.* quod regnum Meſſiæ tanquam in imagine exhibuerit conſpiciendum, ejusque typus vel emblema fuerit. Cujus indicium eſt in Maccabaicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ permixta deſcriptione apud Prophetas; qui, in temporibus Maccabaicis depingendis verſati, ſtylo ita indulgere ſolent, ut Apoſtolicæ ſimul ducant lineas. Quo nihil vulgatius eſt & teſtatius in verbo Prophetico. Cujus rei criterium eſt partim in phraſibus, ceteroquin nimis hyperbolicis & magnificis, de Eccleſia Maccabaica, partim in *aeternitate*, regno Maccabaico adtributa, Mich. iv: 7. & alibi. Nec longe quærenda foret utriusque Eccleſiæ, typicæ & antitypicæ, comparatio, ſi illud nunc ageretur. Maccabæi & Apoſtoli, utrorumque expeditiones ad Eccleſiam in libertatem adſerendam, religionem ſtabiliendam, idololatriam e medio tollendam, regnum Dei vel religionis condendum & propagandum, denique

earum

earum ſucceſſus, & regni vel Eccleſiæ inſtauratio, ac ſtatus, ſibi non male reſpondent.

§. XXIII. *b.* Nec abhorret, tempora Maccabaica proximum prætuliſſe *ſignum* inſtantis adventus Meſſiæ & regni, ab ipſo condendi; adeo ut ultimum fere fuerit *ſignum temporis*, quod Meſſiam antecederet; cum quia Meſſiæ adventus in verbo Prophetico huic adligari ſoleat, tum quia ultimum fuerit fatum, quod Eccleſiæ Judaicæ ante Meſſiam contigit. Adnectitur vero tempus Maccabaicum adventui Meſſiæ in verbo Prophetico varia ratione, vel enim immiscetur ille adventus rebus ad Eccleſiam Maccabaicam pertinentibus, acſi eodem tempore repræſentaretur Meſſias, ejusque regnum, vel in ordine fatorum Eccleſiæ Judaicæ proxime ſubnectitur, vel in ſerie ſucceſſionis regnorum vicinorum adligatur regno Syriaco & Aegyptiaco, a fini & termino ſuo proximo. Quod hic quoque fit, ut Hagg. II. Zach. VI. Jeſ. XI. & alibi.

§. XXIV. *c.* Periodus Maccabaica denique *viam* ad Meſſiam ejusque regnum ſtravit; plane ſicut lapis ad petram, & tribunal Judiciale ad regnum Filii hominis. Quod adcuratius mereretur explicari: ſed paucis defungar, *modum*, quo viam fecit, digito adtingendo. Huc pertinet 1. regnorum culti & noti orbis ſub uno capite conjunctio, ſeu eorum deſtructio & uni populo ſubjectio, ut liberior euangelii eſſet per orbem curſus. De quo in præcedente Diſſ. me dixiſſe memini. Quod factum eſt per Imperium Romanum. 2. Judæorum per orbem diſperſio hoc etiam præcipue tempore facta: quæ fecit, ut ubique terrarum Synagogæ fuerint erectæ, & Euangelii præcones, qui & ipſi Judæi, ubique occaſionem acceperint illud adnunciandi. 3. Proſelytorum, qui majore minoreve gradu ſeſe Eccleſiæ Judaicæ adjunxerunt, ingens per varias orbis partes numerus: qui ſicut veræ religionis propagationi per orbem præluxit, ita ſimul orbem aliqua ratione ad Euangelium, non niſi repurgatam & reformatam religionem

gionem Judaicam continens, præparavit. Quæ etiam ratio eſt, quare converſionis Gentium primordia ab hoc ipſo tempore repetantur in verbo Prophetico, complenda ſub Meſſia, Jeſ. XIV: 1. XLIII: 19. *ecce facio novum*, NUNC *efflore ſcet*. LVI: 3. &c. Zach. 11: 15. VIII: 22, 23. 4. Synagogarum multitudo, & cultus Religionis in iis exerceri ſolitus, cui Spiritualis Religio Euangelica proxime conveniebat, multum ad animos a carnali cultu legali abſtrahendos, & Spiritualem adoptandum, tribuere poterat. 5. Addere liceat Legis & Prophetarum ſtudium inter Judæos tunc temporis ſuſcitatum: quo factum eſt, ut cum ſaniores accipere potuerint, acceperint etiam nonnulli, de vera Religione, a virtute & Legum moralium obſervantia non ſeparanda, & ejus fructu, non temporali tantum, ſed & æterna felicitate, cogitationes, tum in ſpem & exſpectationem meliorum temporum ſub Meſſia, haud longe remotorum, venerint, vel venire potuerint. Unde generalis fere Meſſiæ nata eſt exſpectatio, quæ pios tenuit, & fama, quæ vulgo percrebuit. De quo multis diſſerere poſſem.

§. XXV. 4. Arctiſſima denique utriusque Regni, Maccabaici & Chriſtiani, relatio in eo eluceſcit, quod hoc illius fuerit *fundamentum*, *ſcopus* & *complementum*. Quod verbo in luce eſt collocandum. *a*. Beneficia, in Eccleſiam Judaicam tunc collata, *fundamentum* in Oeconomia Chriſti habuerunt, non tantum, quia cuncta favoris Dei erga homines ſigna & effecta ad Chriſtum, tanquam cauſam meritoriam, referenda ſunt, cui acceptum ferendum eſt, quod Deus mundo corrupto, ſalva ſanctitate & juſtitia ſua, benefaciat; ſed in primis, quia populi Judaici a reliquis Gentibus ſeparatio, continua liberatio, & exaltatio, multiplexque benedictio, ad Meſſiam, tanquam ſemen Abrahæ, in quo ſibi Gentes benedicerent, ex hoc populo oriturum, adeoque cauſam favoris Dei erga eum, reſpexerit. Quam ob cauſam *omnia Dei promiſſa* in Chriſto dicun-

tur *nae* & *amen* 2 Cor. I: 20. tota quoque Oeconomia legalis, ad Deum placandum & gratiam ejus impetrandam inſtituta, vim & virtutem omnem a Chriſti obedientia & ſacrificio derivavit; ut aliunde notum eſt. Quæ etiam ratio eſt, quare promiſſum de Meſſia in verbo Prophetico nonnunquam ſigni loco, ex quo populus de ſingulari aliqua liberatione certior fiat, proferatur, ut Jeſ. VII: 14.: ubi *Immanuël ex Virgine* naſciturus, tanquam ſignum liberationis Hieroſolymæ a Syris & Ephraimitis, ob oculos ponitur, non eo tantum ſenſu, quem nonnulli Interpretes jam viderunt & illuſtrarunt, quod æque certum ſit promiſſum, a propheta tunc factum, ac illud de Meſſia, ſed in primis, quod Meſſiæ manifeſtatio pro cauſa & fundamento ejus habenda ſit. Qui Meſſiæ conſpectus in cauſa quoque eſt, & ex eo firmatur, quod I. mediis promiſſis temporalibus inſeratur, ut Joël. II: 23. 2. promiſſo de liberatione ab exilio Babylonico ſæpe ſubjungatur; 3. fatis lætioribus, quæ populo poſt illud exilium acciderent, præmittatur, Mich. V: I. &c. Zach. IX: 9., coll. 13. imo, ne dubii aliquid ſuperſit, ipſis verbis Mich. V: 2. Meſſiæ cauſa id fieri adſeritur. Cum enim de Meſſia, ſupremo populi Duce, Bethlehemi naſcituro, Propheta fuiſſet vaticinatus verſ. I.; mox in hæc verba pergit verſ. 2. *Propterea dabit illos, donec paritura pepererit* &c. Senſus eſt ex mea opinione: propterea quod Meſſias ex hoc populo naſciturus ſit, ad illud uſque tempus, donec Eccleſia, nunc ſterilis, fide tamen promiſſis nixa gravida, produxerit ſemen promiſſum, Jeſ. LIV., Deus *dabit illos*, id eſt, faciet, ut ſint, maneantque, qui ſunt, oppoſite ad excidium & exilium. Emphaſis eſt in relativo *eos*, *dabit eos*, quæ dicit, eſſe *eos* faciet, convenienter ſcilicet ſtatui & relationibus eorum, ut ſint ii, qui eſſe debent. Sic Gen. XVII: 20. *Dabo ipſum gentem magnam*, id eſt, faciam, ut ſit gens magna. Poſſem hunc Meſſiæ conſpectum aliis exemplis illuſtrare, ſi id nunc liceret.

Ipſi

Ipſi quoque ſancti hoc ipſum de Meſsia promiſſum ſæpe fundamenti inſtar præmittunt, vel ſubjungunt *precibus*, vel *exſpectationi* liberationis ſuæ ex periculis. Ut Pſ. I, & II., XVI. & XVII., qui conjungendi ſunt, nec non Pſ. XL. cujus prior pars, verſ. 1--12. de Meſsia, poſterior vero verſ. 13.-- fin. de Davide agit. Sed hanc materiam alia occaſione fuſius pertractare in animo habeo. Ceterum, cum Oeconomia Vetus ad ſupremum proſperitatis culmen fuerit tempore Maccabaico evecta; cuncta promiſſa & bona externa tunc omnia. & ſummo gradu in populi gremium effuſa, adventus Meſsiæ præterea ante fores eſſet; iſtius periodi, tam lætæ & proſperæ, fundamentum in Meſsia jure meritisſimo & vera emphaſi poni, nemini non in promptu eſt. De quo loca citata, Mich. IV. V. Zach. IX., directe quoque agunt. Regnum itaque Dei ſub Vet. Teſt., in primis hac ultima periodo, quod omnem ſuam virtutem a regno Meſsiæ ſuo tempore condendo, derivavit, pro regno Meſsiæ *anticipato* rectiſſime haberi, adeoque per *lapidem* cum *rupe*, inde oritura, connexum, eo ſenſu expictum cenſeri, in obſcuro non eſt.

§. XXVI. *b*. Quemadmodum vero *Lapis* eo collineavit, ut montem vel *rupem* ex ſe produceret, eodem etiam tetendit tribunal Divinum, ut Filius hominis regnaret: ita Regnum Dei inter Maccabæos erectum ad illud Meſsiæ ſpectavit, tanquam ad *ſcopum* & *finem* ſuum; non generali illo tantum ſenſu, quo tota Oeconomia legalis, cujus *finis* & *Spiritus* eſt Chriſtus, 2 Cor. III. Rom X. ſed & *ſpeciali*, quo cum tanquam in imagine regnum Meſsiæ exhibuit, tum ad illud erigendum viam præparavit, tum ſignum temporis, quo conderetur, præbuit. De quibus modo egi. Fuit itaque regni Meſsiæ *prænuncium*, *præambulum*, & *praeparatorium*; quod prima regni iſtius habuit *initia*, & regnum Meſsiæ fuit *primordiale*; ex quo verum, & propria ſua natura conſpicuum, regnum mox oriretur.

 §. XXVII.

§. XXVII. *c.* Quocum proxime cohæret, regni Maccabaici *complementum*, quo finiretur, vel perficeretur & conſummaretur, in Regno Meſſiæ eſſe quærendum; plane ſicut *lapidis* in *rupe*, in quam excrevit. Regnum Dei quod ad eſſentiales ſuas partes manſit idem, adeoque non eſt inſtar aliorum regnorum deſtructum & abolitum, verum *novam* & longe *perfectiorem* formam induit, quæ antiquam conſummavit. Regnum Dei eſſentialium partium ratione habita non evanuiſſe, ex ſupra dictis, § XXII., manifeſtum eſt. Qua vero ratione conſummatum ſit, haud difficiles quoque habet ex Euangelio explicatus; de quo hic diſſerendi locus non eſt. Regnum Meſſiæ complere & perficere dicitur Oeconomiam Veterem, & in primis ut ſeſe tempore Maccabaico oſtentavit, quatenus exterior ejus forma *carnalis* & *externa* cum longe *perfectiore*, Spirituali quippe & cœleſti, eſt commutata, Regis, & ſubditorum, & bonorum ac legum reſpectu. *Rex* eſt glorificatus in cœlo. Subditi ſunt, qui vera & viva fide, in charitate & omni virtute actuoſa, gaudent, & Spiritualem degunt vitam. *Bona* non ſunt temporalia & carnalia, ſed vera, Spiritualia & cœleſtia, ac æterna. *Leges* nullæ ſunt *carnales* & rituales, ſed quas ratio & amor Dei & proximi præſcribit. Quæ immutatio eo majore jure dicitur *conſummatio*, quod externa illa fuerint *typica*, & ad hæc Spiritualia, tanquam ad finem & ſcopum ſuum, ſicut umbræ ad corpus, ſpectaverint; ut aliunde conſtat. 2. Quatenus ipſa illa *eſſentialia* Vet. Oeconomiæ, ſicut longe *purius*, carnali illa forma abolita, ita *perfectius*, & pleniore menſura, ac majore emphaſi, exhibentur. Quod ex bonis N. T. nemini non notum eſt, & *cognitionis*, *ſanctitatis*, *libertatis* & *gaudii* Spiritualis reſpectu facile demonſtrari poſſet. 3. Denique quatenus limites Regni longe latius per totum nunc orbem ſunt dilatati; gentibus quibuscunque ad communionem ejus admiſſis.

§. XXVIII. Verum enim vero hanc conſummationem

cum

cum Eccleſia Maccabaica cum univerſa Oeconomia antiqua communem habeat; qua ratione ea ad eam in ſpecie eccleſiam, ſeu regnum Dei tunc temporis manifeſtatum, reſtringatur & adplicetur, ut hic obtinet, explicandum ſupereſt. Quo fini ad animum revocari velim α. Periodum hanc fuiſſe iſtius Oeconomiæ *ultimam*, quæ per conſequens, ab ea conſummatione proxima, eam ſubire recte dicitur. Quare phraſis, *ultimi temporis*, & *finis dierum*, non infrequens apud Prophetas, de hac ipſa periodo uſurpari ſolet: ut vel ex hoc ipſo Libro Dan. conſtat. β. Hanc ipſam periodum fuiſſe omnium illuſtriſſimam, & perfectiſſimam, qua Oeconomia vetus ſummam ſuam vim exſeruit, & in omni vigore ac amplitudine ſe conſpiciendam præbuit; ſive ad religionis ſplendorem, & exercitium fervens ac conſtans, ſive ad promiſſorum Oeconomiæ Vet. abundantiſſimum implementum, reſpectu pacis, proſperitatis, dominii & potentiæ, multiplicationis, longævitatis, & ſimilium reſpicias. Huic itaque periodo adcommodatiſſima erat conſummatio. γ. Ad hæc accedit, periodum hanc quædam ſingularia habuiſſe, quæ cum illa conſummatione arctius cohærebant. Fuerunt enim in ea præludia quædam conſummationis, ſeu tenues quædam ſtricturæ, partim quod conſummatæ Eccleſiæ imaginem præbuerit, partim quod ejus quasdam partes, licet minore emphaſi, prætulerit, in regno Meſſiæ perficiendas. Quibus adnumero cum formam regiminis, quæ ad θεοκρατίαν *Theocratiam* propius accedebat, tum religionis exercitium in Synagogis, cui Spiritualis N. T. cultus rectius convenit, tum Gentium per proſelytismum admiſſionem, longe, quam antea, frequentiorem & abundantiorem; tum denique majorem cognitionis & donorum Spiritus S. copiam. Quæ, & quorum ſimilia, in regno Chriſti perficienda, cum jam in Eccleſia Maccabaica locum habuerint; ei recte & apte adtribuitur hæc conſummatio, quam lapidis in montem mutatio depinxit.

§. XXIX. In his, quæ de utriuſque Regni, Maccabaici & Chriſtiani, nexu ad viſa noſtra illuſtranda adtuli, licet acquieſcere, & ad Regni Meſſiæ contemplationem progredi poſſem; moras tamen injicit hic ipſe nexus cum hiſtoria implementi comparatus. Cum enim Regnum illud Maccabaicum progreſſu temporis vel obſcuratum & imminutum, vel & abolitum fuiſſe, Judæo populo & corruptiſſimo, & novam in ſervitutem Romanam redacto, præterea totam illam Oeconomiam violenter fuiſſe cum ipſa Hieroſolyma deſtructam, ex Hiſtoria teſtatum ſit: qua quæſo ratione hic nexus ſibi conſtabit, & Eccleſia Maccabaica in regno Meſſiæ conſummata poterit cenſeri? Quem ut eximam ſcrupulum, ne aliquis ad eum offendat, 1. obſervari velim, in viſo *Lapidis* & *Rupis* nihil de intermedio Lapidis ſtatu, poſt impulſum in coloſſum, & ante Rupis ortum, occurrere, adeoque deteriorem & denuo collapſam Lapidis, vel regni Maccabaici, conditionem, antequam in Rupem excreverit, hic nec adfirmari nec negari, tantum reticeri. Viſo itaque non repugnat imminutio ſtatus Eccleſiæ Maccabaicæ. 2. Præterea nihil habet hæc fati intermedii omiſſio, quod aut *ſcopo* viſi, aut reliquorum Prophetarum ſtylo non eſt adprime conſentaneum. *Scopus* hujus, & ſequentium viſorum, non eſt, continuam Eccleſiæ Judaicæ fatorum ſeriem contexere, ſed partim regnorum Orientis ante Regnum Meſſiæ ſucceſſiones, partim Eccleſiæ Dei cum triſtiſſimum ſub Syro-Macedonum Regno, tum lætiſſimum & proſperrimum ſtatum depingere. Quod ex omnibus hujus Libri partibus, in primis cap. XI. & XII., manifeſtum eſt. Ad quem ſcopum nihil faciebat felicis Eccleſiæ Maccabaicæ depravatio.

§. XXX. Quod vero ad *ſtylum* Prophetarum adtinet; tantum abeſt, ut Regni Chriſti cum Maccabaico copulatio, fatique triſtis intermedii reticentia, ei adverſetur, ut nihil magis conſentaneum ſit, & illud ipſum hypotheſin noſtram

noſtram confirmare poſſit. Prophetæ, ſicut hic illic interjectum aliquod fatum, in primis *triſte*, ne piorum animi nimium adfligantur, ſcopo generali, qui eſt eos *conſolari* & erigere, convenienter, ſilentio involvere ſolent; ita illud paſſim faciunt, ubi de liberatione Eccleſiæ ab exilio Babylonico, & calamitate Epiphanica vaticinantur. Nihil enim in Verbo Prophetico vulgatius eſt, quam vel promiſſum Meſſia ſubnectere aut intexere utrique liberationi, vel utramque ejusmodi phraſibus depingere, quæ non niſi in liberatione Spirituali, & ſtatu Eccleſiæ Chriſti, veritatem inveniunt. Exemplorum nimia eſt copia, nimis facilis etiam obſervatio & omnibus obvia, quam ut iis hic locum dem. Reſpectu liberationis Babylonicæ videantur, ex. gr., Jer. III: 14--16. XVI: 16, 19. XXIII: 3. &c. XXIV: 6, 7. XXX: 9, 21. XXXII. XXXIII: 15. L: 20. Ezech. XI: 17-- XXXVI: 24., in quibus promiſſum de Meſſia ſubjungitur liberationi ab exilio. De ſtatu populi reducis etiam ita loquuntur, ut Chriſti Oeconomiam ſimul depingant. Jeſ. IV. 2. XXVIII. 5, 6. Jer. XXXII: 37-- Ez. XI: 17-- XXXIV: 11-- XXXVI: 24-- XXXVII: 21. Hoſ. XIV. Mich. VII: 14. Tſeph. III. 14-- Eodem modo, quin luculentiore & fortiore, de Eccleſia Maccabaica loquuntur, ſive in ea deſcribenda colores Eccleſiæ Chriſtianæ ſimul ducant, ut Jeſ. XXX: 19. &c. XXV. & ſeq. XLIX: 14. &c. LIX: 17. LX. LXV. LXVI. Joël. II: 23. IV: 17-- Zach. X, XII, XIV. Dan. XII ſive regnum Meſſiæ adnectant, partim ſub *Regni Dei* titulo illud comprehendentes, partim directe ſubjungentes, ſine ulla fatorum triſtium mentione. Vid. Hoſ. II, III, IX. Obadj. 24- Mich. IV. quæ loca & alia ſupra citavi. Præterea tantum abeſt, ut fatum illud memorarent, ut adſerere non vereantur cum *æternum* fore illud Dei Regnum, tempore Maccab. erigendum, Mich. IV: 7. & alibi, tum Epiphanicam adflictionem fore ultimam, quæ populo accideret. Jeſ. LI: 22. LIV: 7, 8. Jer. XXX: 8, 11. Joël. II: 19, 27. IV: 17. Am. IX: 15. Mich. IV: 5, 7.

§. XXXI.

§. XXXI. 3. Rationes, quare regnum Meſſiæ mox adnectitur regno Maccabaico, nulla prolapſi illius regni facta mentione, ſeſe mihi offerunt ſequentes. *α.* Quia rem conſiderant, & intellectam volunt, Prophetæ, non abſolute, ſed reſtricte, partim ad illos populos relate, quorum *jugum* tulerat populus Judæus, a quo per Maccabæos ita eſt liberatus, ut nunquam ab iis aliquid amplius fuerit paſſus, partim ad ſimile adflictionis genus, ſive exilii, ſive oppresſionis violentae & injuſtae. Sic. Thr. IV: 22. *Iniquitas veſtra conſummata eſt* (intellige de pœna iniquitatis) *Filia Tſionea: non perget Te captivam abducere*, Am. IX: 15. Hac in relatione ad regna Orientis cum conſideretur regnum Maccabaicum in viſis Dan., ut clariſſimum eſt, nullum novae calamitatis ſignum hic occurrere, cui mirum accidat? Sed *β.*, Eccleſiae ſtatum ubi depingunt Prophetae, eum ſaepe contemplantur ſecundum *initia*, *rei naturam*, & *Dei directam intentionem*, qualis eſſe debeat, & etiam foret, ſi populus ei convenienter ſeſe habeat, & ſua culpa eum non pervertat & deſtruat. Eccleſia Maccabaica, qua regnum Dei, hoc oculo hic & alibi conſideratur, cum ut *ſcopus* Dei in illa Eccleſia vindicanda & inſtauranda exhibeatur, tum ut, ſi res aliter cadat, populus ipſe arguatur. Num res aliter ſit futura, quâm ſcopus & natura liberationis requirit, ſaepe ſuo loco relinquitur a Prophetis, qui rem ſecundum *initia*, *naturam* & *ſcopum* contemplantur. Hinc eſt, quod Eccleſia Maccabaica, quae ſeſe *lapidem* initio praeſtitit, regnumque Dei exhibuit, eodem ſub emblemate usque ad conſummationem ejus in regno Meſſiae apte deſcribatur. Quod emblema ei ex vero aptari potuit, quod lineas ejus aliquandiu praebuerit conſpiciendas, quodque Deus eandem ejus conditionem ad illud usque tempus conſervare intenderit, & promiſerit, modo populus ei ſeſe non opponat, & promiſſi executionem impediat. Sunt enim promisſiones & prædictiones Prophetarum nonnullae conditionatae. Quod

Belgae

Belgae noſtri Interpretes ad Thr. IV: 22. obſervarunt, ad luculentum vaticinium de iniquitate Tſionis conſummata, nec illa amplius captivanda, adſcribentes; ſubintellige: *niſi vos continuis graviſſimisque delictis veſtris mihi hanc veluti neceſſitatem imponatis, ut factum ſub Veſpaſiano.* Quod licet bonæ frugis ſit obſervatum, eousque tamen non extenderim, ut mox dicam clarius. Regnum familiæ Davidis quis neſcit perpetuum promitti, ſi Filii ejus vias Dei teneant. Sed, ne plura proferam, quid clarius verbis Pſalm. LXXXV: 9. de Eccleſia Maccabaica agentibus: *ſed audiam, quid locuturus ſit fortis ille Deus,* Jehova? *quia loquitur pacem ad populum ſuum,* & *ad pios ſuos* (חסידיו *Chaſidæos ſuos*) *modo ad ſtultitiam non revertantur.* Docuit experientia eos rediiſſe ad ſtulta conſilia, quibus ruinæ ſuæ fundamenta jecerunt, in novam ſervitutem a Romanis redacti. Vid. etiam Pſ. XCV: 7.

§. XXXII. γ. Tertia ratio, quæ ſola ſufficit, & omnem difficultatem tollit, eſt, veram collapſæ Eccleſiæ Maccabaicæ epocham eſſe regno Chriſti, & conſummatione regni Maccabaici in ea, poſteriorem, adeoque populum Judæum, regno Dei in Maccabæis erecto & jam perfecto in Meſſia, & ad hunc tranſlato, ab eo ipſo tempore *populi Dei* conſpectum perdidiſſe, & in hoſtium Dei ac Eccleſiæ claſſem veniſſe. Prophetarum vero promisſiones & prædictiones de Eccleſiæ Veteris Oeconomia in Nova terminantur, nec ulterius ſeſe extendunt: quod recte obſervavit Cl. Commentator ad Jeſ. LI: 22. Verum quidem eſt, Eccleſiam Maccabaicam jam ante cepiſſe collabi, ſed 1. ſalva adhuc republica, & ſpecie libertatis; 2. in primis reſpectu *doctrinæ* & *vitæ.* Quæ tanquam initia & cauſæ excidii, non pro ipſo ſtatu prolapſo habenda ſunt. Periodus, quæ poſt tempora Maccabaica usque ad regnum Meſſiæ fluxit, eſt vero ſuo conſpectu *præparatoria* ad populi rejectionem, & reip. ac religionis deſtructionem, non ipſa rejectio & ruina. Populus tunc temporis

partim per corruptionem, partim per inteſtinos motus Romanis occaſionem dedit ſeſe rebus Judæorum immiſcendi, & viam ad totale excidium ſtravit. Quæ latius hic non exſequor. Illud non erat negligendum, Eccleſiam Maccabaicam, non obſtante hac ad ruinam inclinatione, cenſeri perſeveraſſe usque ad Meſſiæ regnum partim in *majoribus* conſideratam, qui eam condiderant, & tuiti erant, a quibus denominatio fit, quamdiu reſp. manet, partim in externa Reip. & Religionis forma, a Maccabæis orta, quæ continuavit, partim in *piis reliquiis*, redemptionem & liberationem Meſſiæ exſpectantibus; quarum in Euangelio fit mentio. Ubi obſervari meretur, promiſſa gratiæ, Iſraëli facta, ſi non in univerſo populo, utique in meliore ejus parte implementum conſecuta, prædictionis veritatem ſatis præſtare; cum quod reliqui ſe indignos ſua culpa præbeant, tum quod ad pios & probos ex populo proprie pertineant. Quam regulam Apoſtolus conſignavit Rom. IX: 6. *non enim omnes, qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraël*, & c. XI: 7. *Quod requirit Iſraël non eſt adeptus, ſed electi adepti ſunt, reliqui occalluerunt.*

§. XXXIII. Regni Dei, in Eccleſia Maccabaica erecti, obſcuratio, & populi in doctrina & moribus corruptio, licet viſo noſtro, & Eccleſiæ Maccabaicæ in Regno Meſſiæ *conſummationi*, non adverſetur; fecit tamen, ut alio ea peracta fuerit *modo*, quam ſi Eccleſia Maccabaica initiis ſuis, naturæque ſuæ, convenienter continuaſſet, populique defectione non fuiſſet deturpata. Huic enim cauſæ inter alia acceptum ferendum eſt, quod cum populus Judæus maximam partem eo tempore fuerit rejectus, tum reſpublica cum metropoli civitatis & religionis violenter fuerit & inter multa iræ Divinæ ſigna deſtructa. De quo conſummationis modo nihil in viſo *lapidis* & *rupis* occurrit; quemadmodum nec in multis prophetiis de eadem re agentibus. Nec enim omnia omnes habent prophetiæ, ſecum propterea comparandæ,

randæ, & ex ſe invicem illuſtrandæ. Quod verbo monuiſſe ſuffecerit.

§. XXXIV. Ex dictis de regni Maccabaici & Meſſiæ nexu, illiusque in hoc complemento, ſicut emblema *rupis* ex *lapide* ortæ illuſtratur, ita *temporis*, quo Meſſiæ regnum conditum eſt, *criterium* ſponte ſua ſeſe offert: ex quo, initium iſtius regni a Meſſiæ ſeu Domini noſtri Jeſu Chriſti temporibus eſſe repetendum, conſtat. Cum enim finem & complementum imponere debeat, vi noſtri emblematis, Eccleſiæ Maccabaicæ, quacum arcte cohæret: eam exceperit, & proxime ſecutum fuerit Regnum Meſſiæ, neceſſe eſt. Quod quantopere ad Judæos convincendos faciat, me non monente, quisque intelligit. Poſſem ex aliis prophetiis illud ipſum confirmare, ſi neceſſe foret. Sed ſupra eas jam produxi maximam partem. Sunt præter hoc, *temporis* regni Meſſiæ alia quoque in viſis noſtris criteria, nunc in lucem proferenda, quæ ingens addunt momentum.

§. XXXV. *Secundum* itaque characterem temporis, ex viſo *Filii hominis* cap. VII. eruendum, *ſubſtitutio* quatuor imperiis Orientis, jam tunc abolitis, ſuppeditat. Judicium enim Dei in quatuor beſtias jam ante fuit pronunciatum, & exſecutioni mandatum, quam Filio hominis regnum viderit dari Daniel. Vidit porro illud haud diu poſt fuiſſe factum, Judice adhuc pro tribunali ſedente, ad quem adductus fuit Filius hominis. Cohæret itaque Regnum Meſſiæ cum ultimo regno *quarto* deſtructo. Quod cum Alexandrinum, primo *unitum*, dein *diviſum*, fuerit, ut ſuperiores Diſſertationes comprobarunt, præterea omnia ea regna ante Meſſiam noſtrum exaltatum, alia citius alia tardius, exſtirpata ſint: ad eadem rurſus tempora, & primordia Regni Domini noſtri, ducimur. Quod ex aliis prophetiis quoque confirmatur, quas Diſſ. IV. §. 9. jam produxi, Hag. II: 22. Zach. VI, X: II. Jeſ. XI: 15, 16. Mich. V: 5.

§. XXXVI. Atenim, præterquam quod *criterium* temporis regni Meſſiæ hic exhibeatur, aliæ ſunt rationes, propter quas regnum Meſſiæ, in ordine regnorum mundi ſibi ſuccedentium, illis ſubjungatur: quas exhibere non abs re fuerit, ne cui, regnum Meſſiæ partim regnis terræ, partim illis *quatuor* Orientis, adnecti, cum alius longe naturæ ſit, & tot alia in mundo continuarint imperia terrena, mirari ſubeat, vel ſcrupulus aliquis ſuboriatur. Quo fini ante omnia obſervari velim, Meſſiæ Regnum a reliquis orbis imperiis clare diſtingui, quin iis opponi. 1. Propriam, & cum aliis regnis minime communem, habuit *originem*, non tantum quod non ſicut *rupes* ex *lapide*, ita hoc ex uno illorum regnorum ortum ſit, quod viſorum discrimen notandum eſt; ſed &, quemadmodum *lapis* in viſo Coloſſi ejus partem non fecit, nec inde originem repetiit, ita nec Filius hominis cum beſtiis ex *mari* aut terra ſurrexerit; ſed cœleſtem verius ortum habuerit; in quo viſa Lapidis & Filii hominis amice conſpirant. Vidit Daniel beſtias ex mari magno, vehemente vento concitato, emergere, cap. VII: 2, 3. ſed Filium hominis cum nubibus cœli venire. 2. *Beſtiarum* & *Filii hominis* imagines longe diverſae & oppoſitae, ſicut diverſae naturae regna in genere, ita, hoc ultimum in ſpecie ab omni violentia & injuſtitia longe alienum, & *humanarum* non tantum virtutum plenum, ſed & coeleſte ac Angelicum, ut ſic loquar, fore regnum, ob oculos ponunt. Quod ex *nubium* amictu, & titulo *Sanctorum altiſſimorum*, luculenter, ut ſupra vidimus, confirmatur. 3. Quo etiam facit cum regnorum aliorum abolitio, antequam Filius hominis in ſcenam prodiit, tum nulla deſtructionis, & violentorum aut bellicoſorum facinorum Filii hominis mentio. Ex quo, pacis & tranquillitatis fore Regnum, eluceſcit. Quod ex *rupis*, a *lapide* diſtinctae, emblemate robur acquirit.

§. XXXVII. Tale ſi Meſſiae Regnum ſit futurum, quare

re itaque in ordine ſucceſſionis Imperiorum mundi locum tenet, & iis ſubjungitur? Hoc expediri meretur, maxime quia, regno Meſſiæ erecto, tot alia mundi Regna locum habeant. Rationes ſeſe mihi offerunt ſequentes. 1. Prima eſt, quam modo memoravi, notam *temporis*, quo inciperet regnum Meſſiæ, in eo figi; unde, Meſſiam ante fores eſſe, dignoſci poterat. Qualia ſigna temporis ut plura eſſent, Deus pro ſapientia & bonitate ſua curavit, ne in incerto verſaretur populus. 2. Secunda eſt, ut, per regnorum illorum abolitionem viam ad Regnum Meſſiæ quaquaverſum propagandum parandam eſſe, indicaretur. Regnum Meſſiæ iis non ſubjungitur, acſi *ſuccederet*, illam enim ſucceſſionem eſſe finitam Judicium Dei repræſentavit, ſed ut non tantum ob oculos poneretur, Deum ante de hoſtilibus illis regnis vindictam eſſe ſumpturum, quam regnum Meſſiæ locum inveniret, verum etiam, impedimenta, quæ regni ejus curſum interciperent, e medio eſſe tollenda. Regnum enim Meſſiæ non adjungitur ſeriei regnorum illorum, ſed iis ablatis, & ſingulari Dei judicio deletis, ſubſtituitur; argumento, regnorum illorum deſtructionem aliquid ad regni Meſſiæ erectionem facere, ſeu ad eam requiri, ut regna illa, tanquam obſtacula, evaneſcant, & uni capiti orbis culti regna ſubjiciantur. Quod circa tempora Chriſti factum eſt, Romano Imperio per orbem dominante, & multum ad Euangelii propagationem contulit cum per commercia populorum, ad unum imperium pertinentium, longe faciliora & frequentiora, quam ſi diviſa fuiſſent regna, tum per oppoſitiones, Euangelii curſum ſufflaminaturas, longe minores, quam ſi diverſorum ſtudiorum & ingeniorum fuiſſent Monarchæ plures, tum denique per humanitatem, orbi inductam a Romanorum legibus & ſtudiis Philoſophicis. De quo Origen. contra Celſ. l. II. p. 79. & Euſeb. dem. Euang. l. VIII. in prooem. jam monuerunt. Hoc eodem oculo hanc rem intuitus eſt Spiritus propheti-

cus Jeſ. xi: 16. *Et anathemate devovebit Jehovah linguam Maris Aegypti, & agitabit manum ſuam contra fluvium robore Spiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem torrentes, ita ut calceis calcari queat. Et erit agger reliquo populi ſui, quod reliquum fuerit ab Aſſyria, ſicut fuit Israeli die, quo adſcendit ex terra Aegypti.* Ad quem illuſtrem locum legendus eſt Cl. Commentator. Eandem etiam theſin habet ſubjectam Zach. iv: 7. *Quis tu es mons magne? coram Zerubbabele fies æqua planities.* Quod dictum directe ad Perſicum imperium, populo Dei oppoſitum, dein ad reliqua regna, quæ regno Dei obſtarent, pertinet. Directius eo reſpicit cum Pſ. xcvii: 5. *Montes inſtar nivis liquefacti ſunt coram Jehova, & a facie Domini totius terræ,* tum Zach. x: 11. *Et hoſtiliter invadet mare coarctator* (Deus ſupremus, mundi rector & judex) & *percutiet in mari fluctus & exareſcent omnes æſtuationes fluvii. Dejicietur enim ſuperbia Aſſyriæ, & Sceptrum ab Aegypto recedet.* Senſus eſt, duo regna illa, Syriacum & Ægyptiacum, quæ, ex Alexandrino orta, magnos fluctus volverent, & Eccleſiæ Dei vehementer obeſſent, recollectioni diſperſorum, etiam Spirituali, magno forent obſtaculo, eum in humilem & depreſſum ſtatum divino judicio eſſe redigenda, ut facilem diſperſis præberent ad Eccleſiam Dei aditum. Quod partim temporibus Maccabaicis, partim Chriſti, impletum eſt. Ruina vero eorum regnorum hic tanquam *ſignum* & *medium* recollectionis populi Dei occurrit, ut ex nexu cum ſuperioribus manifeſtum eſt.

§. XXXVIII. 3. Tertia ratio, quare regni Meſſiæ erectio ſubverſis regnis Orientis, in primis Syriaco & Aegyptiaco, ſubjungitur, habet, ut in illis, tanquam illuſtriſſimo ſpecimine & exemplo, etiam emblemate, omnium aliorum regnorum, quæ regno Meſſiæ per totum orbem ſeſe hoſtiliter opponerent, deſtructio, ſive civilis, ſive religioſi, ſtatus reſpectu, conſpicienda præberetur. Quem conſpectum illa regna in verbo Prophetico gerunt, ipſis etiam

etiam in locis, quæ modo ex Jeſ. & Zach. citavi. In ſpecie ſolet regnum Syriacum, quod populum Dei hoſtiliter invaſit, ejusque deſtructio, cum regno Anti Chriſtiano, & regnis ei inſervientibus, eorumque deſolatione, ante glorioſæ regni Meſſiæ conditionis epocham, comparari. Ex qua hypotheſi Cl. Commentator Jeſ. cap. xxiv.-xxvii. feliciter explicuit. Nec deſunt loca alia, in quibus tempora Maccabaica, in regno Meſſiæ conſummata, ad ultimam N. T. periodum collata, ſub oculos ſiſtuntur, & ſimul depinguntur, adeoque judicia Dei in hoſtiles populos, qui Eccleſiam Maccabaicam oppugnarunt, tanquam imagines & exempla deſtructionis ſimilium hoſtium regni Meſſiæ, in primis ultimo tempore, conſiderantur. Vid. ex. gr. Jeſ. xi, xxxiv, lix, lxiii, Ezech. xxxviii & xxxix. Zach. xiv. & alibi. De quo mox quædam adcuratius monebo. Nec a Stylo Prophetarum abhorret, ſingulare aliquod Dei judicium, tanquam ſimilium exemplum, ob oculos poni: quemadmodum illud in Veteres Aſſyrios, tempore Hizkiæ, tanquam illuſtre ſpecimen juſtitiæ Divinæ, in quo omnes Eccleſiæ hoſtes pœnas ſuas delineatas viderent, immiſcetur prophetiæ de temporibus Maccabaicis, Jeſ. xxx: 27-33. Quem ipſum conſpectum præfert judicium Dei in Judæos, jam hoſtes Dei & veræ Eccleſiæ factos, in cantico Moſis Deut. xxxii: 36. &c. Ceterum, idem illud in hoc judicio de *beſtiis* & *imagine* obtinere, ſicut ex nexu cum regno Meſſiæ univerſali clarisſime eluceſcit, ita viam ad difficultatem, ex eo oriundam, e medio tollendam, ſternit facillimam.

§. XXXIX. Reſidet illa in *tertio* criterio temporis, quod *qualitates* Regni Meſſiæ, ſupra propoſitæ, exhibent. Ex illis enim, Regnum illud partim fore pacificum, partim ſanctitatis & juſtitiæ plenum, partim denique *univerſale*, omnia mundi regna, in fide obnoxia, complexum, cum eluceſcat: hoc, qua ratione in regni iſtius initia, ſeu tempus Meſſiæ exaltati, mox poſt regna Orientis a Romanis

nis deſtructa, quæ noſtra eſt hypotheſis, quadret, difficiles videtur habere explicatus. Tantum enim abeſt, ut eo jam tempore hanc faciem prætulerit, ut ne nunc quidem poſt tot ſecula has lineas ferat, nec eum ſtatum conſequetur, niſi ultima regni Meſſiæ periodo, poſt Antichriſtum, & regna ei obnoxia deleta. ut ex Apoc. ſatis conſtat. Quæ tanti viſa eſt nonnullis Interpretibus, nec infimi ſubſellii, difficultas, ut Romanum imperium, quod cum aliis per *Quartam beſtiam* intelligunt, ad ultima tempora usque duraturum, & Regnum Meſſiæ, prout ultima periodo glorioſa ſeſe habiturum ſit, hic repræſentari autumaverint. Quam hypotheſin late in ſuperioribus refutavi. Faciam, ut difficultas evaneſcat, præcipuum ſimul fulcrum iſtius opinionis ſubvertatur.

§. XL. Regnum, Filio hominis datum, nec ſolum *jus*, nec *poteſtatem* tantum Meſſiæ delatam *in cœlo* & *in terra*, quod per exaltationem & *ſeſſionem* ad *dextram Dei* mox factum eſt, ſed una comprehendere populorum, ipſi in fide & amore ſubjectorum, obedientiam, Regni itaque poſſesſionem, & adminiſtrationem glorioſam & proſperam, cum Interpretibus nonnullis tantum abeſt ut inficias eam, ut eam præcipue intelligendam eſſe cenſeam. De quo ſupra dixi § x. Agnoſco itaque, Regnum Meſſiæ, quale hic depingitur, in vera ſua emphaſi non niſi ultima periodo glorioſa ſeſe vere habiturum eſſe. Quo non obſtante, epocham hujus Regni in illud figi tempus, quo condi cœpit poſt Chriſti exaltationem, illudque cum initiis regni, acſi mox glorioſam illam conditionem præferret, connecti, contendo. Quæ antequam ſecum conciliem, ſive emblemata cum implemento, iis ad primam ſpeciem tantopere adverſo, in concordiam redigam; totius verbi Prophetici conſenſum, ad hypotheſin noſtram de hisce viſis corroborandam, ad animum revocari velim. Regnum Meſſiæ non in viſis hujus Libri Dan. tantum, ſed ubique apud Prophetas, de initio ejus agentes, tanquam

tanquam glorioſum, univerſale, & pacificum, quale non niſi ſub finem futurum eſt, deſcribitur; duplexque Meſſiæ adventus, alter ad erigendum, alter ad conſummandum regnum, permiscetur, & connectitur. Cujus hypotheſios, in verbo Prophetico explicando ingentis uſus, ſequentes, quibus innititur, nunc protuliſſe, vel adtigiſſe, ſuffecerit rationes, alia occaſione deducendas & demonſtrandas.

§. XLI. 1. Prophetæ, de Judæorum & Gentium ad Meſſiam converſione loquentes, ſicut eam cum Meſſiæ adventu & exaltatione copulant, ita *univerſalem*, per totum orbem diffuſam, deſcribunt, absque ut diverſas periodos, gradationes, intermiſſiones, ac repetitas vices, usquam memorent. Sic de gentibus & populis Gen. XLIX: 10. Pſ. II, XLV. 6. LXXII, CXIII. Jeſ. II, IX, XI, XLIX, LIV, LX, LXI. Mich. IV. Hagg. II. Zach. VIII, IX, XIV, & alibi. Judæorum recollectio & converſio eodem modo proponitur Hoſ. III, XI. Jeſ. XI: II. LIX: 20. Pſ. LXXXV. nec non in omnibus Prophetiis, quæ de recollectione Judæorum, & proſpero ſtatu poſt exilium, in primis tempore Maccabaico, loquuntur, myſtice quoque intelligendæ, vel complementum ſub Meſſia ſimul comprehendentes: quas ſupra citavi. 2. Hoſtes, ſive Reges & Principes, ſive populi, qui regno Meſſiæ vim inferent, vel obedientiam negabunt, exhibentur mox ſubigendi, vel deſtruendi; absque ut perſecutionum, longo tempore continuandarum, fidei & religionis cauſa, ulla fiat mentio. Pſ. II, VIII, LXXII, CX, Jeſ. XI. Zach. XIV. 3. Quocum proxime cohæret, regnum Meſſiæ, initio ab erectione ejus in monte Tſionis ducto, *pace* & *tranquillitate* gaviſurum eſſe ſecundum Prophetas, Jeſ. II, XI, Mich. IV. Zach. IX. absque ut aut armis ullus locus ſit, aut ullus futurus ſit, qui noxam adferat, lædatve aliquem. Quo etiam prophetiæ de Eccleſia Maccabaica non amplius oppugnanda, aut damno adficienda, in regno Meſſiæ complendæ,

plendæ, quas ſupra citavi, pertinent. 4. Regnum Meſſiæ, ſive Eccleſiam ejus, depingunt Prophetæ, ab ipſis ejus primordiis usque, tanquam glorioſisſimam & proſperrimam, omne genus bonis, qua Spiritualibus, qua corporeis, refertisſimam. Pſ. XLV, LXXII. Jeſ. XI, XXXV, LIV, LX, LXV. Hoſ. XIV., Zach. XIV., Mal. III: 20. & ſæpe alibi. 5. Denique Meſſias, ſub ipſo *Filii hominis* titulo, celebratur tanquam cui, ab ipſa exaltatione prima, *omnia* ſubjicienda ſint. Pſ. VIII.

§. XLII. Has, ſimilesque prophetias, ad extremam regni Chriſti periodum directe reſpicere, initii & reliqui temporis nulla habita ratione, ſi quis exiſtimaret, is vehementer aberraret. *a.* Quia cum initio regni & Eccleſiæ connectuntur: ut plurima loca citata docent. *b.* Quia periodorum nulla occurrit in regno Meſſiæ diſtinctio apud Prophetas, qui eodem ſemper tenore de eo regno in genere loquuntur. *c.* Quia tempora Maccabaica cum Regno Chriſti conjunguntur, & ſimul ab iisdem glorioſis adtributis, reſpectu complementi in Eccleſia Chriſti, deſcribuntur, ut ſupra vidimus. *d.* Quibus aliquid momenti addit univerſalis, & piis quoque, qui conſolationem Iſraëlis exſpectabant, recepta opinio, ex verbo Prophetico hauſta, de regno glorioſo mox a Meſſia erigendo; ut liquet ex Cantico Mariæ & Zachariæ Luc. I, nec non ex variis locis Euangeliorum; omnium clarisſime ex Act. I: 6. ubi poſt ipſam reſurrectionem Chriſti adhuc rogant Diſcipuli; *illone tempore inſtauraturus ſit regnum Iſraelis?* non terreſtre, quale Judæi carnales volebant, ſed in hac terra glorioſum, quale Meſſiam exaltatum decebat. *e.* Accedit denique, judicium Dei in hoſtes Eccleſiæ, mox circa primam Meſſiæ manifeſtationem exercendum, connecti vel permisceri cum ultimo & univerſali judicio. Joël. III: 3. Mal. III: 18, 19. Matth. XXIV: 29. Unde nata fuit opinio, judicium Meſſiæ in Judæos rebelles, quod Romani exſecuti ſunt, cum adventu ejus ad regnum glorioſum

rioſum erigendum, quod ultimum ſequeretur judicium, connexum eſſe. Ad quam opinionem cum Apoſtolorum quæſitum reſpicit Matth. xxiv: 3., quo deſtructio Hieroſolymæ cum adventu Meſsiæ ſecundo, ac conſummatione ſeculorum, copulatur, tum etiam monita Chriſti tendunt ibid. verſ. 23--29., quibus eos admonet, ne per eam opinionem ſeſe a falſis Prophetis paterentur decipi, Pſeudo-Meſsiam pro *vero* adſumentes. Munit etiam eandem contra opinionem Credentes Paulus 2 Th. II: 1. & Petrus 2. ep. III.

§. XLIII. Verbi Prophetici conſenſu cum viſis noſtris in lucem protracto; in *rationes*, quare duplicem Chriſti adventum confundant Prophetæ, & regnum Meſsiæ, quale non niſi poſt multa demum ſecula futurum ſit, depingere ſoleant, inquiramus, ſupereſt. Ubi 1. ante omnia obſervari velim, nec in viſis noſtris, nec alibi apud Prophetas, adfirmari, regnum Meſſiæ mox, ſine ullo tempore intermedio, eam faciem habiturum. *Lapis in montem excreviſſe* viſus eſt Nebucadnezari, ſed num mox, momento, an ſucceſſu temporis, non additur. Regnum vidit Daniel *Filio hominis dari*, ſed, *populos* ei *ſervituros*, in futuro dicitur, adeoque nec excluditur temporis ſucceſſio. Prophetæ aliquid futurum ſæpe dicunt, cujus *initium* tantum eſt repræſentandum: adeoque hinc colligendum non eſt, totum illud mox eſſe perficiendum. 2. Nec illud abs re fuerit notaſſe, Meſſiæ tempora in genere a Prophetis deſcribi, absque ut, quo præciſe quicquid fieret tempore, addatur: quod eventui & implemento relinquitur. Sic Dominus ad Diſcipulos Act. 1: 7. *non veſtrum eſt ſcire tempora* & *tempeſtates*, *quas Pater ſuæ poteſtati reliquit.* Moris quoque eſſe apud Prophetas, ſciendum eſt, *initia* & *complementa* ſimul & uno intuitu contemplari, & ob oculos ponere. Quod nemini non ex eorum adtenta lectione conſtare poteſt, ſæpe a Cl. Vitringa ad Jeſ., & a nobis ſupra, obſervatum eſt. Quocum proxime cohæ-

ret, typum & antitypum ſimul ſæpe conſiderari, & in typo lineas quoque rei figuratæ duci. Quod idem in ejusmodi caſibus & fatis fit, quæ *exempli*, *præludii* & *ſpeciminis* inſtar ſunt. De quo in antecedente jam dixi. Cum itaque judicia in Syro-Macedonas, & hoſtiles populi Dei gentes, hunc gerant conſpectum, ut § XXXVIII. obſervi, adeoque qualescunque regni Dei oppugnationes, qualiacunque obſtacula eſſe eliminanda, tanquam in imagine & exemplo exhibeant; Regnum Meſſiæ tanquam glorioſum & omni parte proſperum ac tranquillum repræſentari, nihil habet abſurdi: maxime cum *initia* iſtius Regni in Eccleſia Apoſtolica fuerint ejus præludia & ſpecimina. In qua periodo Apoſtolica, admodum glorioſa & proſpera, delineanda ita verſati fuerunt Prophetæ, ut, quem illa in oculis ferebat, ad quem ſpectabat & tendebat, tanquam complementum ſuum, ſtatum Regni Chriſti glorioſum ſimul conſpiciendum præbuerint.

§. XLIV. 4. Quo ſtylo eos eo majore jure uti fecit Spiritus Propheticus, quia *ratio* & *cauſa* pleniſſimi prophetiarum implementi, in longiſſimum tempus dilati, nec niſi poſt multa alia fata intermedia repræſentandi, non foret aut in Deo, aut Regni Meſſiæ natura, ſed in ipſis hominibus, ad Meſſiam adducendis, quærenda. Prophetae rem ſecundum primam Dei intentionem, & ipſam rei naturam, ac qualitates proprias, vivis coloribus depingere ſolent; eaque ratione Regnum Chriſti tanquam glorioſum, pacificum & univerſale, deſcribunt, partim quia Mesſiae jus in omnes populos datum erat, partim quia natura Regni eas qualitates exigebat, partim quia ſcopus Dei erat tale Regnum in Meſſia condendi, partim denique, quia tale ſuo tempore etiam exiſteret. Quod vero non mox in lucem prodierit, omnemque ſuam vim oſtenderit, Deo, ejusque promiſſis, quae Prophetae exhibent, non eſt imputandum, ſed *hominibus*, vel fidem & ſubjectionem Meſſiae negantibus, vel non, ut natura regni poſtu-

poſtulat, ſe praeſtantibus. Hinc factum eſt, quod Regnum Chriſti citius mundum non occupaverit, nec pax & juſtitia in eo, aut civibus ejus, vigeat, nec eum ſanctitatis & donorum Spiritus S. ſplendorem vibret, quem debeat. Hinc repetendum etiam eſt, quod prophetiarum implementum non quidem ablatum, quod non fiet, ſed *dilatum* ſit. Quæ ſi vera ſint, Regnum Meſſiæ in verbo Prophetico tanquam univerſale & glorioſum proponi, nihil habet, quod quis miretur. Eſſe autem, quæ dixi, veriſſima, licet ſupra jam illuſtraverim exemplis; novis, in rem præſentem egregiis, confirmaſſe, non fuerit abs re alienum.

§. XLV. Primum exemplum ſuppeditant vaticinia de *converſione* Judæorum Univerſali, ſupra producta. Quid quæſo implementum, primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, præpedivit? quid præter Judæorum ipſorum *incredulitatem?* nihil aliud, ipſo Paulo teſte Rom. XI. Verum eane incredulitas *implementum* promiſſorum Dei plane enervatura eſt? abſit: *gratia & dona Dei ſunt poenitere neſcia*, ut Idem ibid. adfirmat. Effecit tantum, ut interceptum & ad certum tempus dilatum ſit, ſuo adhuc tempore, quando *totus Iſrael ſervabitur*, implendum. Quod Apoſtolus eodem cap. luculenter comprobat, & ex ipſo verbo Prophetico eruit. Quo quæſo fundamento & modo? eone, quod vaticinia, quæ Apoſtolus citat, *ultimam* eam converſionem directe comprehendant? equidem cum Interpretibus non exiſtimaverim, partim quod nullum tale vaticinium in toto verbo Prophetico exſtare opiner, partim quod *myſterium* ad illud usque tempus, quo Paulo revelatum eſt, fuerit, ut ipſe teſtatur; in verbo itaque Prophetico expreſſe minus obvium. Quid itaque? vaticinia de Judæorum congregatione ad Meſſiam generalia, & univerſalia, per illorum incredulitatem intercepta, implemento tamen non caritura vidit per Spiritum Paulus, eoque fundamento nonnulla, ex. gr., citavit. Hanc ſecun-

dum normam ſi de Prophetiis, ad Regnum Meſſiæ pertinentibus, judicemus, eas tam magnifice de eo loqui, nec tamen mox ſecutum, ſed ſuo demum tempore præſtandum, eſſe implementum, nihil habet abſoni.

§. XLVI. Alterum, quod proferre volebam, exemplum, in difficili alias loco Act. III: 19- ſitum eſt; his verbis, *Reſipiſcite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra, ut veniant tempora refrigerii a facie Domini, & mittat vobis prænunciatum,* (vel, ut alia lectio habet, *præordinatum) vobis Jeſum; quem oportet quidem cœli capiant usque ad tempora reſtitutionis omnium, de quibus locutus eſt Deus a ſeculo per os omnium ſuorum ſanctorum Prophetarum.* Cum illis facio Interpretibus, qui tempora proſperi, glorioſi & læti, ſtatus Eccleſiæ Chriſti, Israëlitis promiſſa, Petro ob oculos fuiſſe verſata exiſtimant: meum etiam facio Cl. Vitringæ Obſ. S. l. v. c. 6. § 14., ubi ſenſum hujus loci recte adfirmavit, obſervatum, tempora illa *refrigerii & conſolationis univerſalis exſpectari non poſſe ante converſionem Gentis Judææ ad Deum & Meſſiam; quod eſt illorum temporum ſignum.* Quod ipſum verba Domini Matth. XXIII: 39. ſignificare videntur: *Dico enim vobis; me non videbitis ab iſto tempore,* (deſtructæ Hieroſolymæ) *donec dicatis: benedictus ſit, qui venit in nomine Domini*, id eſt, donec *præcones Euangelii* receperitis, nec amplius, ut nunc, ſpreveritis. Illorum enim eſt, *venire in nomine Domini.* Illud addo, non tantum a fide & converſione Judæorum ſuspendi vaticiniorum hac parte implementum, quod in rem præſentem ſufficit; ſed *a.* illa vaticinia ad Regnum Meſſiæ in genere reſpicere, ut ex ſequente textu, ubi prophetia de Meſſia mittendo profertur, & aliunde patet. *b.* Implementum eorum a fide populi ſuspenſum per ſolam incredulitatem differri. *c.* Poſſe itaque citius aut tardius impleri, prout populus ſeſe geſſerit. Quod niſi admittas, ratio movens ad converſionem Judaeorum ejus temporis, hinc ſumpta, ſeſe vix tueri poterit.

terit. Ceterum eodem idem Petrus 2 Petr. III: 8. his verbis luculenter tendit. *Non tardat Dominus promiſſum, ut nonnulli tarditatem interpretantur; ſed longanimis eſt erga nos, nolens quemquam perire; ſed omnes ad reſipiſcentiam venire.*

§. XLVII. 5. Accedo ad ultimam rationem methodi prophetarum, quam in Regno Chriſti glorioſo & proſpero, ac univerſali, depingendo tenent, in medium proferendam, & aliorum examini ſubjiciendam; quæ omnem eripiet difficultatem, quam immenſum illud annorum intervallum inter initia & complementa Regni Chriſti adhuc reliquam fecit. Regnum Meſſiæ jam ab initio tale proponere, quale non niſi poſt tot fata intermedia, tot ſeculorum intervalla, futurum eſt, habet quid paradoxi, quod per ſuperiores rationes quidem valde imminutum, ſed fortaſſe nondum plene ſublatum eſt. Videamus, num novo obſervato id præſtare queamus; quod habet, *ſpatium illud intermedium inter initium & complementum Regni Meſſiæ fuiſſe Prophetis V. T. obverſatum tanquam* VACUUM, *nullis caſibus ſingularibus & diverſis, ſe invicem excepturis, diſtinctum:* partim quod Veteris Oeconomiæ & populi Judæi nulla poſt deſtructam Hieroſolymam forent, partim quod Novæ Oeconomiæ fata ſucceſſiva & intermedia ipſis non fuerint revelata. Quæ duo ſi vera ſint, ipſa theſis de ſpatio hoc VACUO ſponte ſua ſeſe commendabit. *Prius*, quod ad populum Judæum ſpectat, faciliorem impetrabit adſenſum. Cum ſtatus iſtius populi, reſpectu characteris eſſentialis, qui in diſtinguendis periodis unice in cenſum venit, unus idemque ab eo tempore manſerit, manſurusque ſit ad ultimam converſionem usque. Qui eſt ſtatus rejectionis, & oberrationis ſine Deo & Rege, ſtatus miſeriæ & calamitatis; in quem præcipitati ſunt poſt Meſſiam obſtinate ſpretum. Hucusque vaticinia, ad diverſum populi Judæi ſtatum pertinentia, ſeſe porrigunt, nihilque præter converſionem ad Deum in genere repræſentant;

ut

ut modo vidimus. Ceſſarunt Judæi ab eo tempore *populi Dei* conſpectum præferre, & in hoſtium Meſſiæ & Eccleſiæ claſſem venerunt, ut Deut. xxxii. & alibi obtinet. Quæ ipſa ratio eſt, unde theſis noſtra egregie firmatur, quare Dominus Matth. xxiv: 29. Hieroſolymæ excidium cum ultimo ſuo adventu connectat, nullis fatis intermediis memoratis, dicens; *ſtatim poſt adflictionem illorum temporum ſol obſcurabitur* &c. Loquitur Dominus in hoc capite de Judicio in Judæos, per Romanos infligendo, de quo alias, & illud judicium ad ultimum usque tempus duraturum, ſine intermiſſione aut variatione, indicat; quia, adflictionis & judicii periodo finita, inſtauratio omnium rerum exſpectanda erat. Quem ſenſum verba, *ſtatim poſt adflictionem illorum dierum*, ſcilicet *finitam*, fundunt. Periodus itaque, inde ad ultima mundi tempora usque, foret, reſpectu populi Judæi, *uniformis*, cujus unus idemque ſemper eſt character dominans, in adflictione & oberratione ſine Deo & Rege ſitus. Conf. etiam Luc. xxi: 24. Matth. xxiii: 39.

§. XLVIII. *Poſterius*, de fatis Eccleſiæ Chriſtianæ non revelatis ſub Vet. Oeconomia, non eo ſenſu intellectum velim, acſi de rebus ad eam pertinentibus nihil vel parum apud Prophetas V. T. reperiretur: a qua hypotheſi longe abſum. Meſſiam, ejusque munera, & ſtatum duplicem paſſionum & gloriæ, Novae Oeconomiae erectionem, beneficia gratiae in Eccleſiam Chriſti conferenda, converſionem Judaeorum & in primis Gentium, hoſtium impetus in eam, ſed reprimendos cum eorum excidio; haec & horum ſimilia non indirecte tantum, ſed & directo & primo ſenſu a Spiritu Prophetico per Prophetas V. T. vivis coloribus depingi, mihi eſt perſuaſiſſimum. Verum 1. tantum ſpatium initia & complementum Regni Meſſiae ſejuncturum. 2. ejus ſpatii diſtincta fore & diverſa fata, quae varias periodos efficiunt, 3. caſus fore peculiares, & tempora characterizantes, 4. ſibi ordine ſucceſſuros usque

que

usque ad finem mundi: haec, & horum ſimilia, in verbo Prophetico V. T. fruſtra quaeri, & ſine ſufficiente ratione ſtatui, cenſeo. Novi equidem probe, quid adfirmem: ſed nec temere, nec ſine Prophetiarum accurata, & ſaepius repetita, meditatione, cujus alio forte tempore rationem reddam, id facio. Quam libertatem damus petimusque viciſſim.

§. XLIX. Poſſem, ſi Diſſertationis limites permitterent, & inſtituti ratio ferret, judicii mei rationes, & hypotheſios fundamenta, in publicum edere: ſed una alterave ratione nunc contentus ſim, neceſſe eſt. 1. Primam & praecipuam ſubminiſtrat, quod prophetas, de Nova Oeconomia loquentes, in generalibus verſari, initia & complementa, tam immenſo licet intervallo diſſita, tot diverſis fatis interſtincta, connectere, de Eccleſia Chriſti, mox in principiis, tanquam conſummata ſermonem facere, conſtanter obſervem; nec usquam aut fatorum ſucceſſionem, aut ſingulare aliquod fatum, tempori ſuo in ordine fatorum adligatum, multo minus vel unius periodi characteriſticum caſum exhibere. Vaticinia ab aliis plura, ab aliis, qui liberiore & ſolidiore utuntur judicio, pauciora proferri, me non latet, ſed nec, ſolido id non fieri fundamento. Quod hic disputare non licet. 2. Robur haud exiguum addit, quod nec de Judaeorum converſione, poſt tam longam obdurationem, in fine ſeculorum demum futura, nec de Antichriſto, ejusque graſſatione in veram Chriſti Eccleſiam, & excidio, usquam directe verba faciant Prophetae. 3. Comparatio Prophetiarum V. T. cum Apocalypſi Johannis, ſicut ingens hac parte diſcrimen, a phraſibus & adluſionibus Apocalypſ. ſi diſceſſeris, in omnium oculos ingerit, ita haud obſcure indicat, Apocalypſin defectum antiquorum Prophetarum implere, & ea continere, quae ad illud usque tempus libro obſignato clauſa fuerant. Apocal., ex. gr., in libro *ſeptem* Sigillorum *a.* caſus ſingulares *b.* ſucceſſivos *c.* ſtatus & tem-

 poris

poris characteriſticos, & non qualescunque *d.* usque ad ultimam Eccleſiæ periodum, ordine repræſentat. Unde ſeptem periodorum doctrina naſcitur minime fallax, & hiſtoriæ exacte reſpondens; modo prudenter & ſigillis convenienter inſtituatur. Cujus ſpecimen alio tempore dabo. Nihil ſimile in toto Verbo Prophetico occurrit. Nec, ſi reperiretur, Apocalypſis aut adeo neceſſaria, aut *arcanum obſignatum* reſeraſſe dici poſſet. 4. Poſſem præterea ex relatione Prophetarum V. T. ad antiquam Oeconomiam, quæ non permittit, ut ulterius, quam ad Oeconomiæ ejus complementum in Nova, tendant; ex dicto Domini Matth. XI. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem prophetarunt;* ex phraſi *ultimi temporis*, *finis* & *extremi dierum*, Novæ Oeconomiæ ſigno apud Prophetas, & ex aliis, argumenta proferre, ſi prolixiori eſſe liceret. 5. Illud verbo adjungere fas ſit, Prophetas in ſerie fatorum ſive Eccleſiæ, ſive regnorum mundi, & populorum vicinorum, contexenda, quod plus una vice faciunt, ſemper ſeriem illam in Oeconomia Nova, tanquam complemento Veteris, terminare; nec usquam ulterius producere. Quemadmodum ex variis exemplis, ſupra jam ſuis locis productis, pateſcit. Conſulantur præterea generales, quæ fata ordine & ſucceſſive recenſent, prophetiæ, quales, ex. gr., ſunt Deut. XXXII., Jeſ. I, XXVIII, XXXI--XXXIII, LVII--LX, Jer. XXXI, Ezech. XXXIV, Joël II--III., Mich. III--V, Pſ. LXVIII. De ſucceſſionibus Regnorum mundi, ad Meſſiam usque productis, vidimus ſupra.

§. L. Hæc ſi vera ſolidaque ſit hypotheſis, terminos, a *quo* & ad *quem* Regni Meſſiæ, quanto etiam intervallo diſſitos, a Prophetis, nihil intermedii intuentibus, conjungi, & conjunctos ob oculos poni, Regnum itaque Meſſiæ in ſummo ſuo vigore & ſplendore depingi, quem non niſi diu poſt prima initia demum haberet, facili negotio percipitur, nec aliquid, quod offendat, reliqui habet. Quid? quod

quod a communi loquendi uſu non diſcedat. *Proxumum enim dicebant Veteres non ſolum adhærens & adjunctum, verum etiam longe remotum, ſi modo inter duo diſcreta nihil medium exſtitiſſet:* ut eſt in fragm. Saluſtii p. 494. Sic Virgil. Aen. l. v. verſ. 320.

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius &c.

ubi Serv. *proximum autem dicimus etiam longe poſitum, nullo interveniente.* Accedit, hoc ipſum fuiſſe *viſionum* propheticarum, quibus futura Prophetis fuerunt ob oculos poſita, naturæ conſentaneum. *Prophetis, res futuri temporis e longinquo proſpicientibus, id accidiſſe,* recte alicubi ad Jeſ. xxv. obſervat Cl Vitringa, Commentator eo Propheta dignus, *quod qui in naturalibus remotiſſima* & *longe diſſita eminus contuentur, ut disjuncta & ab invicem diviſa proximiora videant, quam ipſa rerum natura exhibentur.* Spiritus vero Propheticus, quo acti fuerunt, ſeſe ad hanc eorum conditionem eo rectius adcommodavit, partim quod longiſſimum licet interſtitium relate ad Deum ſit breviſſimum, partim quod ſtylum prophetarum ita direxerit, ut in ultimis Oeconomiæ V. fatis, tanquam in imagine, conſpicerentur futura & ultima Oeconomiæ N. fata. Prius illud, ſicut exemplis illuſtrari poteſt, quorum aliqua jam protulit poſt alios Cl. Vitringa ad Apoc. 1: 1., ita generali regula, qua *unus dies apud Dominum eſt ſicut mille anni, & mille anni ſicut unus dies,* à Petro 2. cap. 112: 8 ſuperſtructum eſt, ut difficultatem, ex promiſſorum & minarum implemento diu dilato natam, tolleret. Quod itaque in rem præſentem egregie facit. Poſterius, quod de ſcopo Spiritus S., Prophetas in viſis divinis exprimendis dirigentis, dixi; illud in harmonia allegorico prophetica, ut dicitur, fatorum Vet. & Nov. Teſtamenti fundatum eſt. Secundum eam enim adflictio Epiphanica, & glorioſa Ec-

 cleſiæ

cleſiæ Judaicæ vindicatio ac inſtauratio, regnis hoſtilibus deſtructis, per Maccabæos, reſpondet periodo cum perſecutionis Eccleſiæ Chriſti ab Antichriſto, & regnis ei mancipatis, inſtituendæ, tum liberationis & glorioſæ ejus conditionis, deleto Antichriſtianismo, in fine temporum, quam ultimus Chriſti adventus excipiet. Cujus harmoniæ conſpectum dedi in præf. ad Librum Cl. Vitringæ *de Miralis Chriſti & Creatione myſtica*; dedit etiam idem Vir Cl. in *Prolegom.* ad Comm. in Zach.; dabo ſuo tempore uberiorem. Prophetarum ſtylum typica & antitypica tempora eodem penicillo pingere, nemo amplius, qui Cl. Vitringæ comm. ad Jeſ. adtente, & ſine præjudicio, legerit, dubitare poterit. In quo nunc acquieſco.

F I N I S.

COMMEN-

COMMENTARIUS

AD

DAN. XI: 5.—XII: 3.

§. I.

Diſſertationibus ad *Vaticinia Danielis emblematica*, in quibus hujus etiam cap. XI: 1--4. pericopam luce aliqua adſperſi, adjungere lubet, ne quid ad prophetiarum Danielis, earumque exacti implementi, intellectum deſit, nobiliſſimum hocce vaticinium de *geſtis* & *fatis* duorum poſt Alexandrum regnorum, *Lagidarum* & *Seleucidarum*, usque ad remp. Judaicam, per Maccabæos liberatam & firmatam, perpetuo commentario, noviſque obſervationibus, ubi opus fuerit, illuſtratum. Duo illa regna, quæ a ſitu ad ſe invicem, & Judæam, illud *Lagidarum* ſeu Aegyptiacum *Auſtrale*, hoc *Seleucidarum* ſeu Syriacum *Septentrionale*, adpellantur, eam ob rationem, reliquis, ex Alexandrino imperio ortis, miſſis, ſola in ſcenam prodeunt, quod ad res Judæorum, in quorum gratiam revelatio hæc contigit Danieli, relationes habuerint: quam etiam ob cauſam cum mutuæ eorum concertationes de

Phoenicia & Palæſtina, quibus populus Judæus varie turbatus & diverſis fatis obnoxius fuit *a*, tum Syrorum hoſtiles in Judæam impetus præcipuam & fere unicam in hac prophetia partem faciunt. *Scripturæ* enim *ſanctæ propoſitum eſt*, ut recte Hieronymus *b*, *non externam abſque Judæis hiſtoriam texere*, *ſed eam*, *quæ Iſraeli populo copulata eſt.* Occurrunt vero, præter utriusque regni ortum, digito tantum monſtratum, *partim* mutuæ contentiones hoſtiles, & Judæorum adflictiones, cap XI., usque ad domus Antiochi Epiphanis finem; *partim* Judæorum liberatio & inſtauratio per Maccabæos, c. XII: 1--3. Quæ facillima eſt & recta totius prophetiæ partitio.

§. II. Præmittitur utriusque regni origo his verbis verſ. 5. *Et prævalebit rex Auſtri*, *& ex ducibus ejus: & invaleſcet ſupra ac contra eum*, *& dominabitur*, *ejusque dominium erit imperium magnum*, id eſt. Ampliſſimo Alexandri M. imperio in varias diſtracto partes, variaque diviſo in regna; duo eminebunt, reliquis & latiora, & firmiora, ac illuſtriora, *alterum* regis Auſtri Aegyptiacum, a Ptolemæo Lagi, *alterum*, poſt illud quidem, ab uno ducum Alexandri, Seleuco ſcilicet Nicatore, tunc adhuc *duce*, nondum rege, fundatum, attamen amplitudine & potentia excellentius; ſimul æmulum & adverſarium ejus. Prius *verſus* membrum de *regnorum* illorum fundatione, ſucceſſive & non ſimul peragenda, agit, *poſterius* in utriusque comparatione inſtituenda, qua poſterius priori præfertur, verſatur.

§. III. *Originem* utriusque imperii hæc pauca verba declarant: *& invaleſcet rex Auſtri*, *& ex ducibus ejus*, non regis Auſtri, ſed Alexandri M., verſu præcedente memorati, ſc. *invaleſcet* unus vel aliquis. Verbum enim יחזק *invaleſcet* ad utrumque, & *regem Auſtri*, & *ducum ejus aliquem*, pertinet; phraſisque, *ex ducibus ejus*, elliptica eſt, *unum-*

a Vid. Joſ. Ant. l. XII. c. 3. §. 3. Hieron. ad h. l.
b ad Dan. XI: 5.

unümque vel *aliquem* ex ducibus denotat; quo nihil eſt vulgatius, a Viris Doctis, Coccejo, Gejero, & aliis abunde illuſtratum: quare nihil addo. *Unum* vero *ducum ejus* non eſſe unum ſucceſſorum regis Auſtri, ſed Alexandri M., nec alium ac regni Aquilonaris conditorem *Seleucum* Nicatora, quod nonnulli recte notarunt, ſecus ac aliis viſum fuit, clare eluceſcit. 1. Quia Rex Auſtri non *duces*, ſed *filios* habuit ſucceſſores; nec inter Alexandri duces, alius ac *Seleucus*, æmulum ac potentius regnum ſupra & contra regem Auſtri conſtruxit. Quale hic intelligi & res ipſa, & ſequens phraſis, *& invaleſcet contra ipſum*, &c. facile evincit. 2. Quia verba verſ. 6. *& ſub finem annorum ſecum arcta ſocietate jungentur*, duos æmulos reges, qui nova regna fundarunt, antea fuiſſe memoratos, clare ſignificant: ceteroquin enim reges ſociandi *nominatim* adpellati fuiſſent. 3. Quia in prophetia, quæ tota ad regna Auſtri & Septentrionis ſpectat, eorumque fata mox perſequitur, unius tantum regni originis mentio fieri non poterat, alterius ortu plane neglecto. 4. Accedit, ſenſum, quem dedi, facillimum, verbisque apte eſſe congruum. A quo forte nemo aberraſſet, niſi titulus *ducis*, quo Septentrionalis regni conditor inſignitur, aliquos ſeduxiſſet. Cum enim *rex Auſtri* adpelletur, qui regnum Aegyptiacum condidit, quid quæſo rationis fuerit, alterius regni fundatorem *unius ducum* Alexandri titulo ſimpliciter inſigniri? Cui quæ in Diſſert. ad Dan. [a] de *cornu parvo*, Seleuci emblemate, in medium adtuli, in promtu ſunt, is ſua ſponte veram rationem, quam apud Interpretes non deprehendi, deteget, & prophetiæ exactitudinem admirabitur. Easdem enim ob rationes, quare *parvum cornu*, etiam hic *dux* Alexandri tantum nominatur, ubi Ptolemaeus *regis* titulo ornatur; cum quod, Ptolemaeo jam in principatu firmato, *Seleucus* ſimpliciter *præfectus* fuerit equitum primum, & dein *Babyloniæ* ope ipſius Ptolemaei factus,

[a] Diſſ. v. §. XIX. &c.

factus, tum quod *rex Septentrionis*, quem conſpectum hic gerit, non, niſi diu poſt Ptolemaeum in ampliſſimo poſitum regno, adpellari meruerit; Syria quippe, poſt Antigonum devictum, demum occupata. Quae, alibi latius deducta, hic tetigiſſe ſuffecerit. Nec dubium mihi eſt, quin *unius Ducum* Alexandri M. titulo inſigniatur Seleucus, ubi Ptolemaeus *rex* vocatur, ut manu quaſi ad *parvum cornu* a, inter reliqua ſeſe efferens, ducamur. De utroque, & *rege Auſtri*, & *uno ducum* Alexandri, illo Ptolemaeo Lagi, hoc Seleuco Nicatore, adhibetur verbum *invaleſcet;* quod a Propheta non repetitum eſt, quia mox ſequitur, *& invaleſcet contra & ſupra eum*, ſcilicet, *is ipſe ex ducibus ejus.* Ex quo, τὸ *invaleſcere* ad Ducem memoratum quoque adplicandum eſſe, facillime perſpici poſſet. Verbum vero חזק cum apud Arab. ſedem in *nervo* fortius *vibrato*, ſimulque valide *adſtricto*, habeat, & *adſtrictionis* cum *vibramine* intellectum præbeat, unde *revinxit*, *firmiter adſtrinxit*, ſignat, & de re bellica uſurpatum *firmiter tenere adverſus hoſtem* irruentem, ac *obtinere* tanquam victorem b, denotat: firmiter conſiſtens, durabile, bellicoſum & triumphabundum, repræſentari regnum, ab utroque hoc heroa erigendum, cuivis adparet. De quo Hiſtoria neminem quoque dubitare ſinit. Quam fuerit regnum Lagidarum in florente ſua periodo ſub Ptolemæo Lagi & Philadelpho *amplum*, *opulentum* & *potens* Hiſtorici, infra c citati, ne alios proferam in re notiſſima, edocebunt.

§. IV. Alterum vero illud Syro Macedonicum, a Seleuco fundatum, æquale non tantum, ſed & ſuperius ac illuſtrius fore, ſimul æmulum, Propheta ipſis verbis prænunciat, dicens, *& invaleſcet contra ac ſupra eum, & dominabitur, eritque imperium amplum dominium ejus.* Quæ verba

a Dan. VII: 8. VIII: 9. b 1 Reg. XVI: 22. Pſ. XXXV: 2. Dan. XI: 32. c Appian. in Præf. Diod. Sic. XIX & XX., Pauſan. in Att. l. VI., Theocrit. Idyll. XVII.

verba ad illum *ex ducibus ejus* ſine dubio referenda ſunt, cum quod cum eo per *&* connectantur ac proxime cohæreant, tum quod, verbo *invaleſcet* in principio verſ. de ſolo rege Auſtri adhibito, nec repetito & *Duci* adplicito, ſequens illud *invaleſcet*, ad Ducem referendum, defectum illum ſuppleat. Emphaſi vero non caret phraſis *invaleſcet* עליו *ſupra & contra ipſum*, imo & *juxta* ipſum: quam ſenſus amplitudinem habet vocula על, quæ hic recte admittitur, hiſtoria confirmante. Condidit enim Seleucus Nicator regnum Syro-Macedonicum, regno Lagidarum vicinum, nec multum poſt, æquale quoque non tantum, ſed & latitudine, potentia & opibus, majus, cujus mox ipſe Angelus meminit, *eritque dominium ejus amplum* dicens, denique *æmulum* & *adverſarium*, uti poſtea adparuit, quando in nervos erupit, quod tempore Seleuci Nicatoris in partu fuit. Regnum *Seleucidarum*, non hyperbolice, ſed exacte & ex vero hic depingi, demonſtratu ex Hiſtoria non eſt difficile; de quo alibi [a] fuſius diſſerui.

§. V. Utriusque regni æmuli & potentiſſimi fundatione narrata, ad mutuas concertationes, in primis de Cœleſyria & Palæſtina, quae variam Judaeorum ſortem pepererunt, tranſiturus Propheta, earum originem in fatali filiae Ptolemaei Philadelphi *Berenices*, & *Antiochi Dei* regis Syriae, conjugio, pacis licet firmandae cauſa inito, quaerendam, quam aptiſſime praemittit, verſ. 6. *Et ſub finem annorum ſecum arcta ſocietate jungentur; & filia regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis ad perficiendas rectitudines: ſed non ſtringet illa vires brachii, nec ſtabit ipſe ejusque brachium. Et tradetur ipſa cum comitatu ejus & nato ejus, ut & illud, quod ipſam temporibus corroborabat.* Quae verba huc redire exiſtimo. Reges Aquilonis & Auſtri, ſive ut bellum finiant, ſive ut illud praeveniant, & arctiore ſtabilioreque amicitia copulentur, ſocietatem inibunt, foedusque pangent; in cujus confirmationem Filia Regis Au-

[a] Diſſ. v. ad Dan.

ſtri dabitur Regi Septentrionis uxor. Sed haec longe ſecus cadent; quodque amicitiam firmaret, illud diuturni & difficillimi belli ſemen fiet. Filia enim illa, uxor Regis facta, ſtatum ſuum non tuebitur, nec ipſe Rex Aquilonis firmo ſtabit talo, ſuamque Majeſtatem ſartam tectam tenebit. Illa quippe cum comitibus & parvulo, in ſpem regni nato, cumque ipſo fortalitio, quo ſeſe difficillimo tempore defendebat, in manus hoſtium incidet, & peribit. Hac cum paraphraſi qui hiſtoriam Berenices, filiae Ptolemaei Philadelphi, ejusque nuptiarum cum Antiocho Deo, triſtisque fati, comparaverit, is ſenſum verborum & prophetiae implementum, quam accuratiſſimum, ſponte ſua perſpexerit. Diuturnum bellum inter reges Ptolemaeum Philadelphum, & Antiochum, vel Soterem, vel Deum, ut firma pace terminaretur, vel bello qualicunque, inter aemula regna facile orituro, omnis anſa praecideretur, ſocietatem & amicitiam inierunt, Ptolemaeus, Ptolemaei Lagi filius, rex Auſtri, & Antiochus Theos, ſive Deus, a Mileſiis ob tyrannum eorum occiſum dictus, Secundus a Seleuco Nicatore, ejus nepos, & filius Antiochi Soteris, *ille* itaque ſecundus Aegyptiaci ſeu Lagidarum regni, *hic* tertius Syro-Macedonici Rex. Quam ſocietatem ut firmiſſimam & ſtabilem redderent, Antiochus, uxore ſua Laodice & ſorore ſimul, quam nonnulli pro *filia* Ptolemaei quoque perverſe habent, repudiata, duxit Berenicen, Philadelphi filiam, multa dote a Patre locupletatam. Accidit autem progreſſu temporis, ut Laodices amore denuo captus Antiochus eam reſumſerit, & in priſtina collocaverit dignitate. Quo facto, maritum necavit veneno, Filium Seleucum, poſtea Callinicum dictum, in throno collocavit, & Berenicae cum filio, cui ſpes regni facta erat, inſidias ſtruxit. Quae cum Filio & fautoribus ubi ad munitiſſimam ſeſe recepiſſet arcem, capique non poſſet, fraude & dolo, ſub ſpecie foederis, juramento firmati, in manus Seleuci cum filio & ſociis ſeſe

&

& arcem tradidit, ſed in ſuam ſuorumque perniciem. Seleucus enim omnibus necem intulit, eoque facinore ſe omnibus odioſum præſtitit, ſimul diuturni & perpetui fere belli inter reges Septentrionis ac Auſtri fundamenta jecit. Quam hiſtoriam ab Hiſtoricis, infra [a] citatis, repetendam, hic uberius narraſſe, nihil adtinet.

§. VII. Hunc caſum quin Propheta noſtro verſu depinxerit, quæ communior eſt hypotheſis, dubio caret, cum quod fatalia ejus conſequentia ſequens prophetia pertexat, ut ſuo loco patebit, tum quod ſcopum recte feriat: eo enim collineat prophetia, ut regum Auſtri & Aquilonis continuas concertationes deſcribat, quæ ex hoc caſu ortæ ſunt; quam ob rationem ei hic locus datus eſt quam adcommodate; tum denique, quod tanta ſit inter prophetiam & hiſtoriam convenientia, ut nequeat eſſe exactior. Quæ ut in lucem proferatur, relegamus verba, &, ubi opus fuerit, nonnullis illuſtremus obſervationibus. *Et ſub finem annorum*, dicit Angelus, *arcta ſecum jungentur ſocietate*, reges nimirum ſuperiore verſu memorati, qui mox *Auſtri* & *Aquilonis* adpellantur, *hic* Ptolemæus Philadelphus, *ille* Antiochus Theos, ut modo notavi. Fueritne *ſocietas* illa ex bello nata, & ad illud finiendum facta, an ad præcavendum bellum, vel arctiorem amicitiam contrahendam tetenderit? textus propheticus in medio relinquit; nec ex hiſtoria adeo certum eſt. Hieronymo, qui vetuſta monumenta conſuluit, ſi ſtandum ſit, Antiochus Theos *geſſit bella quam plurima adverſus Ptolemæum Philadelphum, & totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit;* ad quod moleſtum certamen finiendum hæc ſocietas fuiſſet inita. Cui robur addit Pauſanias [b], qui Antiochum refert, a Maga, Philadelphi fratre, qui Apamen, filiam Antiochi, duxerat uxorem, excitatum, bellum intuliſſe Philadelpho: ſed in eo diſſentit cum Hiero-

 nymo,

[a] App. Syr. p. 211. Poliæn. Stratag. l. VIII. c. 50. Juſtin. lib. XXVII. Hieron. ad h. l. [b] Attic. l. I. c. 7.

nymo, quod de Antiocho Sotere, Seleuci filio, id tradat. Quæ conciliari nequeunt, niſi bellum ab Antiocho Sotere inceptum, dein a filio ejus Antiocho Deo reſumtum fuiſſe ſtatuas. Quod nihil abſurdi habet. Admittamus itaque, *bellum* præceſſiſſe, ejusque finiendi ergo ſocietatis foedus fuiſſe inter reges Auſtri & Aquilonis ictum. Quod licet ad phraſin, *ſocietate jungi*, non neceſſario requiratur, ei tamen convenientius videtur; cum *ratio* ſocietatis contractæ, a bello prægreſſo petita, ſit clarior; maxime cum inter utriusque regni conditores, Ptolemæum Lagi & Seleucum Nicatora, arctiſſimæ amicitiæ foedus jam diu ante fuiſſet pactum, teſte Pauſania [a]: cujus & meminit Appianus [b], Seleucum recepiſſe Ptolemæum Ceraunum, filium Ptolemæi Lagi, tanquam φίλȣ παῖδα *amici filium*, ſub vitæ finem, narrans. Quod niſi ruptum fuiſſet, nova minus opus fuiſſet pactione, cujus hic meminit Propheta. Quæ ſi recte disputata ſint, ſenſus vocum, *ſub finem annorum*, alias vagus, cum terminus a quo, ut dicitur, figi nequeat, definiri exactius poterit. Inter Seleucum enim & Ptolemæum Lagi cum foedus amicitiæ non interruptum continuaverit, nec niſi ſub Antiocho Sotere, ut modo ex Pauſania obſervavi, fractum ſit, ab eo tempore, quo bellum cum Philadelpho incepit, anni erunt ſupputandi, ſub quorum *finem* ſocietatis fœdus renovatum eſt inter Antiochum Deum & Philadelphum. Quod annorum ſpatium etſi determinari nequeat, ſatis longum tamen fuiſſe conſtat, ut phraſi, *ſub finem annorum*, ſatisfiat. Regnavit enim Antiochus Deus annos *quindecim;* ante cujus primordia bellum ſub Patre ejus Antiocho Sotere inceperat, non niſi circa finem vitæ ejus terminatum. Vox vero *annorum*, in hoc vaticinio a *diebus* probe diſtinguenda, *aliquot* annorum ſpatium continet, cum *dies* pro pauciſſimis tantum annis ſumantur, verſ. 33.

§. VII. Ceterum non qualemcunque, ſed arctiſſimam, &

a ibid. b Syr. p. 208.

& conjunctiſſimam, ac ſtabilem, ſecum contraherent amicitiam, quam verbum התחבר, quo utitur Propheta, comprehendit; quippe cujus propria poteſtas eſt in *virgula nectente*, *compaginante*, & *arctius cohærere faciente;* unde teritur in *ſocietate arctiore*. Cujus præterea indicium ſimul, ſimul pignus foret utriusque regni copulatio per conjugium; quod ſequentia verba exprimunt: *& filia regis Auſtri intrabit* ad *regem Aquilonis ad faciendum complanationes*. Per quam *filiam* Berenicen, filiam Ptolemæi Philadelphi, nuptum Antiocho Deo datam, intelligi, facile animadverterunt Interpretes, ac dubio vacat. Quo tamen non careret, ſi, quod multis placet, *Laodice*, prior Antiochi uxor, ab eo repudiata, quoque fuiſſet Philadelphi *filia*. Ante Berenicen enim ſi rex Aquilonis habuiſſet uxorem *filiam* Philadelphi, vel ea hic intelligenda foret, vel parum ad pactum firmandum apta fuiſſet, *ſorori* ſi repudiatæ fuiſſet ſuffecta Sed bene habet, quod *Laodecen* ὁμοπατρίαν ἀδελφὴν, *ex patre ſororem Antiochi Dei* [A], diſerte adpellet Polyænus [b], & opinio de Laodice filia Philadelphi nullum habeat fundum, niſi in corrupto Appiani Alexandrini [c] loco, qui ita ſonat. δύο δὲ εἶχε, Λαοδίκην καὶ Βερενίκην, ἐξ ἔρωτός τε καὶ ἐγγύης, Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου θυγατέρας, *duas autem* (uxores) *habebat* (Antiochus Deus) *Laodicen & Berenicen*, *ex amore & deſponſatione*, *Ptolemæi Philadelphi filias.* Sed θυγατέρα in ſing. eſſe legendum, & de ſola Berenice capiendum, dudum obſervavit Palmerius [d], qui integras præterea voces poſt ἐγγύης excidiſſe,

[A] Oportet itaque præter Stratonicen, novercam ſuam, ex qua Antiochus Deus natus eſt, aliam habuerit uxorem Antiochus Soter, pater ejus; cujus neſcio an alibi mentio ſit, quam in Pſephiſmato Sigeorum; a Doctiſſ. Chishul vulgato & illuſtrato, in *Inſcriptione Sigea:* ubi *Soteris ſoror* Σατιλιττα *regina* occurrit. Quod intactum non præteriit Eruditiſſ. editor p. 112.

[b] Stratag. l. VIII. c. 50.   [c] Syr. p. 211.

[d] Exercit. ad aut. Gr. p. 155.

diſſe, & locum integre legendum eſſe cenſuit --- καὶ ἐγ-γύης, τὴν μὲν ὁμοπατρίαν ἀδελφὴν, τὴν δὲ Πτολεμαίου &c. *illam quidem ex Patre ſororem, hanc vero Ptolemæi filiam.* Quæ ſi ſit nimia emendatio, licet per eam locus prono alveo fluat, rectius, vocibus ſejunctis, legeretur: δύο δὲ εἶχε, Λαοδίκην ἐξ ἔρωτος, καὶ Βερενίκην ἐξ ἐγγύης, Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου θυγατέρα: *duas vero habuit, Laodicen ex amore* (ſpontaneo, quippe ſororem) *& Berenicen ex deſponſatione*, a Ptolemæo Philadelpho facta, ad amicitiam mutuam firmandam; vel ita. Λαοδίκην καὶ Βερενίκην, τὴν μὴν ἐξ ἔρωτος, τὴν δὲ ἐξ ἐγγύης, Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου θυγατέρα; *Laodicen & Berenicen, illam quidem* (Laodicen) *ex amore, hanc vero* (Berenicen) *ex deſponſatione, filiam Ptolemæi Philadelphi.*

§. VIII. Hæc regis Auſtri filia, *Berenice*, ad regem Septentrionis, Antiochum Deum, *veniſſe* dicitur, proprie *intraſſe* in domum ejus, & thalamum, tanquam ſponſa ad ſponſum. Verbum enim בוא ſæpe *introeundi* poteſtatem exſerit, oppoſite ad *foras*, ſeu יצא *exire*, & de intimo ſumitur ac familiariſſimo commercio, quale eſt inter conjuges [a]. Sed additur, *ad rectitudines faciendas*, ut ſcopus iſtius conjugii explicetur. Quæ phraſis directe *foederis*, & *amicitiæ*, confirmationem ac conſummationem comprehendit, ſed indirecte ſeſe ad *dotem* opulentiſſimam adlatam porrigit. Radix ישר proprie ſignat *æquationem* & *complanationem*, quæ poteſtas Arab. non tantum, ſed & in Script. ſupereſt, & in מישר *planitie æquisſima*, oppoſita monti aſpero, conſpicitur. Hinc ad *placitum*, quod æquum & planum eſt in oculis alicujus, ut Lat. *placere* ex πλὰξ, πλάκος *planitie;* nec non ad quævis *commoda* ac *ſecunda*, proſpera ac felicia; etiam *opulentias* & *divitias*, quæ planum & facilem reddunt vitam, tranſitum fecit: de quo videndus eſt Cl. Schultens [b]. *Facere* itaque *rectitudines*, ſecundum hanc amplitudinem, 1. *placita* utriusque

[a] Jud. XII: 9. Cant. I: 4.   [b] ad Prov. XI: 24.

que regis facere, ac foedus pactum firmare denotabit. 2. *Commoda* utriusque regni & proſperitatem promovere, planamque ac facilem ſternere viam, inter utrumque regnum, omni diſcordia ac aſperitate ſublata, ſignificabit. 3. Denique indirecte opulentiſſimam fortunam, quam ſecum adferret ſponſa, ſplendidiſſime *dotata*, cum admittat uſus vocis מישרים, ut modo notavi; nec reſpuat verbum עשה, quod *acquirere*, *lucrari*, *adferre* quoque ſignat, uti notum eſt; nihil impedit quominus ei hic locum demus; imo exigit fere ſingularis dos, quam hæc filia Auſtri in domum ſponſi ſui intulit. *Deduxit* enim *eam* Philadelphus *usque Peluſium*, verba ſunt Hieronymi, *& infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit. Unde* φερνοφόρος, *id eſt dotalis adpellatus eſt.* Verti hoc ſenſu aptius poſſet, *veniet filia ---- faciendo opulentias*, eas adferendo, & ea ratione benevolentiam ac amicitiam regum magis conciliando ac firmando.

§. IX. Eventus tantum abeſt ut huic ſcopo reſponderit, ut continua inter duo regna pepererit bella, multaque mala. Quod his verbis prænunciatur, *ſed non ſtringet illa vim brachii, nec conſiſtet ipſe, ejusque brachium: & tradetur ipſa, & comites ejus, & natus ejus, & quod ipſam tuebatur temporibus.* Quæ *a.* rationem, quare ſucceſſus non fuerit conjugii optatus, pandunt, in eo ſitam, quod nec ipſa filia Auſtri, nec ipſe rex Aquilonis vim roburque retinuerit. De *illa* dicitur, *non ſtringet vim brachii*, id eſt, poteſtate autoritateque quid præſtandi ad ſtatum ſuum tuendum, & pactum firmandum, complanationes & æquationes illas efficiendas, privabitur. Verba manifeſte ad Berenicen, filiam Auſtri, Antiocho jam nuptam, pertinent, ut ex gen. fœmin., quo verbum תעצר occurrit, manifeſtum eſt. Conſtruunt quidem nonnulli cum הזרע *brachium*, vertuntque, *nec tenebit vim brachium;* ſed, præterquam quod ſtructura ſit impeditior, illud inprimis obſtat, quod *brachium* abſolute ponatur, & non *brachium ejus*,

ejus, ut debuiſſet; nec faciles admittat explicatus, quid per *brachium* intelligendum ſit? maxime cum mox recurrat *brachium ejus*. Rectius itaque de Berenice interpretamur, quæ negatur *vim brachii ſtrictura*, ſeu exſertura, quatenus autoritate poteſtateque ſtatum ſuum firmandi, & officium, propter quod miſſa erat, faciendi, orbaretur. Verbum עצר proprie eſt *ſtringere cum preſſione*, & inde, inter alia, *exſerere*, *exprimere*, ut Lat. ſtringere enſem, ſtringere ſuccus, & *ſtringere vires*, ut hic & alibi *a*, de eo, qui robore, ac vigore pollet ad quid efficiendum. Vires vero *brachii* dicuntur, quia eo ad quid agendum, & nos defendendum, uti ſolemus. Quod eſt in facili. Hinc *vir brachii b* eſt, potentia ac auctoritate valens, & *brachia impiorum c* eorum opes & potentiam pingunt. Ne plura in re facili proferam.

§. X. Sed quæ hujus inbecillitatis, imminutæque potentiæ ratio foret? eam exponunt ſequentia verba, ad Antiochum referenda: *& non conſiſtet*, *& brachium ejus*, Maſc. gen. verbum יעמד, ut & adfixum in זרעו, nos ad aliud ſubjectum reſpicere cum jubeant, Antiochus Deus, vel Ptolemæus Philadelphus, unice in cenſum venire poterit. Sed in Philadelpho, de quo nonnulli cogitant, nullum ſenſum admittit, nec ad ſcopum facit. Talis enim oportet intelligatur, qui Berenicen in ſtatu & dignitate tueri debeat, quo fracto ipſa *vim brachii exſerere* prohiberetur. Qui nullus alius eſt ac ipſe rex Aquilonis, cui nupſerat, cujusque potentia inniti deberet, ad quid præclare faciendum. De hoc autem dicitur, *non ſtabit*, *nec brachium ejus:* quo plus ſignificatur, quam exprimitur. *Non ſtare* enim eſt non tantum fidem non tenere, ſed & vim ſimul perdere, ac vitam, quare *brachium* ejus additur; ut de eo fracto, ſeu potentia ac imperio abolito, cogitaremus. Duo itaque mihi indicari videntur, Antiochum

a 1 Chron. XXIX: 14. 2 Chron. II: 5. XIII: 19. *b* Job. XXII: 8. *c* Pſ. XXXVII: 17.

tiochum nec promiſſis ſtaturum, Berenicæ ac Philadelpho factis, nec etiam ſtatum ſuum conſervaturum. Quod hiſtoriæ exacte reſpondet. Spretæ enim uxoris Laodices amore denuo captus Antiochus eam reſumſit, & dignitati reſtituit; ſed ab ea etiam, quæ regis animo diffidebat, brevi poſt occiſus eſt; filio quoque ejus *Seleuco Callinico* in thronum evecto: uti ex Hiſtoria [a] ſatis conſtat.

§. XI. Subjungitur triſtius Berenices fatum inde ſecutum, ut ratio concertationum inter reges Auſtri & Aquilonis, inde ortarum, reddatur; his verbis: & *tradetur ipſa, & comites ejus, & natus ejus, & quod eam temporibus in illis defendebat.* Quæ ſingula verbo ſunt illuſtranda, & cum hiſtoria comparanda. *Et tradetur ipſa*, ſcilicet Berenice, quæ poteſtate & auctoritate jam privata erat, ut modo erat dictum: *tradetur* vero in manus hoſtium, & perniciem. Quam ſignificationem ſubinde hoc verbum, abſolute poſitum, præfert: ut loca, a Gejero jam adlata, evincunt; quibus nonnulla addidit, hinc explicanda, Cl. Schultens [b]. Huic exitio tradendis accenſentur *comites ejus*, ſeu, qui verbi הביא uſus eſt, qui *eam* deduxerunt in domum ſponſi, eam comitati, cum ad regem Aquilonis *intravit*, uti modo dictum erat. Deduxit enim eam ſplendido comitatu Philadelphus ad regem Aquilonis, quemadmodum ſupra vidimus. Viros non tantum ſed & *fœminas*, uti res ipſa docet, comprehendere fas eſt; quæ eam in *caſtrum*, quo ſe recepit, ut mox dicam, quoque comitatæ ſunt, & ſtrenue defenderunt, eandemque ſortem ſubierunt. Berenice utique fraude ex arce educta & trucidata, αἱ δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτὴν γυναῖκες ὑπερασπίζουσαι προσαπέθανον αἱ πλείονες, *quæ vero circa eam erant mulieres defenſionem molitæ plurimæ ceciderunt;* quæ verba ſunt Polyæni [c].

[a] App. Syr. p. 211. Polyæn. ſtrat. l. VIII. c. 50. Valer. Max. l. IX. c. 14. Plin. H. N. l. VII. c. 12. Hieron. ad h. l. [b] ad Prov. V: 9. [c] Strat. l. VIII. c. 50.

§. XII. Nec comites tantum, verum ipſe regni hæres, in ſpem ſucceſſionis ex Berenice natus, crudeles hoſtium manus non effugit. Filium enim ejus, adhuc parvulum, eodem tempore quoque neci datum eſſe, tradunt iidem hiſtorici, ſæpius citati *a*. Quo referendum exiſtimem, quod mox ſequitur, והילדה *& qui natus ejus fuerit*, ut Jun. & Trem. verterunt, vel, ſicut Piſcator, *cum nato ejus*. Quibus antiquæ verſiones conſentiunt, modo hodiernæ lectioni medela adferatur, Græci utique ἡ νεᾶνις vertentes idem in oculis habuerunt, rectiusque ὁ νεανίσκος *juvenculus* reddidiſſent, uti forte fecerunt; ſicut Vulg. *adoleſcentes* pro *adoleſcens*. Quorum auctoritate ſeſe facile tuetur Ill. Grotius, qui, unico mutato puncto, ut hunc ſenſum exſculpat, legendum cenſet הַיִּלְדֹּה pro הַיֹּלְדָהּ. Quod utique prætulerim, ſi recepta punctatio in *filii* ſeu *nati* ſignificatum non quadret, aliorum contortæ admodum, & veritati hiſtoricæ minus conſentaneæ, interpretationi, quæ *genitorem ejus* habet. Parens enim Philadelphus qua ratione cum Berenice dicatur *traditus* in manus truculentorum hoſtium, nulla via expeditur; minus etiam, cum jam ante exſpiraverit, Ptolemæo Euergete ad clavum ſedente. Ad *vilipendium* Patris illud retuliſſe, quatenus *ejus nulla fuit habita ratio, quominus filia trucidaretur*, quod nonnullis excidit, minus cum Script. auctoritate conſiſtit, quam in unico puncto vocali vitium irrepſiſſe, incuria librarii, ſtatuere. Cl. Coccejus vertit, *& genitrix ejus*, intelligitque de matre *brachii*, ſeu liberorum, quæ ipſiſſima foret Berenice. Quod *a.* in formam maſcul. vocis הילדה, uti recte Gejer. obſervavit, incurrit. *b.* falſo nititur fundamento, per *brachium* intelligi *liberos*, & ad *brachium* pertinere *relativum ejus*. *c.* Cum præcedentibus, ubi *mater* Berenice jam expreſſe erat memorata, conciliari nequit, ſine inepta repetitione. Ergo vel הַיִּלְדֹּה *natus ejus* lega-

a App. Syr. p. 211. Polyænus l. c. Juſt. XXVII. c. 1. Hieron. d b. l.

legatur, vel recepta punctatio pro minus uſitata habeatur, & eundem fundere ſenſum teneatur: alium utique nec ſeries orationis nec hiſtoria admittit. Alterutrum obtineat neceſſe eſt: nec video, quid abſurdi habeat minus uſitata punctatio cum *cholem*, יֹלדה, cum punctum illud vocale & *kametz* adeo vicina ſint, nec ſono multum differant, & nonnullæ voces utrumque ferant, in primis formæ *ſegolatæ*, ut dicuntur. Cholem & Kametz, propter ſoni adfinitatem, nonnunquam *alternari* mirum non eſſe, adfirmat Cl. Schultens *a*, & exemplis demonſtra . Quare itaque ילד & וָלָד non potuiſſet locum habere? ſicut apud Arab. obtinet. In ſegolatis plurima ſunt nomina, utroque puncto uſitata; ut חֹצֶן & חֶצֶן, טֹפַח & טֶפַח, עֹצֶר & עֶצֶר, קֹטֶב & קֶטֶב & plura alia. Nec officit, quod ילד vel ולד non amplius in reliquiis Biblicis occurrat, cum ingens ſegolatorum numerus perierit; ut Idem *b* obſervavit.

§. XIII. Tandem inter ea, quæ cum Berenice traderentur, locum quoque reperit *munimentum* ejus *in temporibus*, מחזקה בעתים, proprie *firmiter eam tenens in temporibus*. Quod quid ſit, minus recte expedierunt Interpretes, qui vel *Antiochum*, maritum Berenices, præeunte Hieronymo, intelligunt, vel *Ariſtarchum* medicum, qui ipſi in arce, qua incluſa erat, adfuit. Sed Antiochus jam modo, tanquam fractus, erat memoratus, nec amplius erat, veneno jam ante ſublatus, cum Berenice tradita eſt: ne dicam, Antiochum promiſſis non ſtetiſſe, adeoque de ipſo dici non poſſe, *eum*, *qui confortabat ipſam*, fuiſſe cum ipſa *traditum* *Ariſtarchi* vero nulla poteſt haberi ratio, cum quod conſilio ei tantum adfuerit, & *Medicum* ejus egerit, tum quod ipſam pravo conſilio *tradiderit* potius, quam tuitus ſit; ut hic dicitur. De quo ex Polyæno *c* ſatis conſtat. Equidem vix dubitaverim, quin *munimentum*, ubi *ſeſe clauſit* Berenice cum filio & comitibus ad necem

 quæ-

a Inſtit. Gram. Hebr. p. 199. *b* Ib. p. 208. *c* Strat. l. VIII. c. 50.

quæſita, indicetur: de quo Polyænus *a*, qui ὀχυρώτατον τόπον *firmiſſimum locum* adpellat, & Juſtinus *b*, qui eam *ſeſe Daphnæ clauſiſſe* tradit, teſtantur. Quod itaque aptiſſime vocatur מחזקה, ſive pro particip. habeatur, & *tenens eam* vertatur, ſive pro nomine ab initio per מ aucto accipiatur, & de loco, firmationem præſtante, ſeu *munimento*, intelligatur, ut מעוז, מבצר hoc ipſo in cap., & alibi ſæpe, ne plura ſimilia memorem. Venit autem hoc nomine eo aptius, quod verbum חזק in militia quoque locum teneat, & *firmiter tenere* contra hoſtem irruentem denotet, ut ſupra obſervavi. Quem uſum Berenicæ præſtitit illud munimentum, plane inexpugnabile. Cui etiam recte convenit, quod *traditum* dicatur: non enim hoſtium vi, ſed fraude captum eſt, ab ipſa Berenice, quæ foedus cum hoſtibus inierat, dictis eorum credente, in manus eorum traditum. Commendat denique hanc opinionem, quod ultima vox, בעתים *in temporibus*, quæ expediri non potuit, hinc facillimos nanciſcatur intellectus, modo uſus vocis, non infrequens, de *temporibus calamitatis*, adflictionis, & oppreſſionis, quem exemplis jam firmavit Schindlerus *c*, in memoriam revocetur. *Munimentum* itaque *ejus*, vel eam *defendens firmiter*, in *temporibus*, quæ voces ſecum copulantur, erit, facillimo ſenſu, munitiſſimus iſte locus, quo Berenice, a Seleuco Callinico, jam rege facto, ejusque matre Laodice, ad necem petita, ſeſe recepit & incluſit, nec, niſi prodita fuiſſet, in manus eorum incidiſſet; a fratre Euergete, ad ejus liberationem advolante, mox vindicanda: quo itaque in difficillimo illo tempore & periculoſiſſimo firmiſſime tenebatur, & corroborabatur. Nec longe quæſitum eſt, vocem *temporis* ad calamitoſum hic retuliſſe tempus, cum proprie, ut Gr. καιρὸς, *opportunum* & *tempeſtivum* exprimat tempus, quod, relate ad *munimentum*, in malum pro qualitate temporis ſeſe facile flectit. *Munimentum* enim in *opportunis*

a l. c. *b* Lib. XXVII: 1. *c* in Lex ad h. vocem.

nis temporibus nos ſponte ſua ad periculoſa tempora, quibus *munimentum* recte conveniebat, ducit: erat autem eo etiam nomine, ut illud verbo addam, opportunius, quod *aſylum* ſimul eſſet, teſte Strabone *a*, & auctore *b* libri Maccabæorum; qui de Daphne, celebratiſſimo illo Antiochiæ ſuburbio, illud tradunt, ubi *munimentum* collocat Juſtinus *c*, quo ſe clauſit Berenice.

§. XIV. Secum traxit hoc ſceleſtum in Berenicen, ejusque filium, commiſſum longam plurimorum malorum & bellorum ſeriem, quæ initium ceperunt cum Ptolemæo Euergete, in regnum Syriacum hoſtiliter irrumpente ſub Seleuco Callinico, ut necem ſororis ulciſceretur, dein etiam *ſub ſpecie ſororiæ ultionis*, quæ Juſtini *d* verba ſunt, *Aſiæ inbiante*, totumque fere illud occupante, & ſpoliante. Quo tendit pericopa ſequens, verſ. 7--9. *Et ſtabit ex ſurculo radicum ejus ſtirps ejus obumbrans, venietque ad robur, & ſuperveniet fortalitium regis Septentrionis, & incumbet iis ac firmiter tenebit. Et Deos eorum cum Principibus eorum, cum inſtrumentis pretioſis ipſorum, argento, & auro in captivitatem abducet in Aegyptum; ipſeque annos ſtabit ſupra regem Septentrionis: & veniet in regnum regis Auſtri, ſed redibit in terram ſuam.* Quorum hæc eſto paraphraſis. Improbo hoc facinore in reginam perpetrato, cujus modo facta eſt mentio, mox ultor & vindex advolabit rex fortiſſimus & potentiſſimus, ex eadem reginæ ſtirpe ortus, qui ſicut potentiſſimum, & longe lateque diffuſum imperium obtinebit, ita in munita regis Septentrionis loca, ipſumque regni fortalitium irruet, & populos eos obruet, firmoque tenebit præſidio. Quo facto cum ingente præda, & numinum & aliorum bonorum, etiam principibus obſidibus, redibit in Aegyptum, manebitque rege Septentrionis aliquot annos ſuperior. Veniet quidem is in ditiones regni Auſtri, ad eas occupandas, ſed

a Geogr. l. XVI. p. 1089. *b* 2 Macc. IV: 33. *c* l. XXVII: 1. *d* l. c. c. 3.

ſed infelici ſucceſſu, & re infecta domum repetet. Quæ vivis coloribus Ptolemæi Euergetis, filii Philadelphi & fratris Berenices, regis Aegypti, expeditionem feliciſſimam & rapidiſſimam, multoque vel nullo ſine labore peractam, in regnum Septentrionale, ſeu Syro-Macedonicum, ſub Seleuco Callinico, filio Antiochi Dei ex Laodice, in vindictam necis Berenices, depingunt. Ptolemæus enim Euergetes, ingente contracto exercitu, citiſſime in regnum Syriacum irruit, totumque fére brevi tempore ſine multo opere, populis ubique ad eum deficientibus, *tantum* enim *vel illi* (Seleuco) *odium parricidiale ſcelus*, verbis utor Juſtini, *vel huic* (Ptolemæo) *favorem indigne peremptæ mors ſororis*, *adtulerat*, occupavit; occupatum præſidiis ſuis firmavit. Quo facto, domum cum obſidibus & infinito ſpolio reverſus, ſuamque illam poteſtatem in regnum Syriacum nonnullis annis tuitus eſt. Tentavit quidem Seleucus Callinicus, Ptolemæo bellum inferens, regnum ejus invadere, & ei vices rependere, ſed *victus prælio trepidus Antiochiam*, ut Juſtinus ait, *confugit*. Quæ, ſummatim narrata, nemini non ex Hiſtoria ſunt teſtatiſſima. Quare digitum ad fontes intendiſſe ſuffecerit. Agitur de iis omnibus apud *Appianum* [a], *Juſtinum* [b], & in *monumento Adulitano*, quo Euergetis expeditiones conſervatæ ſunt, apud Cosmam Indicopleuſten: [c] meminerunt etiam, præter Hieronymum, Polybius [d], Polyænus [e] & Joſephus [f].

§ XV. Eamus nunc per ſingula, &, Prophetiæ quam exacte conveniat Hiſtoria, paucis demonſtremus. *Et ſtabit*, inquit prophetia, *ex ſurculo radicum ejus ſtirps obumbrans*, regem Aegypti ex eadem, ac Berenicen, ſtirpe oriundum, Philadelpho ſucceſſurum, depingens, quem nemo non novit eſſe *Ptolemæum Euergetem*, non fratrem Phila-

a Syr. p. 211. *b* l. XVII. c. 1, 2. *c* In topogr. Chriſt. l. II. in collect. nov. Montfaucon. t. II. p. 141. *d* Hiſt. l. V. p. 561. *e* Strat. l. VIII. c. 50. *f* contra App. l. II. §. 5.

Philadelphi, quod nonnulli, ex Hieronymo male intellecto, putarunt, ſed, ut omnes teſtantur hiſtorici, *filium* ejus, ac fratrem Berenices dolo malo necatæ. Hieronymus enim, ubi dicit, *occiſa Berenice & mortuo Ptolemæo Philadelpho, patre ejus, in Aegypto, frater illius & ipſe Ptolemæus, cognomento Euergetes, tertius ſucceſſit in regnum, de plantatione & de germine radicis, eo quod eſſet germanus.* &c. fratrem & germanum non tradit *Philadelphi*, ſed *Berenices* fuiſſe; ut verba haud obſcure indicant. Hunc *Euergeten* propheta non ſimpliciter adpellat *ſtirpem* ejus *obumbrantem*, ſed & *ex ſurculo radicum ejus*, ſcilicet *Berenices*, modo memoratæ, ut ex adf. fœmin. in voce שרשיה *radicum ejus*, extra dubium eſt. Quo inſinuatum voluit propheta, regem Auſtri expeditionem illam cauſa *ſororis* ſuæ, & ad necem ejus vindicandam, inſtituturum eſſe; quod nexus ſermonis quoque edocet. Cum enim narrationi de nece Berenices mox adnectatur regis Auſtri mentio, isque expreſſe ex *radicibus ejus* originem habere dicatur, illam ipſam cognationem excitaturum eſſe Euergeten, fratrem ejus, ad regnum Septentrionis invadendum, clare indicatur. Quod in hiſtoria ipſis etiam verbis expreſſum exſtat apud Scriptores, modo laudatos. Adpellatur Ptolemæus Euergetes *ex ſurculo radicum ejus ſtirps aut ſtolo ejus*, id eſt, *ſtirps ſurculi radicum ejus*, Berenices: ſive *radicum* emblemate Ptolemæus Lagi, & *ſurculi* Ptolemæus Philadelphus repræſentetur, uti Cl. Coccejo placet, ſive *ſurculus & radices* tanquam res eædem conſiderentur, & *ſurculus radicum* ſit, qui *radicem* domus conſtituit, qui & ipſe *radicum* loco eſt, quo ſtirps illa regia Berenices fulcitur ac ſuſtentatur. Quo ſenſu ipſæ domus *propagines* illuſtriores ac firmiores, ſeu *ſurculi* floride pulchri, quales proprie nomine נצר veniunt, *radicum* titulo inſigniuntur, ut recte Cl. Commentator Jeſaiæ [a] obſervavit. Quicquid ſit, ſive *ſurculus* ſit ex radicibus natus,

[a] ad Jeſ. XI: 9.

tus, ſive qui & ipſe *radicum* inſtar eſt, genus regium, ſeu ſtirpem regiam Berenices, adeoque domum Lagidarum intelligi, & ad Philadelphum ac Ptolemæum Lagi digitum intendi, manifeſtum eſt, & ad intellectum prophetiæ ſufficit. Ex hoc *ſurculo radicum* proditurus *ſtolo*, qui propterea ſtolo *ejus* adpellatur, eſt ipſiſſimus *Ptolemæus Euergetes*, eo titulo honoratus, quod ex Philadelpho, domus Lagidarum excellentiore, domusque fulcro, *ſurculo* effloruit, ipſamque illam domum obtexit, ac una cum ipſo populo obumbravit. Qualem *ſtolonem* vox כן, quæ hic occurrit, propria ſua poteſtate deſignat. Radix נן, cujus, & non, ut vulgo putatur, כון, ut analogia facile evincit, derivatum eſt כֵּן, & fœm כנה, propriam ſedem in *tegendo*, *obtegendo* habet, unde in ſinu *fovendi*, *obumbrandi*, ac a ſolis æſtu protegendi, nec non *defendendi*, uſus fluxerunt. De quo alibi egi [a], & uberius diſſeruit Rev. Hackman [b]. Hinc כֵּן, & כנה ſignificat *ſurculum*, qui diligentiſſime fovetur, omnique a noxa immunis præſtatur, ſimulque aliis præbet umbraculum, & protectionem; ſurculum itaque læte excreſcentem, & obumbrantem; ſobolem ex *arbore enatam*, ut verbis Suetonii, quæ Cl. Vitringa [c] mihi ſuppeditavit, utar, *quæ adeo adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis* [d]. Quem ſignificatum vox כנו in toto hoc cap., ubi ter [e] occurrit, conſtanter tuetur, ut ſuo loco patebit, illuſtri quoque, in loco Pſ. LXXX: 16. omnino præfert. Verba ita habent: *viſita vitem hanc, & ſurculum* כנה (hæc enim verba conjungenda ſunt) *quem plantavit dextra tua, quemque contra filium tibi roboraſti.* Quo in loco *ſurculus* eſt Maccabæorum, in ſpecie *Judæ* Maccabæi, emblema, qui mox *vir dextræ Dei* adpellantur; *filius* vero eſt Antiochus Epiphanes, qui mox *filius hominis* vocatur.

§. XVI. In-

a ad Deut. XXXII. 6. *b* in Præcidan. ſ. ad Ex. XXXVIII: 8. *c* ad Jeſ. XI: 1. not. *d* Suet. in Auguſto c. 94. *e* verſ. 20, 21, 38.

§. XVI. Interpretatio, quam dedi, luce ſua ita fulget, ut ulteriore illuſtratione non indigeat, communemque facile obſcuret. Verti vulgo ſolent verba; *& ſtabit de ſurculis radicum ejus* ſuper *baſi ſua*, ſeu regno ſuo firmo. Secundum quam verſionem vox כנו *baſin*, ſtationemque firmam, ſignabit, & phraſibus *de ſurculo* erit pro *aliquis*, vel *unus* de *ſobole radicum ejus*. Poſſet, fateor, כן *ſedem* exprimere, ubi quis fovetur, vigetque, & lætis floret fortunis, ſimulque aliis præſidio eſt, ab eadem radice כנן, & non, uti communiter, a כון, ejusque propria *obtegendi* poteſtate anſa ſumta. Quem uſum exſerere videtur Gen. XL: 13. Nec a ſtilo Orientalium abhorret, phraſin *ex ſurculo* per *ſurculum* eximium exponere. Vocula enim מן *ex*, *de*, eleganter *aliquem* dicit, ea phraſi, qua quis dicitur, *ex docto* pro aliquo ex doctis, & *de deceptore*, *de protectore*, de *uno*, pro *deceptore*, *protectore* & *uno*. Sic *ex ingenuo*, من حر apud Hariri *a*, pro *ingenuorum aliquo*, & alibi ſimiliter *b*. Cui & hic, ſalva noſtra hypotheſi, locum dare poſſem, vertendo: *ſtabit ſurculus aliquis radicum ejus*, Berenices, ipſe *ſtolo ejus* ſc. regis Auſtri, ſupra memorati, ut ſenſus ſit, ſurculum illum ſtirpis regiæ Berenices fore ipſiſſimum *filium* regis Auſtri; quo ſenſu כנו *ſtolo ejus* manifeſte ſumitur verſ. 20, 21. Sed nulla ratio eſt ab uſitata maxime voculæ מן *ex* ſignificatione diſcedendi; cum egregium fundat ſenſum, modo in lucem protractum. Quo de quicquid ſit, vulgata interpretatio, *ſtabit de ſurculo radicum ejus ſuper baſi* ſua, præterquam quod facilitate ſua noſtræ cedat, eo premitur etiam incommodo, quod cum propoſitio על *ſuper* deficiat, nec על כנו, ſed כנו ſimpliciter habeatur, tum emphaſi careat; quid enim *ſtare ſuper baſi* ſua, pro regia frui dignitate, emphaſios habet? ſolum *ſtare* ſufficiebat, ut paſſim in hoc cap., tum denique quod כן pro *baſi* nusquam, pro ſede & confotorio rariſſime,

a Conſ. XII. p. 136. *b* Vid. Cl. Schult. ad Har. p. 165.

riſſime, uti modo notavi, veniat; cujus hic ratio nequit haberi.

§. XVII. Inſiſto itaque datæ interpretationi, quam Vulg. verſio etiam expreſſit, reddens, *& ſtabit de germine radicum ejus plantatio;* quæ & eo ſe commendat, quod metaphoram *arboris* retineat, nihilque habeo quod addam, præter emphaſin verbi עמד, quod in *imperiis* ac *præfecturis* adhiberi amat, ut Cl. Schultens [a] jam obſervavit; nec qualemcunque, ſed firmam, ſplendidam ac potentem *ſtationem* comprehendit, qualis eſt rei in ſummo culmine ac faſtigio: ut Eccleſ. 11:9. & Dan. XI: 4. Quod ſummum, firmiſſimumque, culmen ſequentia deſcribunt: *& veniet ad robur, & ſuperveniet fortalitium regis Aquilonis, & incumbet iis, & firmiter tenebit.* Quæ verba partim ad ſummam potentiam, latiſſimumque imperium in genere, partim ad impreſſiones in regnum Septentrionis, ex mea opinione, pertinent: quod in *poſteriore* parte omnium calculo comprobatum, ſed in *priore* minus animadverſum eſt. Verba enim ויבא אל חיל *& veniet ad potentiam*, de *exercitu* ab ipſo coacto, quocum in regnum Aquilonis irruit, ut mox ſequitur, capi, & verti ſolent; *veniet cum copiis.* Vocem אל *ad* nonnunquam per *cum* reddi poſſe, inficias non eo: ſed 1. iſte uſus rarior eſt, nec adhiberi fere ſolet, niſi ubi *ſodalitii* & *familiæ* ejusdem notatio regnat; ut idem ſit ac *una cum, inter, &c.* Quod huc minus quadrat. 2. Quid emphaſios habeat, *veniet cum exercitu*, neſcio, cum illud per ſe ſequatur. Additum ſine dubio, ſi hoc voluiſſet Propheta, epitheton fuiſſet, vel *fortis*, vel *copioſi*, vel ſimile quid; ſicut בחיל כבד *cum exercitu gravi* [b], vel חילים רבים *copiis multis* [c], בחיל גדול cum *robore magno* [d]. 3. Quid, verbum ויבא *& veniet* repetere, neceſſe fuiſſet, ſi eadem de expeditione agatur? *& veniet cum exercitu, & veniet contra fortalitium* &c. minus videtur ferendum.

§. XVIII.

[a] ad Job. XXXIV: 24. [b] Jeſ. XXXVI: 5. [c] Dan. XI: 10. [d] ib. 25.

§. XVIII. Dubium itaque mihi non eſt, quin generalem regis & regni characterem his verbis fixerit Propheta, ex quo dignoſci poſſit, tanquam omnibus regibus Lagidis ante & poſt ipſum ſuperior, in eo ſitum, quod regnum haberet potentia, opibus & amplitudine, longe celeberrimum, quale Lagidarum imperium nunquam niſi hoc tempore fuit. De quo luculenter ex monumento Adulitano, ſupra citato, conſtat. Tenuit enim Euergetes, præter regnum a Patre ſibi relictum, totam fere Aſiam, & *minorem*, ſic dictam, maximam partem, & *majorem* usque ad Indiam, regna quoque omnia *cis* & *trans* mare rubrum, ſeu ſinum Arabicum, usque quo in Oceanum influit, Aethyopas & Arabes. Quod, tanquam notum, tetigiſſe ſuffecerit. Gentibus ſubactis recenſitis, ſubjungit rex in citato monumento: πάντα δὲ ταῦτα ἔθνη πρῶτος καὶ μόνος βασιλέων τῶν πρὸ ἐμοῦ ὑπέταξα, *Ceterum hasce omnes nationes primus & ſolus, poſt deceſſores meos reges, ſubjeci.* Patet itaque ratio, quare ab hoc charactere generali regem deſcribat propheta, eumque præmittat; maxime, quia poſt ipſum reges Lagidæ ſequentes omnes ſeſe otio & luxui dederint, regnique vires adtriverint. Hic unus & ultimus regnum potentiſſimum fecit & florentiſſimum. De quo itaque, jure merito, & κατ᾽ ἐξοχὴν dici poterat, eum *ad potentiam & robur veniſſe*, ſeu *ſtolonem* illum, *ex ſurculo radicum* Berenices enatum, factum eſſe *firmiſſimum* & denſiſſimum, altiſſimumque. Cui concinit, quod in monumento Adulitico adpelletur ὁ ἀνδρειώσας *ſtrenue agens.*

§. XIX. Quæritur tantum, num phraſis, *venire ad robur*, eum ſenſum ferat, & quid amplitudine ſua contineat? Ad phraſin, *venire* ad *robur*, offenderunt paſſim, tanquam inſolitam, & ſine exemplo, nec in ejus vim ac elegantiam penetrare potuerunt, quare ad aliam interpretationem, modo refutatam, ſe receperunt, longe inſolentiorem. Sed quid magis abſurdi habeat aliis ſimilibus, quas adferam, equidem non video? Hoc ipſo cap.

 noſtro

noſtro [a] mox ſeſe offert, *venire in opimitatem*, ſeu in opimam & opulentiſſimam fortunam; ut voces reddi & intelligi debent: de quo poſt. Quid? quod ipſa phraſis, *venire in robur magnum* verſ. 13., eodem ſenſu reperiatur; uti ſuo loco patebit. Nec multum differt, *venire in Dei juſtitiam* [b], *venire in fortitudines Domini* [c], pro penitus induere, intrare, ac conſequi. Germana plane phraſis eſt, *venire a robore ad robur*, ſeu *ire* מחיל אל חיל Pſ. LXXXIV: 8. quæ vires continuo creſcentes exprimit. Quod breviter efferri poſſet, per *ire* ad *robur*, pro *ire a robore ad robur*; adeoque *venire ad robur*, noſtro loco, idem ſignare poterit, ac *venire a robore* ad *robur*, ſeu ad ſummum robur. Vicina quoque eſt phraſis *venire in dies* [d], pro ætate provecto. Quid? quod elegantiæ multum & emphaſios habeat, *intrare robur*, pro intima ſocietate, & pleniſſima poſſeſſione, roboris: quem uſum verbum בוא ſæpe habet; uti vel ex Lexicis conſtat. Et ſicut de *homine* recte dicitur, *venit ad vires*, ad *dies* multos &c. ita & *ſtolo*, quæ imago regi fuit aptata, aptiſſime repræſentatur, *ad robur venire*, pro robuſtum & latum fieri.

§. XX. Videamus de vocis חיל *potentiæ* & *roboris* ſenſu, huic loco adcommodo. Complectitur חיל, cujus proprietas eſt in *verſando*, στρέφειν, uti obſervavit Cl. Schultens [e], inter alia id omne, quod Græci ἀρετὴν καὶ δύναμιν, *virtutem* & *vim* per omnia penetrantem, adpellant, adeoque & *robur* ad fortia facinora facienda, & *opes ac copias*, quæ nervos agendi faciunt, & *poteſtatem* in omnibus rebus *verſandi*, & omnia ad nutum diſponendi. Quæ omnia, ex Lexicis nota, huc recte quadrant. *Venire* itaque ad *potentiam* ſignificat, uti dixi, potentiſſimum, ditiſſimum, ac ampliſſimum conſequi imperium; quare emphatice occurrit cum ה, החיל, ad ſummum denotandum gradum: quæ vis eſt in multis vocibus ה emphatici, uti notum eſt.

§. XXI. Ge-

[a] verſ. 21. [b] Pſ. LXIX: 27. [c] Pſ. LXXI; 16. [d] Gen. XXIV: 1. Joſ. XIII: 1. & alibi. [e] ad Prov. XXXI: 29.

§. XXI. Generali illo regni ejus charactere obiter ſignato, ad impreſſiones in regnum Aquilonis, pro ſcopo hujus prophetiæ, mox pergit, easque fuſius paulo deſcribit. Impetum in regem Septentrionis, ab ipſo faciendum, hæc verba proponunt. *& ſuperveniet fortalitium regis Septentrionis*, id eſt, ſubito & improviſo unumquodque munimentum regis Syro-Macedonici invadet. Occurrit quidem in ſing. מעז, *munimentum*, *arx*, ſeu locus firmus & bene *intortus*, quæ propria eſt rad. עז, in *torquendo* ſita, poteſtas, ubi quis tuto degit, omnemque impetum fortiter repellit: ſed poteſt *collective* pro quavis arce, aut urbe munita accipi, ut verſ. 15. niſi quis *arcem* figurate pro *robore* regni ſumi velit, uti verſ. 17. *venire in robur totius regni*; vel pro omni eo, quod præſidio eſt ac defenſioni, adeoque, præter *munita loca*, hac voce comprehendi Deos tutelares, *Deos* מעזים hac ipſa voce verſ. 38. dictos, militares copias, viroſque fortes, cum *muro* comparari ſolitos & *munimento*, denique opes & divitias, reip. & regni nervos. Quam ſenſus amplitudinem *ſequentia* exigunt, ut mox patebit, & hiſtoria confirmat. Emphaſin habet peculiarem verbum יבא, quod verti, *ſuperveniet*; complectitur enim impetum ſubitum & violentum, quo quid improviſo obruitur: uti in locis infra [a] citatis. Quam eandem poteſtatem *ſuperveniendi*, *& nec opinato invadendi*, induit alterum *veniendi* verbum אתה; de quo Cl. Schultens [b]. Egregie, & in rem, Juſtinus [c]. *Frater quoque Ptolemæus periculo ſororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus ADVOLAT.* Quæ celeritas res conficiendi characteriſticam Euergetis qualitatem, teſte Callimacho [d], conſtituit.

§. XXII. Nec defuit ſucceſſus, quem his verbis *primum* in genere proponit Propheta, *& faciet in illis, & firmiter tene-*

[a] Pſ. XXXV; 8. XXXVI: 12. XXXVII: 15. XLIV: 18. Deut. XXXIII; 2. [b] ad Job. III; 25. [c] l. XXVII. c. 1. [d] in Jov. verſ. 87.

tenebit. Quod modo *munimentum* in ſing. dixerat, nunc in plur. per *ea* exprimit, quia *munimenti* nomine in genere omne regni robur comprehenderat; uti modo obſervavi. *Facere* vero in *illis*, & *firmiter tenere*, licet, quod luculenter demonſtravit Cl. Schultens [a], pro *firmiter tenere*, vel *capere*, ſimpliciter ſumi queat, per pleonasmum, Orientalibus ſatis uſitatum; majorem tamen emphaſin, ſicut paſſim, ita & hic ſe ſectari, indicat Propheta, quod non, ut in pleonasmo ſolet, utique communiter, dixerit, *& faciet & tenebit in iis*, ſed *faciet in iis*, *& tenebit*, verba *facere & tenere* ſeparans, & ſingula ſua vi pollere indicans. Quo ipſo oratio redditur paulo illuſtrior, & ſenſu amplior. Cui robur addit, quod phraſis עשה בהם eodem ſenſu & alibi [b] ſeorſim occurrat. Expeditionis itaque Ptolemæi Euergetis in regnum Syriacum effecta duobus tradit verbis, *facere* & *tenere*, quæ ſeorſim conſideranda & enucleanda ſunt. *Facere in iis*, vel *iis*, vel *in eos*, aut *inter eos*, quæ omnia particula ב admittit, & eodem hic redeunt, uſu haud infrequente *judicia*, quæ in eos exercentur, ſevera, ac *mala*, quæ iis infliguntur, ob oculos ponit: uti recte alibi obſervavit Doct. Schaubius [c]; in ſpecie ſenſu judiciali pro *agere* & ſevere *punire* ſumitur, etiam de Deo judice [d]. Quod ex primigenia verbi poteſtate, in *tegendo*, *operiendo*, unde *faciendi* & *incumbendi* alicui rei poteſtas fluxit, ut verbo notavit Cl. Schultens [e], uberius ad ejus normam, ejusque ſub præſidio, deduxit Rev. Kuypers [f], nova luce donatur. *Facere itaque in eos* erit, in eos cum ſua potentia & juſtitia, ſeu ira, incumbere, totosque operire & quaſi tenebris obruere, punire & graviter adfligere. Quem uſum etiam hæc phraſis alibi [g] obtinet, ſoletque *facere alicui* pro malum infligere, per

a ad Dan. VIII: 12. *b* Jer. XVIII: 23. Ez. XXXV: 11. *c* in Bibl. Brem. cl. IV. p. 695. *d* Job. XXIII: 9. Pſ. CXIX: 127. *e* ad Prov. XXXI: 13. *f* in Disp. Academ. ad Varia V. T. loca p. 15. *g* Jer. XVIII: 23. Ez. XXXV. 11.

per omnes fere linguas, in eum ſenſum flecti. Quod quam egregie in Euergeten, regno Syriaco occupato, quadret, nemini ex dictis obſcurum eſt; omnesque teſtantur hiſtorici, ſupra laudati, in primis *monumentum Adulitanum.* Judicii exerciti ſpecimen dediſſet luculentum, ſi quod de *Laodice*, totius tragoediæ in Antiochum Deum & Berenicen auctore, ab ipſo *occiſa* tradit Appianus *a*, certum foret. Digna ſunt verba, quæ hic legantur. Facinoribus Laodices narratis, in hæc verba pergit, Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Φιλαδέλφου ταῦτα λιννύμενος, Λαοδίκην τε ἔκτεινε, καὶ εἰς Συρίαν ἐνέβαλε, καὶ ἐς Βαβυλῶνα ἤλασε, *Ptolemæus Philadelphi filius hæc* facinora *ulturus, Laodicen occidit, & in Syriam irruit, & Babylonem usque prorupit.* Laodicen fuiſſe ſupplicio adfectam, non tantum ſilent reliqui Hiſtorici, quod tanti non eſt; ſed cum iis, quæ Plutarchus *b* & Phylarchus *c* referunt, vix conciliari poſſe, diſputat Cl. Driebergen *d*. De quo in nota dicam *A*. Sed prophetam

a Syr. p. 511. *b* de *fraterno amore* p. 499. *c* apud Athenæum l. XIII. p. 593. *d* ad Prideaux p. m. 821. in not.

A Plutarchus in concordiam cum Appiano qua ratione redigi queat? equidem non perſpicio: ſed ejus autoritas quare Appiano præferatur, nulla eſt ratio. Phylarchi teſtimonium magis officeret, ſi caſus, quem narrat, contingere non potuisſet, antequam Ptolemæus Epiphanes Laodicen in poteſtatem acceperit, & occiderit. Quod etſi cum Athenæi verbis recte conſiſtere obſervavi, in verum tamen eorum conſpectum, qui hypotheſin noſtram confirmat, penetrare non potui. Conſului itaque Valckenarium noſtrum, principibus in hoc ſtudiorum genere Viris adnumerandum; qui, pro humanitate & amicitia ſua, in hæc verba, quæ locum illum præclara perfundunt luce, & propterea, bona viri amicisſimi venia, in publicum profero, mihi reſpondit. Phylarchi *locus apud* Athenæum, XIII. *p.* 593. C. D. *eo mihi notior erat, quod inde mendam dudum ſuſtuleram. De* Laodice *ſi diverſa traderet ab aliis*, Phylarcho *tamen auſcultandum eſſe cenſerem, nam, quod e quadraginta fragmentis ejus Hiſtoriarum apud* Athenæum *æſtimare licet, veri fuit ſtudioſus, & multo, quam verborum delectus; diligentior, præterea proximus abfuit ab his temporibus. Sed hac quidem in parte cum aliis conſpirat; nonnulla tamen tradidit, quae abſque eo prorſus ignoraremus.*

Epicu-

tam *intrare* & *facere*, nulla aut prælii aut laboris ab Euergete facti mentione injecta, ſecum immediate connectere, peculiarem meretur animadverſionem; quia Ptolemæum

Epicureae Leontii filiam, Danaën, *quis tandem alius veterum commemoravit? Ter eius meminis* Menagius, *& hoc ſolo tamen loco nititur, in Hiſt. Mulierum Philoſ.* §. 71. *& in* Laërtii x, § 4. *&* 139. *ubi levis notari poterit elegantiſſimi viri lapſus.* Palmerium, *in Exercit. p.* 155. *ubi perperam* Danaën *vocat* uxorem Sophronii, qui Epheſum ad defectionem impulerat, Phylarchi *locum haud ſanequam intellexiſſe, minime miror, ſiquidem ipſe* Caſaubonus *in Animadv. p.* 879. *humani quid fuerit paſſus: nec enim Sophronis uxor fuit Laodice, neque Laodice* ſuccuba *Danaë, quod ſtatuebat* Caſaub. *Nunc reſpice mihi quæſo Phylarchea.* Phylarchi *Laodice eadem illa eſt, quae ſecundum* Appianum *in Syr. p.* 130. D. *maritum Antiochum* τὸν Θεὸν *veneno ſuſtulerat. Sophron*, Epheſo praefectus, ὁ ἐπὶ τῆς Ἐφέσου *olim amaſiam habuerat Danaën, ſed haec*, Σώφρονος γεγενυῖα πρότερον ἐρωμένη, *tum temporis erat* a conſiliis *& acceptisſima Laodice*, la Favorite, πάρεδρος (*non certe* ſuccubam *notat*) τῆς Λαοδίκης, πιστευομένη ὑπ' αὐτῆς τὰ πάντα. *Jam viam eſſe planam arbitror; & rem hoc modo digerendam. Quum ſcelus perpetraſſet, ſola Danaë conſcia, Laodice, ut regni ſucceſſionem in filium ſuum Seleucum derivaret, (legitimus enim haeres erat filiolus Berenices) Artemonem quemdam, Antiocho facie & voce ſimillimum, in lectulo collocavit; qui, Antiochum aegrum mentitus, Laodicen & natos populo ad lectum admiſſo commendavit. Sceleris praemio potita Laodice, priusquam matris hortatu Berenicen cum filiolo Seleucus interſici curaſſet, & aliis forte, certe Sophroni, tum temporis in aula Syriaca verſanti, Epheſi praefecto, ſtruxit inſidias; hac quidem re, nec mirum, cum ſua Danaë non communicata. Sed decipi non poterat Danaë; quae, quid Laodice moliretur*, cum e ſervulo intellexisſet (παρ' ἀκολούθου μαθοῦσα *ſic corrigendum cenſeo pro* παρακολουθοῦσα *quod ſenſu vacat in loco* Phylarchi) *amoris priſtini memor, Sophroni, primum nutu, deinceps clarius indicavit, quid agitaret Regina. Decepta Laodice, Sophron ſequente nocte profugit Epheſum. Tum illa, ereptam ſibi praedam indignata, dilectam ante Danaën de rupe juſſit praecipitari. Haec jam jam praecipitanda, prima, ni fallor, Laodice ſcelus publicavit. Sed Danaës verbis, quae Scholam ſapiunt Epicuri maternam, levis inſidet menda, talis tamen, quae ſententiam prorſus corrumpit. Pro*, ἐγὼ τὸν γενόμενον *corrige, ſodes*, ἐγὼ τὸν οὐ γενόμενόν μοι ἄνδρα (*Sophronem*) σώσασα τοιαύτην χάριτα παρὰ τοῦ δαιμονίου λαμβάνω. Λαοδίκη δὲ, τὸν ἴδιον (*Antiochum*) ἀποκτείνασα, τηλικαύτης τιμῆς ἀξιοῦται *ſyllaba praecedens* τὸν *voculam* οὐ *eliſerat. Ex uno Athenaeo* vigin-

mæum χωρὶς πολέμου καὶ μάχης *ſine bello & prælio a Tauro uſque ad Indum* occupaſſe ditiones regis Syriaci ipſis verbis teſtatur Polyænus *a*. quod ex defectione populorum a Seleuco Callinico ad Ptolemæum, nec non aliorum ſpontanea deditione, ex metu orta, cujus meminit Juſtinus *b*, clare confirmatur. Nullam etiam *prælii* aut *difficilis operis* ab Euergete ſuſcepti mentionem facit monumentum Adulitanum: ſed regiones omnes eum ſibi ſubjeciſſe, ſimpliciter tradit. Verum, ubi expeditiones ejus in Aethiopicas gentes memorat, eum μάχαις bello & pugna eas ſubjugaſſe narrat.

§. XXIII. Subjungit Propheta, *& firmiter tenebit*, non ſine ratione & ſingulari emphaſi: quam num aliquis detexerit, me latet? Verbum החזיק, cujus primariam vim in *adſtrictione cum vibramine*, quam Gr. εἴρω & ῥωννύω junctim exprimunt, eſſe ſupra obſervavi, in Hiph., ut hic, notat, *ſeſe adſtrinxit nexu indivulſo*, & hinc inter alia *firmiter tenere* fluxit. Ptolemæum itaque non tranſitoria aliqua expeditione loca regni Syriaci occupaturum, ſpoliaturum, & mox miſſa facturum, verum poteſtati ſuæ, utique præcipua, obnoxia retenturum, & præſidiis ſuis muniturum, *ſeſeque* iis nexu firmo ea ratione *adſtricturum*, Propheta hoc verbo mihi declarare videtur. Quod ſicut ad rem erat adcommodatum, ita Hiſtoriæ perquam conſentaneum. *Syriam ipſe obtinuit*, inquit Hieronymus, *Ciliciam autem amico ſuo Antiocho gubernandam tradidit, & Xanthippo alteri duci provincias trans Euphraten.* Imo *Seleuciam*, *urbem*

viginti loca mihi ſunt ad manum, in quibus etiamnum mendae latent, eodem fonte derivatae. Vin' loca quaedam deſignem? Si vacat, inſpice L. III. *p.* 102. E IV. p. 130. A. V. *p.* 195. B. VI. *p.* 235, *p.* 235. C. 265. D. IX. *p.* 400. D. XI. *p.* 489. F. XII. *p.* 521. C. D. XIII. *p.* 543. A *p.* 558. B. 564. F. 594. A. 609. C. XIV. *p.* 616. E. XV. *p.* 677. F. *Quod ſi forſan hic illic in eadem mecum incideris cogitandi veſtigia, Tuus ille conſenſus mihi jucundus erit veritatis index.*

a Strat. l. VIII. c. 50. *b* l. XXVII. c. 2.

urbem regiam, *& univerſi ferme imperii communem penatium ſedem*, ab hoc tempore diu poſt, temporibus adhuc Antiochi M., in poteſtate Lagidarum fuiſſe, eorum *præſidiis* firmatam, tradit Polybius *a*. Occurrit quoque, apud Athenæum *b*., neſcio quis *A Ptolemæus Philadelphi filius* ὁ τὴν ἐν Ἐφέσῳ διέπων φρουρὰν *qui præſidiariis impoſitis Ephеſo præerat.*

§. XXIV. Expeditione in regnum Syriacum glorioſiſſime finita, Euergetes cum maximis ſpoliis rediit in Aegyptum. Quod his verbis prænunciat Propheta, verſ. 8. *Et etiam Deos eorum cum prætextis ipſorum, & inſtrumentis pretioſis ipſorum, argentum & aurum in captivitatem abducet in Aegyptum.* Quorum implementum Hieronymus, ex vetuſtis, ſine dubio, monumentis, ſine quibus tam ſpeciatim omnia non potuiſſet narrare, in hæc verba demonſtrat. *Cum audiſſet in Aegypto ſeditionem moveri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vaſa pretioſa ſimulacraque Deorum, duo millia quingenta, in quibus erant & illa, quæ Cambyſes, capta Aegypto, in Perſas portaverat. Denique, Gens Aegyptiorum idololatriæ dedita, quia poſt multos annos Deos eorum rètulerat, Euergeten eum adpellavit.* &c. Quod ultimum, de rebus ſacris a Perſis ablatis, & ab Euergete redditis Aegypto, cum multa gaza alia, confirmat Monumentum Adulitanum. Nec eſt illud a Veterum moribus alienum, Deos ſeu idola devictarum gentium a victoribus

a Hiſt. l. v. p. 561. *b* Deipnos. l. XIII: p. 593.

A Et hic ſuccurrit mihi Valckenaerius noſter: cujus verba, ad hiſtoriam illuſtrandam egregia, hæc ſunt. *Athenaeus, quem memorabas, vix dubito quin ſcripſerit L.* XIII. *p.* 593. A *de Ptolemaeo, praeſidiariis Aegyptiacis Epheſi praefecto,* υἱὸς ἦν νόθος τοῦ Φιλαδέλφου Βασιλέως. (*affinitas literarum vicinarum vocem* νόθος *expulit*). *Philadelphus enim praeter uxorem meretriculas aluit minimum octo, apud eumdem* Athen. XIII. *p.* 576. *enumeratas, has inter amantiſſimam* Bliſtichin, Clementi *memoratam in Protrept. p.* 42. *lin.* 31. *in cujus honorem templum* Ἀφροδίτης Βλιστίχης *conſecratum fuiſſe Alexandriae* e Plutarcho *didici T.* II. *p.* 713. E. *Liberi autem e tali concubitu Regum ſuſcepti raro memorantur. ex. gr. primi Ptolemaei Lagidae liberos nothos, filiam certe e meretrice natam Irenen, nuptam Eunoſto Cyprio Regulo, ſolius cognoſcimus* Athenaci *teſtimonio p.* 576. E.

bus auferri, & in regnum ſuum transportari, ſive ad eos, quod populum ſuum tutari non potuerint, proſtituendos, uti Perſæ fecerunt, ſive ad populis præſidia, in Diis eorum tutelaribus ſita, eripienda, & ſibi adferenda, ſive ut victoriæ de iis reportatæ, & ſubjectionis eorum eſſent perpetua monumenta. De quo, præter alios, Viri Doctisſimi, P. Faber [a] & Bochartus [b], neceſſaria monuerunt. Quibus inſignem Pauſaniæ [c] locum, ab illis neglectum, addo, quo Græcorum hunc ac Barbarorum morem, quem Romani ſecuti ſunt, variis exemplis comprobat. Ceterum Deorum Aegyptiorum, a Cambyſe & Xerxe olim in Perſiam translatorum, nunc priſtinæ ſedi in Aegypto a Ptolemæo redditorum, hoc loco nullam fieri mentionem vel ex eo liquet, quod eos *in captivitatem* abduxiſſe dicatur Euergetes *in Aegyptum*: niſi, regem Aegyptiacorum quoque numinum nullam rationem habuiſſe, tecte hic quis inſinuatum velit. Quod Joſephi [d] teſtimonio, qui Euergeten, *tota Syria vi & armis occupata, non Diis Aegyptiacis ſacra feciſſe, ut pro victoria gratias ageret, ſed, cum Hieroſolymam veniſſet, multas hoſtias, ſicut noſtri moris eſt, Deo immolaſſe, & donaria victoria digna dedicaſſe*, tradit, haud parum corroborari poſſet, ſi per omnia verum eſſet. Deo Iſraëlis eum ſacrificaſſe, & donaria dedicaſſe, facile adcrediderim Joſepho: ſed *Diis Aegyptiacis* nulla ſacra feciſſe, minus credibile de rege, qui, ob *numina* Aegyptiaca reſtituta *Euergetis* cognomen accepit, quique ſeſe, in *monumento Adulitico*, *Deorum ſoſpitatorum nepotem*, ex paterno genere *Herculis*, & materno *Bacchi*, ſobolem eſſe gloriatur, & *Adulem* deſcendiſſe, *Jovi*, *Marti* & *Neptuno* ſacrificatum, declarat. Verum Propheta regni Syriaci fata hic præcipue pertexit, adeoque Syriæ numina proſtituenda fore tantum prædicit, eo in primis ſcopo, ut & vanitas eorum numinum, & ſubjugatio, ac deſpoliatio

[a] Semeſtr. l. II. cap. 4. [b] H. p. I. l. II. c. 34. p. 358.
[c] Arcad. l. VIII. c. 46: [d] contra Ap. l. II. §. 5.

regni Syriaci elucefceret. Quo & alibi in verbo Prophetico *a* collineatur.

§. XXV. In verbis nihil eſt difficile, quod operam noſtram deſiderat, præterquam in voce נסכיהם, quam LXX χωνευτὰς *conflatilia*, & Vulg. *ſculptilia*, recentiores paſſim *toparchas*, vel *principes* verterunt. Quod utrumque fert vox Hebr., punctis licet paulum diverſis. Radix a propria *texendi*, & non *tegendi*, quod verbo jam notavit Cl. Schultens *b*, poteſtate ad *fundendi* & *ungendi* tranſiit ſignificatum, quo liquor, dextra huc illuc mota, effunditur, & quaſi *texitur:* nec qualemcunque *fuſionem*, ſed vel *illitionem* vel *elaborationem* ſignat, quæ *nitidiorem* reddit rem aliquam aut perſonam, adeo ut *pulchra circumlitione prætexere* exprimat. Unde ad *idola* ſpecie perpolita, ac nitidiſſima, prætexta quaſi, nec non ad perſonas *prætextatas*, ſeu principes, referri ſolet. Quæ ex Arab. نسك & نسج Hebr. נסך ac נשג facile poſſent confirmari ac illuſtrari, ſi id hujus loci eſſet. Porrigunt itaque ſeſe derivata inter alia & ad *idola*, nitida ſpecie incruſtata, & ad principes ac purpuratos, dubiumque relinquunt fere hoc loco ſenſum. *Idola* recte adjunguntur *Diis*, quorum ſunt imagines, & a quibus inſideri cenſebantur ſimulacra. Sic *ſculptilia Deorum* occurrunt Jeſ. XXI: 9. Qua ratione ſine ulla tautologia *Dii* cum *idolis* eorum abduci dici queunt, quia imagines ſuas ſequi, iisque adfixi manere, cenſebantur. *Simulacra Deum*, *Deos imo ipſos*, *convulſos e ſedibus ſuis ablatos eſſe*, Ambracienſes querentes ſiſtit Livius *c*. Quod & huc aptius altero illo *principum* ſenſu convenire videtur, cum quod *Diis* & *inſtrumentis eorum deſiderabilibus* inſerantur, tum quod de *Principum* abductione in Aegyptum nihil conſtet, nec ratio abductionis pateat. Attamen cum נסך quidem pro *idola*, non נסיך, quo *princeps* tantum ſignatur, occurrat, puncturæ magis congruit, de *principibus* cogitaſſe, eosque cum Diis tute-

a Jeſ. XLVI: 1, 2. & alibi. *b* Clav. p. 250. *c* Lib. XXXVIII. c. 43.

tutelaribus, tanquam regni Syriaci protectores, fuiſſe deportatos, ſimul *obſidum* quaſi loco futuros, ſtatuiſſe. Nihil tamen definiverim. Reliqua ſunt facilia, aut ab Interpretibus ſatis illuminata.

§. XXVI. De ultimo *verſus* membro, quo duratio ſuperioritatis & ſecuritatis regis Auſtri, reſpectu regis Septentrionis, ob oculos ponitur, *& ipſe annos perſtabit a rege Septentrionis*, paucis quoque defungi potero. Selecta, & ad primam ſpeciem difficilis explicitu, phraſis eſt, *ſtabit rex Aegypti a rege Syriæ*, cujus omnem amplitudinem quoque non perceperunt Interpretes, ſed recte intellecta divitem fundit ſenſum. Non enim ſimpliciter ſuperiorem regis Auſtri poteſtatem, quam hic recte obſervarunt, qui *ſtabit præ rege Septentrionis* reddiderunt, quem uſum præf. מ haud infrequenter habet, uti notum eſt, denotat; ſed & *immunitatem* ab infeſtationibus regis Syriæ. *Stare a rege Septentrionis*, quæ uſitatior eſt præf. מ ſignificatio, divite ſenſu immotum & liberum a rege Septentrionis conſiſtere dicit. Cui proxime convenit, licet emphaſi majore polleat, præf. מ poteſtas, qua rem, cui præfigitur, ſupereſſe negat, vel ſimpliciter vim *negantem* habet. Sicut Job. XXI: 9. *domus eorum pax a pavore*, eſt *absque pavore*, ab eo libera: Hab. II: 16. *ſatiatus es ignominia*, a *gloria*, nulla tibi gloria reliqua, ut recte Cl. Schultens [a], qui recte addit, *agmen talium exſtat.* Pſ. LXXXIX: 45. *ceſſare feciſti* מטהרו a *ſplendore ejus*, pro, ne ſit amplius ſplendor. Zach. IX: 8. *ponam domui meæ circumquaque præſidium* (proprie, *& domui meæ reclinabo ſtatio*, ſeu præſidium, id enim מצבה ſignat) *a transeunte & redeunte*, pro, ne amplius hoſtilis exercitus tranſeat & redeat, infeſtetque. Plura proferre ſuperſedeo. Simili fere ratione noſtro loco, *conſiſtet a rege Septentrionis*, erit, non quidem ne abſolute ſuperſit rex iſte, ſed relate ad hoſtiles invaſiones, ne ſit rex infeſtans. Duo itaque hac phraſi continentur, *alterum*, regem Auſtri manſurum rege Septentrionis longe

[a] ad Job. l. c.

potentiorem & ſuperiorem, ipſi etiam deſuper imminentem, tanquam inferiori & imbecilliori, quod eſt *ſtare præ ipſo & ſuper ipſo: alterum*, regi Aegypti nihil negotii cum rege Septentrionis, tanquam hoſte, futurum, nullas infeſtationes & impresſiones paſſurum, ſed ejus reſpectu pacifice, & ſecure acturum, ac ſi amplius non ſupereſſet. Quod *utrumque* Hiſtoriæ exacte convenit. Aſia enim continuis bellis dilacerabatur; *Seleucus & Antiochus* (Hierax) *fratres bellum propter Aſiam gerebant ----- hinc Bithynus Eumenes, inde Galli (humiliorum ſemper mercenaria manus) Aſiam depopulabantur*: hæc Juſtinus [a]. Interea Ptolemæus Euergetes regno longe lateque propagato & potentiſſimo ſemper gaviſus eſt, nec aliquid ſibi a rege Syriæ metuendum habebat: quid? quod *pax* inter reges Syriæ & Aegypti fuerit, teſte Juſtino [b], inita, & recte conſervata. Quæ regis Auſtri ſuperioritas & ſecura conditio duravit, quamdiu ſuperſtes fuit Ptolemæus Euergetes, rex fortunatiſſimus & potentiſſimus, qui annos 25 regnavit: Seleuco, qui *amiſſo regno equo præcipitatus*, verba ſunt Juſtini [c], jam *finito*. Quæ, ni fallor, phraſi, *ſtabit annos a rege* Septentrionis, ſufficiunt. *Anni* abſolute memorati in hoc libro juſtum aliquod, non hebdomadum, aut menſium, ſed *annorum* aliquot ſpatium, uti ſupra jam notavi, dicunt.

§ XXVII. Feliciſſimam hanc regni Aegypti periodum una tantum vice, ex quo regnum Syriæ invaſerat Ptolemæus, interturbare molitus eſt Seleucus, expeditionem in regnum Aegypti ſuſcipiendo, haud diu poſt regnum Syriæ a Ptolemæo occupatum, ſed infeliciſſimo ſucceſſu. *Laetus malis ſuis* (Seleucus,) *& damnis ditior redditus*, utor rurſus Juſtini [d] verbis, *veluti par viribus, bellum Ptolemaeo infert: ſed quaſi ad ludibrium tantum fortunae natus eſſet, nec propter aliud regni opes recepiſſet, quam ut amitteret*,

[a] l. XXVII: c. 3. [b] l. c. cap. 2. [c] l. c. cap. 3.
[d] Ib. c. 2.

ret, victus prœlio, non multo quam poſt naufragium comitatior (cujus modo meminerat hiſtoricus) *trepidus Antiochiam confugit.* Ovum ovo non eſt ſimilius, quam hæc verba ſunt verbis prophetiæ, quæ ſequuntur verſ. 9. *& veniet in regnum regis Auſtri, & redibit in terram ſuam.* Poſteaquam feliciſſimam regis Auſtri in regnum Septentrionis expeditionem, illiusque reditum triumphabundum cum ingentibus ſpoliis in Aegyptum, prædixiſſet, ſimul ſuperioritatis & ſecuritatis ejus, reſpectu regis Septentrionis, durationem addidiſſet: rectiſſime & ſuo prorſus loco adnectit vaticinium de inauſpicatiſſima hac regis Septentrionis tentata invaſione in regnum Auſtri, quæ glorioſam regni hujus periodum, quam adfirmaverat, nihil plane interturbavit, ſed regis Septentrionis potius fortunam magis foedavit. *Veniet*, dicit Propheta, ſcilicet, rex Septentrionis, proxime memoratus, *in regnum regis Auſtri;* ſeu hoſtiliter Seleucus in ditiones Ptolemæi Euergetis irruet, quod verbo בוא *venire* involutum eſſe ex ſuperioribus, & toto hoc cap., conſtat: *ſed*, ita pergit, *redibit in terram ſuam*, ſcilicet, nulla non tantum re peracta, ſed & cum pudore & clade, *trepidus Antiochiam confugiens*, ut verba Juſtini habent. Verbum vero שוב in retroactione cum clade & ignominia ex bello pertritum eſt.

§. XXVIII. Quæ cum tanta luce fulgeant, Interpretum oculos non feriiſſe, cui non accidat mirum? Capiunt, a ſolo ſi diſceſſeris Coccejo, qui tamen in verum ſenſum, ut mox dicam, non penetravit, *verſum* noſtrum de ipſo rege Auſtri, quem pro ſubjecto prophetiæ habent, vertentes, *& in regnum veniet rex Auſtri, ac revertetur in terram ſuam*, & de Euergete, re feliciter peracta, in Aegyptum redituro, interpretantur, ſive pro *clauſula* belli modo deſcripti habeatur, hoc ſenſu, *veniet in regnum Syriæ* & occupabit, eoque facto *terram ſuam repetet*, ſive *reditus* Ptolemæi in Aegyptum toto verſu ſimpliciter repræſentetur, & *venire in regnum* idem ſit, ac *redire in terram*

terram ſuam. Quod *poſterius* inſulſum plane eſt; nec *prius* ſeſe ullo modo tueri poteſt. 1. Quia in tam brevi vaticinio intoleranda foret tautologia, ſeu inutilis repetitio reditus Ptolemæi in Aegyptum, modo jam memorati, minus etiam ferenda, quod *glorioſe* in Aegyptum rediturus proxime in ſcenam erat productus, hic ſimpliciter tanquam *rediturus*, acſi nihil, præſtitiſſet. 2. Quia, ſi *rex auſtri* foret ſubjectum orationis, non ſimpliciter *regnum*, in quod veniret, dixiſſet propheta, ſed, *quale & cujus* ſit regnum, addidiſſet. 3. Quia *rex auſtri* non fuiſſet adpellatus, ſed, ut in fin. verſus præcedentis, *ipſe*: ut de eodem continuare ſermonem indicaretur. *Rege Auſtri* expreſſo nominato, indicium eſt, de alio fieri ſermonem. 4. Quia proxime cohæret cum *rege Septentrionis*; de quo nemo non ex ſermonis tenore cogitaverit. Sic enim fluit oratio: *ipſe* (rex auſtri) *ſtabit a rege Septentrionis*, *& veniet*, ſcilicet *rex Septentrionis*, vel *qui veniet in regnum regis Auſtri* &c. 5. Denique, quia mox verſ. 10. *& filius ejus* (regis Septentrionis) nos ad regem Aquilonis, verſu præcedente memoratum, manifeſte ducit. De adventu itaque in regnum regis Auſtri hic agi Cl. Coccejus recte vidit: ſed, cum expeditio regis Septentrionis in illud regnum ipſi in mentem non veniret, *ſeditio* vero *in iſto* regno coorta, quæ, teſte Juſtino [a], ipſum in regnum retraxit, præſto eſſet, illud adripuit, & *venire* per ellipſin cepit de *caſu*, qui in regno accidit, vertens; *veniet* aliquid *in regno regis Auſtri*. Verum 1. cum glorioſum regis Auſtri reditum in Aegyptum jam modo conſignaverat propheta, de durabili quoque ejus fortuna, reditum ſecuta, dixiſſet; quid eundem reditum repetere adtinebat? quid *ſeditio* illa, in regno orta, ad rem adeo faciebat, & ſcopum prophetiæ, ut expreſſe, alieno loco, commemorari debuerit? 2. *Veniet* pro *aliquid* veniet cui non durum videatur? maxime hoc in capite, ubi de perſonis, earum-

que

[a] l. c.

que hoſtili invaſione, uſurpari ſolet. 3. *Veniet* & *revertetur* cum ſibi manifeſte reſpondeant, poſterius vero de rege, terram ſuam repetente, intelligendum ſit, de *eodem* venturo in principio *verſus* agi, dubio procul eſt. 4. Facilis denique, verbis, ſcopo, nexui & hiſtoriæ conſentanea interpretatio, quam dedi, ubi ad manus eſt, quid aliena & remotiora ſectamur?

§. XXIX. Longe melioribus auſpiciis, & feliciore ſucceſſu, licet non ſine varia fortuna, quod Seleucus Callinicus initio feliciter tentaverat, ut proxime traditum eſt, adgreſſus eſt & perfecit Seleuci filius Antiochus, ob res præclare geſtas *Magnus* adpellatus. Succeſſerat quidem in regno Syriaco Seleucus Ceraunus, Callinici filius natu major, ſed partim bello cum Pergamenis implicitus, partim ab amicis poſt *biennii* regnum trucidatus, nec *valetudine* quoque *opibusque* firmus *a*, nihil plane contra regnum Aegypti, quod potentiſſimus adhuc tenebat Euergetes, tentavit; nihil etiam præclari geſſit, ſed regnum in perturbato reliquit ſtatu. Quæ ex Appiano *b* & Polybio *c* ſatis conſtant. Sed frater ejus Antiochus M., poſteaquam Pergamenos ad proprii regni terminos per Achæum redegiſſet, præfectos quoque ſuos, Molonem & Alexandrum, illum Mediæ, hunc Perſiæ Satrapam, qui a regno Syriæ defecerant, compreſſiſſet, arma contra Ptolemæos reges Aegypti, primo Philopatorem, dein Epiphanem, eo ſcopo vertit, ut cum regnum Syriæ, cujus partem adhuc tenebant Ptolemæi, ſibi totum reſtitueret, tum & Cœleſyriam ac Palæſtinam, Ptolemæis hucusque ſubjectam, ſuo regno adjungeret. Quæ expeditiones primæ & ultimæ proſperrimæ, ſed intermedia fatalis, ordine & accurate deſcribuntur ſequente pericopa, verſ. 10--19. Cujus *prima* pars verſ. 10. felices comprehendit Antiochi expeditiones duas *primas* contra Ptolemæum Philopatorem, Euerge-

a App. Syr. p. 211. *b* l. c. *c* Hiſt. l. IV. p. 428 & l. V. p. 537.

ergetis filium & ſucceſſorem, quibus præter urbes Syriæ, regi Aegypti ereptas, arma victricia per Palæſtinam circumtulit ad Gazam usque. *Tres* quidem ſuscepit expeditiones in Cœleſyriam & Palæſtinam, ſed *prima*, quæ in fumum abiit per Theodotum Aetolum, illis regionibus nomine Ptolemæi præfectum, in cenſum hic non venit, & merito prætermiſſa eſt. *Secunda*, vere & cum effectu *prima*, poſt rebelles Molonem & Alexandrum ſubactos, & Seleuciam regi Aegypti ereptam, votis plane reſpondit Theodoto enim a rege Aegypti deficiente, & Ptolemaidem ac Tyrum tradente, reliquas Coeleſyriæ & Palæſtinæ maritimas urbes, ſeu ſponte deditas, ſeu armis ſubactas, brevi in poteſtatem redegit, penetravitque Doram usque, urbem maritimam prope Carmelum. Hæc cum ſuperari non poſſet, a coepto deſtitit, induciasque quatuor menſium cum Ptolemæo fecit, regnumque repetiit. Quo tempore intermedio de jure utriusque regis in Cœleſyriam disceptatum eſt, ſed eo elapſo *tertiam*, vere *ſecundam* eo nomine dignam, adgreſſus eſt expeditionem Antiochus, qua totam Galilæam & Peræam ſubjugavit, & Gazam usque ſuæ ditionis fecit omnia. Ubi, prælio ad *Raphiam*, inter Gazam & Rhinocoluram mediam, habito cum Ptolemæo, inferior disceſſit. Quam hiſtoriam, ex Polybio [a] præcipue repetendam, lectoribus meis notam velim; eam utique hic enarrandi locus non eſt. Proferam ſuis identidem locis, quæ ad prophetiæ intellectum fuerint neceſſaria.

§. XXX. Duas hasce felices expeditiones Antiochi M., quarum ſummam exhibui, his verbis exhibet Prophetia verſ. 10. *Et filius ejus ſeſe miscebit bello, & congregabunt multitudinem copiarum multarum, & veniet veniendo, & inundabit & transibit: Iterumque ſeſe miscebit usque ad munitiſſimum locum.* Quibus *duæ* expeditiones, modo ex hiſtoria ſummatim enarratæ, clare conſignatæ exſtant: ſecundum

[a] lib. IV & V.

cundum quas *verſus* ſeſe ſponte ſua in *duo* dividit membra, quorum poſterius incipit cum verbis, *iterumque ſeſe miscebit.* &c. proprie, *& redibit & miscebit ſe:* quæ phraſis, uſitato ſatis loquendi genere, *iterationem* continet, idemque ac *rurſus*, *altera vice*, denotat, ut Dan. IX: 25. & alibi ſæpe: quod ab aliis [a] abunde eſt comprobatum. Sicut Gr. ἀναςρέφειν, ςρέφειν [b]. In priore *verſus* parte, quæ *primam* cum effectu expeditionem exhibet, illud in primis obſervandum eſt, prima verba, ובנו יתגרו, quæ verti in ſing., *& filius ejus ſeſe miscebit*, ex Maſoretharum punctatura ſecundum lectionem marginalem in plur. occurrere, reddenda, *& filii ejus ſeſe miscebunt* bello. Cui Interpretes adſurgere ſolent, duos Seleuci Callinici filios intelligentes, Ceraunum & Antiochum. Quæ opinio inſuperabilibus premitur difficultatibus, ex hiſtoria ſeſe offerentibus. Cerauno enim nullus hic poteſt eſſe locus, cum ipſe, bello Pergameno immixtus, brevique e medio ſublatus, nihil præſtiterit, nihil contra regnum Aegypti molitus ſit: nec ejus tempore Antiochus aliquid tentavit, tentareve potuit; nec usquam, regnante Ptolemæo Euergete, aliquid in regnum ejus a Syris fuiſſe præſtitum legimus. *Stetiſſe* quoque rex Auſtri dicitur *præ* & *a rege Septentrionis*, nullas ejus expertus infeſtationes, verſ. 8. ut ſupra vidimus. Interpretibus itaque nonnullis, *filios ſeſe miscuiſſe bello cum Ptolemæo Euergete*, nollem excidiſſet. Superfuit autem Euergetes in initiis Antiochi, occiſo jam Seleuco Cerauno, ſed brevi quoque defunctus. Tradit quoque ipſis verbis Polybius [c], Antiochum, mortuo Patre, & fratre ſucceſſore facto, *ad ſuperiora Aſiæ migraſſe, ibique ſe detinuiſſe*, Seleucum vero Ceraunum, Taurum transgreſſum, per dolum fuiſſe cæſum: ipſique ſucceſſiſſe Antiochum. Addit etiam Appianus, Ceraunum

 fuiſſe

[a] Vid. D. Clericus Quæſt. ſ. 27. Coccejus in Lex. Gejerus ad Eccleſ. IV. 1. [b] Act. VII: 42. XV: 16. [c] Hiſt. l. v. p. 537.

fuiſſe *infirmum*, & *pauperem*, exercitumque minus *obſequioſum* habuiſſe. Quam hæc omnia a moliminibus in regem Auſtri, hic memoratis, abhorreant, cui demum non patet?

§. XXXI. Nec in ipſo textu deſunt rationes, quæ *ſingul.* numerum & vocis *filii*, & verbi *miſcere ſeſe*, poſtulant. 1. enim reliqua verba, *& veniendo veniet*, *& inundabit & tranſibit*, omnia, quæ illud, *ſeſe miſcebit*, omnino exponunt, in *ſing.* occurrunt: nec ellipſi, acſi eſſet pro *unus* eorum *veniet* &c. ſuccurrere fas eſt: ut haud difficulter cernitur. 2. Cui momentum addit illud, *redibit & miſcebit ſeſe*, in ſing. quoque, quod, ad initium *verſus* reſpiciens, ejusdem perſonæ repetitam expeditionem requirit, adeoque eundem numerum ſing. & ibi locum habere evincit. 3. Ipſa lectio textualis, quæ ובנו *& filius ejus* habet, cui peregrina puncta, ad lectionem marginalem, a Maſorethis profectam, quæ paſſim fallit, adcommodata, ſubjecta ſunt, pro numero ſing. omnino militat. 4. Ipſum verbum, יתגרו, *miſcebit ſeſe* reddendum, ſecundum antiquam Linguæ Hebrææ normam recte perceptum, haud parum roboris addit, tantum abeſt, ut noſtræ ſententiæ adverſaretur, licet in eo ſeſe fundent Interpretes. Occurrit enim idem verbum *in fine verſus* in ſing., ubi cum Maſorethæ, ex Veteris linguæ ignorantia, ad marginem ſubſtituerint יתגרה, & ad eam normam punctarint; idem eos feciſſe in principio *verſus*, יִגָּרִי punctando, & in plur. ſumendo, mihi vix dubitandum videtur. Cum enim בניו *filii ejus* legerent, & יתגרו ſecundum regulas ſuas non ferrent, adeoque, vel יתגרה, ut in fine verſus, vel יתרגו in plur. ponere deberent; de *plur.* facile cogitarunt, & ita punctarunt. Quem errorem, ex imperitia ortum, facile arguit interior Linguæ conſideratio. Hebræa ſcilicet lingua habet verba, proprie loquendo, quieſcentia tertia ו & י, in quarum locum poſtea ſucceſſit littera ה, quæ non eſt

a Inſtitut. Ling. Hebr. §. 132.

eſt *radicalis*, ſed *ſervilis*, ſuffecta in locum ו vel י; uti dudum Inſtaurator Linguæ Hebrææ Cl. Schultens *a* docuit. Radix itaque noſtri verbi יתגרו eſt גרו, cum ו, unde 3. fut. Hitph. יתגרו; unde, puncto male poſito, natum eſt יתגרו in plur., & in fine quoque verſus male ad marginem pro יתגרו poſitum eſt יתגרה. Quod idem accidit voci בנו ſing., pro qua in margine collocarunt בניו, punctis marginali lectioni aptatis. Hinc tandem plur. numerus ortus eſt, nobisque veterem lectionem, linguæ antiquæ genio congruam, textui & hiſtoriæ unice conſentaneam, renovandi poteſtatem dat pleniſſimam. Nec fundus erroris, quo ſing. cum plur. commutatus eſt, latet, aut longe quærendus eſt. Equidem, quin ſequens verbum ואספו *congregarunt* hanc anſam præbuerit, non dubitaverim. Sed præcedentia in plur. eſſe debere hinc non magis colligere licet, quam *ſequentia* quoque; cum omnium eadem ſit ratio. Nec in obſcuro eſt mutati numeri in verbo *congregarunt* ratio, quia *copiarum* collectio *pluribus* recte tribuitur, qui juſſu Regis exercitum undiquaque conſcribunt, & in unum cogunt.

§. XXXII. Hac jacta & firmata hypotheſi, oratio prono alveo fluit, & hiſtoriam quaſi prophetice enarrat. *Et filius ejus*, dicit Propheta, ſeu *ſed* filius, ſcilicet longe majore & feliciore ſucceſſu id adgredietur, quod Pater tentaverat infeliciſſime: qui facillimus eſt cum verſu præcedente nexus. *Filius ejus*, qui eſt Antiochus M., Seleuci Callinici filius junior, *ſeſe miſcebit*, proprie ſeſe *conglutinabit*, irritatus mordicus ſeſe adfiget contentioni & bello, eique tenaciter incumbet. Significat enim proprie *adglutinavit*, glutine firmiter adpegit, inde ad animalia mordicus inter ſe præliantia, ut *canes*, transiit; & ita ad bella & prælia acerrima *b*. Quare vox belli & prælii ſubinde *c* huic verbo adjungitur. Quo vero *modo*, quove *ſucceſſu*,

Kkk 3 bellum

a Inſtitut. Ling. Hebr. §. 132. *b* Vid. Cl. Schultens clav. p. 199. & ad Prov. XV: 18. *c* Deut. XI: 24, Jer. L: 24.

bellum geſſerit, hæc verba, explicationis ergo ſubjuncta, declarant: *& congregabunt multitudinem copiarum multarum, & veniendo veniet, & inundabit & transibit*, id eſt, ingente collecto exercitu, cuncta, quæ adgreſſus fuerit, citiſſime & feliciſſime occupabit, inſtar rapidi fluvii exundantis, & omnia operientis. Ad *modum* belli facit & adparatum *collectio copiarum multarum*, qui notus eſt & facillimus vocum Hebr. ſenſus, nulla indigens illuſtratione. Plur. num., *colligent*, ad præfectos & duces reſpicit, ut modo notavi, niſi quis *imperſonaliter* pro *colligent* quicunque, quibus ea cura fuerit commiſſa, vel *paſſive*, pro *colligetur* multitudo, capiendum velit, quod utrumque ſatis eſt uſitatum *a*. Ceterum phraſis, *colligent exercitum & veniet*, ſtilo haud infrequente, eleganter idem dicit, ac *collecto exercitu veniet*. Verba vero, *veniendo veniet, inundabit & transibit*, ſicut rapidiſſimam, ita feliciſſimam expeditionem militarem, qua cuncta obvia occupantur, vel proſternuntur, ob oculos ſiſtunt, metaphora a fluvio intumeſcente, ſeſeque ſuper ripas efferente, & quaquaverſum diffundente, & omnia corripiente, ac obruente, petita. Hoſtilem impetum celerem & inexſpectatum & verbum ביא *ſupervenit*, & verbi repetitio, *veniendo venit*, exhibet: de quo ſupra dixi. Reliqua duo verba שטף & עבר *inundare* & *transire*, anſam de tumido torrente, aquas tumidiſſimas, extra alveum egreſſas, quaquaverſum diffundente, gravesque poſt ſe ſulcos linquente, & obvia proſternente, cogitandi præbent. Prius enim שטף aquas *inundantes*, ac *ſulcos imprimentes* ſiſtit, ut Cl. Schultens *b* verbo obſervavit. Alterum עבר proprietatem habet in *tumore* & *tumido*, quam recte eruit, & ad varios uſus adplicuit, ſub Cl. Schultens auſpiciis, Cl. Kuypers *c*, ſoletque in æſtu tumido aquarum, quo ſeſe ſupra ripas attollunt, teri; uti Idem Cl. Schultens *d* notavit. Ita de *nubibus*

a Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. III. *b* Clav. p. 274. & ad Prov. XXVII: 4. *c* in Diſſ. Acad. p. 9. *d* Orig. Hebr. l. I. p. 124.

bus intumeſcentibus [a]. & fluvio tumido, & inundante [b], & ſimilibus uſurpatur. Hoſtiles vero invaſiones cum aquis tumidis ac inundantibus comparari, tralaticium eſt [c]. Unde eſt, quod de impetu invaſionis hoſtilis, omnia perrumpentis, frequentari ſoleat [d] hoc verbum.

§. XXXIII. Hæc *primæ* expeditionis deſcriptio quam exacte hiſtoriæ, ex Polybio [e] facili cognitu, reſpondeat, neminem, niſi in Hiſtoria hoſpitem, latet. *Seleucia*, quam hucusque præſidiis ſuis occupatam tenuerant reges Aegypti, per ἐνεργὸν καὶ βίαιον προσβολὴν *acrem violentumque impetum* [f], ab omnibus undiquaque factum, brevi occupata, &, irruptione in Cœleſyriam facta, *Ptolemaidem* ac *Tyrum* levi negotio per deditionem Theodoti Aetoli Cœle-ſyriæ præfecti cepit, *Damascum* improviſo, ἀπροσδοκήτως, uſus ſtratagemate [g], rapuit, reliquas civitates Cœle-ſyriæ & Phœniciæ magnam partem, vel deditione, ex metu inſtituta, vel vi in ſuam redegit poteſtatem [h], *Doram* usque arma victricia circumferens. Ubi finita eſt expeditio, quatuor menſium induciis pactis: quando, *præſidiis locis opportunis impoſitis, & omnium rerum cura Theodoto mandata, Seleuciam cum copiis reverſus eſt* [i]. Teſtantur quoque de celeritate & facilitate hujus expeditionis Hiſtorici. Proditione Theodoti Aetoli, ejusque acceptatione ab Antiocho, narrata; ſubjungit Polybius [k], ταχεῖαν ἐλάμβανε τὸ πρᾶγμα τὴν οἰκονομίαν *res brevi tempore exitum habuit*, de hac & ſequente expeditione locutus. *Antiochus, rex Syriæ*, ut Juſtini [l] verbis in rem aptis concludam, *veteri inter ſe regnorum odio ſtimulante* (quod verbo יתגר quoque involutum eſt) *repentino bello multas urbes ejus* (Ptolemæi) *oppreſſit:*

§. XXXIV.

a Pſ. XVIII: 13. b Jeſ. VIII: 8. c Vid. Ibid. et ibi Cl. Vitringa. d Vid. Pſ. XLVIII: 5. Jer. XXX: 8. Am. V: 17. Nah. III: 19. Job. XV: 19. et alibi e Hiſt. l. V. p. 563. f Polyb. Hiſt. l. V. p. 563. g Polyæn. ſtrat. l. IV. c. 15. h Polyb. l. c. p. 566. i Id. Ib. p. 571. k Ib. p. 537. l Hiſt. l. XXX. c. I.

§. XXXIV. Induciis finitis, & diſceptatione de jure in Cœleſyriam & Phœniciam inter reges Syriæ & Aegypti ſine ſucceſſu terminata, novam, eamque cum effectu *ſecundam*, adgreſſus eſt expeditionem, usque ad prælium cum Ptolemæo ad Raphiam, inter Gazam & Rhinocoluram, feliciſſimam Antiochus; qua, Nicolao Aetolo ſtrenuo Ptolemæi duce ad fluvium Tamyram, inter Berytum & Sidonem, profligato, Galilæam fere totam & Peræam ſubjugavit, & Gazam usque perrupit. Quam hiſtoriam accurate retulit Polybius [a], noſter propheta his paucis verbis prænunciavit, *& redibit & ſeſe miſcebit*, *usque ad munitiſſimum locum.* Quæ conciſa eſt, & elliptica oratio, ex præcedente membro facile ſupplenda. Eſt itaque plena, *& iterum ſe miſcebit*, ac *inundabit* & *tranſibit usque ad munitiſſimum locum.* Nihil hic, quod notari meretur, occurrit præter nomen מעזה, terminum expeditionis. De phraſi enim, *reverſus eſt & miſcuit*, pro iterum, altera vice, nec non de emphaſi verbi יתגרו *adglutinabit ſe*, veraque lectione textuali, ſupra ſatis egi. Peculiarem meretur animadverſionem vox מעזה, quæ terminum expeditionis conſtituit, eam ob cauſam expreſſe nominatum; quia fortuna Antiochi ſeſe hic vertit, & Ptolemæo ſecunda eſſe coepit; ut ſequens verſus exponit. Sed quis munitus ille locus eſt, & quid emphaſios habet ſingularis forma vocis מעזה ? quæ adeo offendit Maſorethas, ut ei ad marginem ſuffecerint מעזו, eique puncta aptaverint. Quod neceſſarium non tantum non foret, cum ה æque ac ו adfixum 3 perſ. ſit apud Orientales, quæ exempla jam produxit Cl. Tſepregi [b], ſed huc omnino non quadrat, cum *ad arcem ejus*, ſcilicet Antiochi, nullum fundat ſenſum. Recte ſeſe habet מעזה, arcemque, vel locum denotat *munitiſſimum.* Littera enim ה eſt paragogica, quæ vocibus addita emphaſin auget, & *ſuperlativum* format apud Orientales;

a Hiſt. l. v. p, 573. &c. b De Select. Cethib. p. 1. §. 28.

tales: uti obſervavit Cl. Schultens [a], productis exemplis: quibus alia addi poſſunt, ut מוקדה *locus perennis ardoris, ac inextinguibilis maximus* [b], מצרתו *anguſtia ſumma* [c], קדימה *eurus vehemens* [d]. At alium adhuc hic latere putem emphaſin, non niſi ex implemento prophetiæ eruendam, qua in מעוה ad urbem עזה, quo nomine apud Hebræos venit *Gaza*, adluditur. Quæ fuit urbs *in elevato loco ſita, validoque muro firmata, ultima urbium, quae inhabitabantur, tendenti ex Phœnice in Aegyptum*; teſte Arriano [e]. Ex quo, celebrem hanc & munitiſſimam fuiſſe urbem, cum præter hanc nulla alia poſt Tyrum memoretur a Scriptoribus expeditionis Alexandri M., recte colligitur. Quod ipſum etiam indicat nomen עזה, quaſi *valentiam* dixeris, quod variarum urbium nomen eſt apud Latinos. *Ingentem* quoque & *munitam admodum Gazam* adpellat Mela *f*. Prælium vero, quo progreſſui Antiochi obex poſitus eſt, prope Gazam fuit habitum ad Raphiam, adeoque eousque perveniſſe Antiochum rectiſſime dicitur. Locus quidem prælii ultra Gazam, etiam Raphiam, fuit, ſed cum antiquitus *munitus* non fuerit ibi terrarum præter *Gazam* locus, Antiochus quoque fuſus *Gazam* ſeſe receperit, & ibi caſtra poſuerit *g*, ad eam usque eum perveniſſe, recte noſtro in loco habetur.

§. XXXV. Secundæ hujus expeditionis, tam proſperæ & victorioſæ, *triſtiſſimum* reſpectu Antiochi, & *inutilem* reſpectu Ptolemæi, eventum Propheta ſequentibus duobus verſ. conſignavit; *priorem* his verbis verſ. 11. *Et acerbum ſeſe præſtabit rex Auſtri, & egredietur & pugnabit cum eo, cum rege Septentrionis, & ſtare faciet multitudinem ingentem, & dabitur multitudo in manum ejus.* Quorum huc redit ſenſus. Hoſtili iſta Antiochi invaſione, ejusque progreſſu, irritatus Ptolemæus, torpore & mollitie ſua excuſſa,

a Inſt. Hebr. p. 183, 451. *b* Lev. vi: 2. ubi vid. Rev. Hackman. *c* Pſ. cxv: 1. *d* Hab. 1: 9. *e* Exp. Al. 1, l. 11. c. 26. p. 102. *f* l. 1. c. 11. *g* Polyb. l. c. p. 596.

cuſſa, acerrime & fortiter in eum aget. Regno enim egreſſus, in occurſum ejus, decretorium cum ipſo prælium habebit, quo ſuperior evadet; maxima quippe hominum copia, quam Antiochus in prælium adducet, a Ptolemæo profligabitur, & ſubjicietur, victoria potito pleniſſima. Cum de rege Syriæ modo locutus eſſet Propheta, ad regem Aegypti tranſiturus, ne quis erraret, *regem Auſtri* expreſſe nominavit; nec *cum ipſo* eum pugnaturum dixiſſe contentus, perſpicuitatis ergo, nec ſine emphaſi, addit, *cum rege Septentrionis*, illo ſcilicet ipſo, quem modo victorioſum ad regni Syriaci, ſeu Coeleſyriæ & Phoeniciæ, limitáneam urbem, Gazam, pertigiſſe, dixerat. Rex vero Auſtri, dicit, *ſeſe acerbum valde præſtabit*, vel ſummam induet, exſeretque, *acerbitatem:* quæ verbi duplicati, & in Hitph. יתמרמר, poteſtas eſt. Quæ *acerbitas* & *indignationem* & *fortitudinem* ambitu ſuo complectitur. Proprietas radicis eſt, ut videtur, in *torquendo*, unde cum ad acerbitatem & amaritudinem, quæ ora & inteſtina torquet, in ſpecie fellis, & veneni, & de animo ſumtum ad indignationem ac exulcerationem, tum ad *fortitudinem* omniaque penetrantem vim facile tranſiit. Quam utramque habet ſignificationem & hic, & c. VIII: 7. Sic מרי נפש *acerbi animæ* ſunt & deſperate triſtes, & indignabundi ac exulcerati; locutione ducta ab acore & amaritudine: ut obſervavit Cl. Schultens [a], qui & alibi [b] *amarum* & *acrem* de fortitudine uſurpari demonſtravit. Qualem qua ratione ſeſe præſtiterit Ptolemæus Philopator, ſequentia verba declarant. *Et egredietur*, ſic pergit Prophetia, *& pugnabit cum eo, cum rege Septentrionis:* quæ facilia ſunt intellectu. Exſerit autem יצא *exire*, præterquam quod bellum extra imperii fines gerendum fore indicet, uſum ſuum militarem, quo *egredi ad bellum* ſignat, quem & alibi [c] haud infrequenter habet. Quæ ſequuntur, *& ſtare faciet*

[a] Ad Job. III: 20. [b] Ad Hab. I: 6. [c] Vid. Bochart. H. p. II. *l.* IV. c. 2. adde 2 Sam. II: 12.

faciet multitudinem magnam, minus recte ad Ptolemæum referuntur, cum ad Antiochum ſeu *regem Septentrionis* omnino pertineant, ut ex ſequentibus, & *dabitur multitudo in manum ejus*, Ptolemæi, nec non ex verſ. 13. & *ſtare faciet multitudinem priore majorem*, ſcilicet Antiochus, ubi ad noſtrum, *ſtare faciet multitudinem magnam*, clare reſpicitur, manifeſtum eſt. Illa itaque multitudo, *quam ſtare fecit*, profligabitur & ſubjugabitur; quæ alia ac Regis Septentrionis eſſe nequit. Cohæret itaque cum proxime præcedente *rege Septentrionis*, & in eo veritatem habuit. Summa enim exercitus ejus fuit, teſte Polybio *a*, *peditum quidem* ἑξακισμύριοι καὶ δισχίλιοι *duo & ſexaginta millia*, vel, ut Caſaubonus vertit, *duo & ſeptuaginta*, qui legit ſine dubio ἑπτακισμύριοι, quod partes, ſupra recenſitæ, in ſummam redactæ confirmant; ut Cl. Gronovius *b* jam notavit, *equitum ſex millia; elephanti duo ſupra centum.* Eventum prælii exhibent ultimæ voces: *& dabitur multitudo in manus ejus*, partim trucidata, partim capta, partim diſſipata. Quod hiſtoriæ accurate convenit. *Deſideravit e ſuis Antiochus*, verba ſunt Polybii *c*, *non multo pauciores decem millibus peditum, equites trecentos & eo plures; capti ſunt vivi ſupra quatuor millia.* Ad quam victoriam cum regis, ejusque ſororis, præſentia & exhortatio multum tribuerit, hanc liceatne in verbis prophetæ, *tradetur in manum ejus*, ſectari emphaſin, neſcio? Ptolemæus utique, προσελθὼν μέσον, *in mediam progreſſus aciem, & utriusque exercitus conſpectum veniens, pavorem inimicis, at ſuis alacritatem ingentem & pugnæ ardorem ingeneravit*, ut inquit Polybius *d*. Arſinoe, ſoror ejus, quantum addiderit precibus, lacrymis, & pollicitationibus ſuis momentum victoriæ, tradit autor *tertii* libri Maccab. *e*, cui fidem hic non detraxerim, cum *eam* cum rege ad *aciei* lævum cornu perveniſſe diſerte tradat Polybius *f*. Aliam

a Hiſt. l. v. p. 588. *b* ad Polyb. p. 129. *c* Hiſt. l. v. p. 592. *d* Ib. p. 594. *e* c. I: 4. *f* Ib. p. 592.

tamen emphaſin, qua ejus poteſtati *traderetur* tota *multitudo* hoſtilis, ita ut univerſam Coeleſyriam & Phoeniciam non tantum receperit, ſed & ipſum Syriæ regnum ſibi vindicare potuerit, ſi voluiſſet, confidentius in phraſi, *tradetur in manum ejus*, quæro, cum quod phraſis eam ſponte offerat, tum quod hiſtoriæ exacte reſpondeat. *Magno deinde in Græcia conducto exercitu*, inquit Juſtinus [a], *ſecundum prælium facit, ſpoliaſſetque regno Antiochum, ſi fortunam virtute juvaſſet.* Quod ex iis, quæ Polybius [b] habet, facile quoque colligas. Dici itaque & hoc reſpectu poſſet, *multitudinem* Antiochi totam illam in *ejus manum* fuiſſe traditam, adeo ut, ſi *manum* injicere voluiſſet, tenere potuiſſet.

§. XXXVI. Victoriam vero non perſecutus, Coeleſyria & Phoenicia recuperata contentus, fructum, quem poterat, inde non retulit Ptolemæus, nec fortior aut potentior, quin debilior potius factus eſt præ ſegnitie, luxu & tyrannide. Quo ſequens verſus 11 tendit, his verbis: *Et tolletur multitudo, & efferetur cor ejus, & cadere faciet myriadas, & non invaleſcet.* Quæ aliquid clari & certi, aliquid etiam obſcuri & ambigui habent. Ad *regem Auſtri*, ſeu Ptolemæum Philopatorem, pertinere, viderunt omnes, & res manifeſta eſt, non ex præcedentibus tantum, ſed & ex eo, quod *rex Septentrionis* ſequente verſu expreſſe nominetur: argumento, tunc demum ad alium transire orationem. Nec illud difficulter cernitur, regis ſuperbiam, vanitatemque & imbecillitatem, poſt tam illuſtrem victoriam de Antiocho reportatam, depingi verbis, *efferetur cor ejus, nec invaleſcet;* qua, Divini humanique juris, regni & regiæ Majeſtatis, nulla habita ratione, pro lubitu aget, genio indulgens, & tyrannidem exercens, vel exerceri paſſus; eoque ipſo regnum inteſtinis motibus replens, illudque & ſe infirmans; tantum abeſt, ut, quod poſt victoriam potuiſſet, regnum quam firmiſſimum

[a] l. XXX: 1. [b] Ib. p. 597.

ſimum & potentiſſimum reddiderit. De quibus nemini non ex Hiſtoria conſtat. *Contentus reciperatione urbium, quas amiſerat*, inquit Juſtinus [a], *facta pace, avide materiam quietis arripuit; revolutusque in luxuriam, occiſa Euridice* (rectius *Arſinoë*) *uxore, eademque ſorore ſua, Agothocliæ meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac Majeſtatis oblitus, noctes in ſtupris, dies in conviviis conſumit*, &c. qui mox addit, infamia illa ſcorta, *Agathocliam*, Agathoclem fratrem ejus, & *Oenanthen* matrem, non *regem* tantum, ſed & regnum tenuiſſe, adeo ut *nec quisquam in regno ſuo minus quam ipſe rex potuerit.* Quibus concinunt, quæ refert Polybius [b]. *Ptolemæus*, inter alia inquit, *confecto in Coeleſyria bello*, ἀποςὰς πάντων τῶν καλῶν ἐτράπη πρὸς βίον ἄσωτον, *a ſtudio rerum honeſtarum ad luxurioſum ac perditum vitæ genus ſe recepit.* Quantopere vero regnum ab eo tempore fuerit perturbatum, inteſtino bello laceratum, & infirmatum, adeo ut nihil minus quam *firmum* & *potens fuerit*, ex iisdem Hiſtoricis ſatis conſtat, & ſequentia tempora abunde docuerunt. Incepit enim regnum Aegypti, antea potentiſſimum, ab hoc tempore *inbecille* admodum eſſe, ſeſe non niſi Romanorum tutela, & extraneorum ope, tueri valens. *Omnes poſt tertium regem*, (Euergeten,) teſte Strabone [c] ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένοι χεῖρον ἐπολιτεύσαντο *luxu perditi male rem adminiſtrarunt, omnium peſſime quartus*, qui eſt noſter Philopator, *& ſeptimus*, & *ultimus Auletes.* Illud itaque, *non invaleſcet*, cum Hieronymo, & aliis, non eſt ad *Antiochum*, non ſuperatum, reſtringendum, ſed ad regis Aegypti autoritatem, & regni firmitatem, ab hoc tempore peſſundatam, & infractam utramque, extendendum eſt: quo phraſis, *non invaleſcet*, clare ducit. Sed *cordis ejus elati* phraſis non tantum vitam ejus diſſolutam, & regni

 curam

[a] lib. xxx: c. 1, 2. [b] lib. v. p. 529, 597. & in excerptis de virt. et vit. ex lib. xiv. oper. t. ii. p. 1043. [c] Geogr. l. xvii: p. 1140.

curam penitus neglectam, Majeſtatemque proſtitutam, quæ *cordis elati*, omnia officia & jura pedibus conculcantis, effecta ſunt, comprehendit verum, animum, ſeſe ſupra Divina jura, religionisque reverentiam, extollentem, & in Divinam Majeſtatem irruentem, quoque pingit: cujus luculentum in Templi Hieroſolymitani improba violatione tentata, dedit ſpecimen, uti *tertius* Maccabæorum liber enarrat, qui *νῦν ἀγέρωχον animum ejus ſuperbum* plus una vice memorat.

§. XXXVII. Reliquarum phraſium, *tolletur multitudo, cadere faciet myriadas*, ſenſum fixiſſe, & ad hiſtoriam conformaſſe, difficilioris videtur operæ. Trahunt utique ex mea opinione aliquid de ambiguo, poſſuntque ad præclara Philopatoris facinora, tempore prælii ad Raphiam præſtita, poſſunt etiam ad ſequentia & turbulenta regni ejus tempora referri. Cujus utriusque ſenſus rationem dabo. *Prius* illud, *& tolletur multitudo*, de copiis Antiochi M. ad Raphiam ab eo proſtratis, & debellatis, intelligi poteſt: ut ſenſus ſit, *e medio ſublata illa Antiochi M. multitudine cor ejus efferetur.* Quod verbo *tolli* recte convenit, & ex voce ההמון *multitudinis iſtius*, quæ nos manu quaſi ad *multitudinem* Antiochi, verſu præcedente memoratam, ducit, aliquid roboris acquirit. Verbum vero נשא *tollere* ſeſe ad *vaſtationem*, qua aguntur, feruntur, e medio tolluntur & ſubvertuntur omnia, ſignificandam porrigit & facillime, & uſitate. Sed quid *poſterius* illud, *& cadere faciet myriadas*, tunc denotabit? eandemne exercitus Antiochi profligationem? ut volunt Interpretes, qui *myriadum* nomine vel 10 millia tunc, teſte hiſtoria, occiſa, vel potius, cum *myriades* occurrant, indefinite immenſam interfectorum multitudinem, ut alibi [a] fit, intelligunt. Sed cum *multitudinis* iſtius *ſublationem* modo expreſſerat propheta, eodem mox redire, & idem in tam conciſa prophetia repetere, vix mihi probabile videtur. Rectius itaque per conceſſionem & hypothetice capiatur, *& cadere* *faciet*

[a] 1 Sam. XVIII: 7. Pſ. III· 7. XCI: 7.

faciet & non invaleſcet, pro *etſi cadere fecerit*, *non tamen potentior* evadet; ſi vel *myriadas* occidiſſet hoſtium, multoque plures, quam fecit, ne ſic *corroboraſſet* ſe, regnumve ſuum, præ animi impotentia, & diſſolutione morum, ac tyrannide, indeque orta horribili regni confuſione, & bello inteſtino. Recte ſic fluit oratio, & *myriadum* proprius retinetur ſenſus; facitque ad regis regnique imbecillitatem exaggerandam; quo verba omnino tendunt: nec inſoliti quid aut longe quæſiti habet interpretatio, qua *& cadere faciet*, *vel fecit*, ſumitur pro *& ſi fecerit* &c. cum præf. ו *&* hunc uſum haud infrequenter præferat, & particula אם *ſi* haud raro per ellipſin deficiat; uti exempla apud Noldium [a] obvia facile adſtruunt. Unum alterumve tantum excitabo locum. Gen. XXXIII: 13. ודפקום..ומתו *ſi impulerint eos die uno*, *omnino morietur totus grex*. Ruth. II: 9. וצמת והלכת *ſi ſitieris*, *eas ad vaſa & bibas*. Pſ. CXXXIX: 18. אספרם *ſi numerarem eas*, *præ arena multiplicarentur*. Hæc licet neminem offendere queant, aliud tamen ſuppetit, quo, miſſa hypothetica locutione, de re præſtita in bello cum Antiocho, poſt prælium ad Raphiam, intelligi poterit, & ad ſubactas nationes Coeleſyriae, Phœniciæ & Paleſtinæ referatur. Quod huc apte quadrat. Sicut enim præcedente membro exercitum Antiochi profligatum memoraverat, ita hoc altero de nationibus, ab Antiocho ſubjugatis, ſed poſt illud prælium a Ptolemæo recuperatis, agi recte cenſetur. Quod hiſtoriæ bene convenit, uti ex Polybio [b] & Juſtino [c] nemini non notum eſt. Admittit quoque verbum הפיל, *cadere faciet* myriadas, hunc ſenſum. De interfectione enim non tantum ſed & *ſubactione*, ac in poteſtatem redactione quoque uſurpatur. *Cadere* enim nihil aliud ſæpe eſt ac *ſubjugari*, ſicut Lat. & Græcis, ita & Hebr. quod jam notavit & exemplis adfirmavit Cl. Schultens [d]. Addo Job. XII: 3. *etiam mihi cor ut*

[a] de Particulis in ו & אם. [b] l. V. p. 596. [c] l. XXX: 1.
[d] Orig. Hebr. I, II. p. 247.

ut vobis, non ceciderim ego a vobis, quod eſt, non *ſubmittam* me, aut *cedam* vobis. *Adfine eſt, ſed non idem* Neh. VI: 17. notante ibi Cl. Schultens.

§. XXXVIII. Hac ratione licet de præteritis Ptolemæi præclaris facinoribus accipi poſſint verba: æque commode, ſi non facilius, de turbato regni ſtatu, poſt præclara illa geſta orto, indeque nata regni debilitatione, intelligi queunt, hoc ſenſu: *& efferetur multitudo, elevabitur cor ejus, & cadere faciet myriades; itaque nihil minus quam invaleſcet*, id eſt, & plebe ſpiritus ſumente, obedientiamque detrectante, & rege in ſuperbiam, peſſimosque mores degenerante, regnum mire perturbabitur, ac bellum civile orietur, multaque millia, vel myriades, interibunt, eaque ratione nihil minus quam invaleſcet rex regnumque, ſed multo infirmiſſimum reddetur. Secundum quam hypotheſin *prius* membrum, *& efferetur multitudo, extolletur cor ejus*, effectum ſuperiorum geſtorum cum Antiocho, cauſamque motuum inteſtinorum, explicabit, *plebis* ſcilicet & *regis* inſolentiam ac ſuperbiam. Prælio enim cum Antiocho præclare habito, & regionibus omnibus reciperatis, belloque finito, *rex* non tantum ad *inſolentiam*, pravosque ſuos mores ſeſe recepit, tyrannidem exercens; ſed & plebs cornua quoque præ ſuperbia ſumſit, ſeſeque regi, ejusque autoritati palam oppoſuit. Quod de rege modo vidimus, de populo, ſeu plebe potius, teſtatur ipſis verbis Polybius [a], quibus hic locum dabo. *Ptolemæo autem ſtatim, poſtquam hæc geſta ſunt, cum Aegyptiis bellum gerere contigit. Is enim rex, cum adverſus Antiochum Aegyptios armavit, conſilio uſus eſt, ut in præſens non inutili, ita id poſterum pernicioſo. Secunda namque ad Raphiam pugna*, φρονηματισθέντες *inflati* (quod noſtro loco eſt *ſeſe efferre*) *dicto audientes eſſe regi non amplius dignabantur, ducem & autorem requirentes, tanquam idoneis ad illi reſiſtendum viribus præditi: quod & ad extremum fecerunt*,

[a] l. v. p. 619.

runt, idque haud ita multo poſt. Quæ verba quaſi ad verba Prophetæ commentarium præbent. Confirmat præterea hanc interpretationem 1. verbum נשא in Niph., quod de *elevatione* fere ſemper adhiberi ſolet, non de *vaſtatione*, & hac ipſa in pericopa mox verſ. 14. occurrit eodem ſenſu; ſoletque cum רוח, ut hic, eodem ſenſu conjungi *a*. 2. *Plebis cordisque ejus*, ſeu Ptolemæi, conjunctio: quæ ſua ſponte de *plebe ejus* cogitandi anſam præbet. Cui ipſa vox המון per propriam ſuam poteſtatem robur addit. Primigenia enim a virtute *æſtuandi*, quam habet radix, fluxit ſignificatus vocis, quo multitudinem *concurſantem* & *æſtuantem* veluti, inſtar *fluctuum æſtuabundorum*, de quibus ſæpe uſurpatur, concitatam depingit; ſoletque de *plebe* fluctuante & tumultuante adhiberi: ſicut in fluctibus ſeſe efferentibus verbum נשא quoque teri ſolet. 3. Denique nexus cum ſuperioribus & *ſcopus*: rectiſſime enim victoriæ de Antiocho, modo prædictæ, hi plebis tumultus ſuperbi, inteſtinique motus, & cum rege itidem ſuperbo colliſiones funcſtæ, ſubjunguntur, cum inde originem repetierint; ut modo ex Polybio vidimus, & ad regni ruinam ſpectarint, quod hic intendit Propheta, ut ſeq. membrum docet. Rectius quoque & aptius concinnata eſt oratio, quam ut idem, quod modo dictum erat, repetatur; ut fieret, ſi ad ſuperiora facinora verſus referatur.

§. XXXIX. Poſterius membrum, *& cadere faciet myriades, & non invaleſcet*, colliſionum illarum conſequens comprehendit duplex, alterum *necis* plurimorum, alterum *infirmati* regni. Quod nihil habet obſcuri. Audiamus tantum Polybium in Excerptis Valeſianis *b*, ubi generalem hujus belli conſpectum dat: *quo quidem in bello*, dicit, *præter mutuam crudelitatem, atque inhumanitatem* &c. *nihil quicquam memoria dignum exſtitit*. Addere num liceat, Ptolemæum, in Judæos ex ſola ſuperbia exacerbatum, multis jam occiſis, totam gentem primo in Aegypto

Mmm

a Jeſ. VI: 1. LII: 13. *b* ex Lib. XIV. de *virtutibus* & *vitiis*.

to, dein Judæa, ni religioni renunciaret, neci deſtinaſſe, eaque etiam ratione *myriadas* in animo habuiſſe *cadere* facere, neſcio? quia nusquam, niſi in *tertio* Maccab. libro, minoris autoritatis, ejus rei mentio fit. Illud majore cum fiducia adjungo, eandem belli inteſtini ſcenam fuiſſe, rege mortuo, in Aegypto renovatam inter populum & *Agathoclis* factionem; cujus hic fuit, narrante Juſtino [a], eventus. *Re tamen cognita*, (regem ſcilicet eſſe defunctum) *concurſu multitudinis & Agathocles occiditur, & mulieres in ultionem Eurydices*, (alias Arſinoes,) *patibulis ſuffiguntur. Morte regis, ſupplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos miſere orantes, ut tutelam pupilli ſuſciperent, tuerenturque regnum Aegypti, quod jam Philippum & Antiochum, facta inter ſe pactione, diviſiſſe dicebant.* Quod *debilitatis* regni manifeſtum eſt indicium. Meminit quoque repetiti belli inteſtini Polybius [b], tradens, *cum Agathocles inſolentia, ſuperbia ac deſidia, quotidie invaleſceret, priſtinum vulgi odium rurſus exarſiſſe, cunctosque clades & calamitates regni, ab his hominibus profectas, memoria repetiiſſe.*

§. XL. Prælio ad Raphiam funeſto admodum habito, paceque cum Ptolemæo facta, qua Cœleſyriæ & Palæſtinæ renunciavit Antiochus, interea dum omnia in regno Aegypti luxu, deſidia, tyrannide & internis motibus, collaberentur, rebus ſuis inſigniter intentus, regnum per Occidentales ac Orientales Aſiæ regiones longe lateque dilatavit, ac firmavit. Victo enim Achæo, qui in Aſia Minore regnum erexerat, Aſiam recuperavit, dein in Bactros, Parthos, aliosque populos orientales movens, eos ſibi ſubjecit, vel conciliavit; regnumque hac ratione quam firmiſſimum & potentiſſimum, lateque diffuſum, reddidit, nomen quoque *Magni* tum meritus. Quæ omnia ex Hiſtoria cuique, non plane rudi, in promtu ſunt: non nulla quoque hanc in rem Diſſ. [c] ad *Danielis vaticinia em-*

blema-

[a] l. XXX: 2. [b] Ibid. ex lib. XV. [c] Diſſ. V. §. XXVIII.

blematica produxi, quæ hic ſufficiunt. Reſtabat, ut Cœleſyriam, Phoeniciam & Palæſtinam, regno ſuo adjungeret, & has etiam in oras illud dilataret, viresque Aegyptiaci regni plane frangeret, quin & in illud ipſum manus injiceret. Quod cum ſtatus regni plane conturbatus, & infirmatus, per regem minorennem, Ptolemæum Epiphanem, quatuor annorum puerum, qui Philopatori defuncto recens ſucceſſerat, facillimum factu redderet, eam occaſionem mox adripuit, & foedere cum Philippo Macedoniæ rege pacto, quo regni Aegyptiaci provincias unitis viribus ex diverſis partibus adgrederentur, ſuperatasque inter ſe dividerent, Antiochus *primam* in Coeleſyriam & Palæſtinam ſuscepit expeditionem, qua brevi tempore eam occupavit: dein *ſecunda* expeditione, Scopa Aegyptiorum duce, qui receperat eas regiones, ad Panium, prope fontes Jardenis, profligato, omnes illas terras ſibi in perpetuum ſubjecit; quas deinceps dotis inſtar cum filia Cleopatra reddidit Ptolemæo Epiphani, ut eo prætextu ipſam Aegyptum ſui juris faceret. Qua ſpe dejectus arma in Europam vertit, belloque cum Romanis implicitus, infelici fortuna uſus eſt, & brevi poſt pudendum invenit fatum. Quam hiſtoriam, ſummatim propoſitam, ex Polybio, Juſtino & Livio, præcipue repetendam, pericopa prophetica verſ. 13--19. per varios articulos repræſentat, ordine illuſtranda.

§. XLI. *Primus* articulus Regem Septentrionis in Coeleſyriam ac Palæſtinam longe majore & potentiore cum exercitu reverſum, & triumphabundum, in ſcenam ſiſtit verſ. 13. his verbis: *Et redibit rex Septentrionis, & ſtare faciet multitudinem priore majorem; etenim ad finem temporum, annis* præterlapſis, *veniendo veniet ad robur magnum & poſſeſſionem multam.* Quæ huc redeunt. Idem ille rex Septentrionis, poſt ſuperiorem expeditionem infeliciter finitam, rebus ſuis egregie auctis & firmatis, proſperorum illorum temporum ſub finem, aliquot annis elapſis,

cum longe numeroſiore exercitu, longe etiam majore jam præditus robore & poſſeſſione, in easdem terras, in quas antea, ſuſcipiet expeditionem, iisque occupatis robur & opes maximopere augebit. *Prius* verſus membrum novam exhibet regis Septentrionis in easdem Coeleſyriæ & Palæſtinæ regiones, aliquot annis exactis renovatam, expeditionem majore cum exercitu, in hæc verba: *& redibit rex Septentrionis, & ſtare faciet multitudinem priore majorem*, quæ nihil continent obſcuri. Tantum notetur, de eodem rege Antiocho, & de iisdem regionibus regni Auſtri denuo ab eo invadendis ac occupandis, agi. Quod verbum ושב *& redibit*, hic non ſimpliciter per *iterum*, ſed proprio ſuo uſu de reditu in easdem terras intelligendum, clare indicat, & ex phraſi, *ſtare faciet majorem priore multitudinem*, confirmatur; quæ & eam hic habet emphaſin, qua felicem expeditionis comprehendit ſucceſſum, quo exercitus firmiter *ſtaret*, & terras invaſas obtineret.

§. XLII. Poſterius membrum, in cujus ſenſu & ſcopo enucleando minus recte mihi verſati videntur interpretes, ultima verba reddentes, *veniet cum copiis magnis & opibus multis*, ex mea opinione partim rationem novæ expeditionis cum majore exercitu pandit, partim proſperum ejus ſucceſſum prædicit. Vulgatæ verſioni cum verbi בוא cum ב constructio, quæ hoc in capite conſtanter *venire*, non *cum*, ſed *in* vel *ad* ſignat, tum vox ברכוש *in poſſeſſionem* addita, quæ nulla hic polleret emphaſi, ſi *venire cum poſſeſſione multa* reddatur, exercitus enim *opulentus* parum ad rem facit, tum denique obſtat, quod minus elegans, emphaſi plane carens, ejusdem rei repetitio foret. *Stare* enim *facere multitudinem priore majorem*, & cum *copiis magnis venire*, idem plane dicunt. Vertimus itaque longe rectius, *veniendo veniet ad robur magnum, & poſſeſſionem multam*, & de potentiſſimo, fortiſſimo ac ditiſſimo regis ac regni ſtatu, quo verba & phraſes recta tendunt, interpreta-

pretamur, ſive *ratio* cenſeatur dari, quare copioſiorem conſcribere potuerit & potentiorem exercitum Antiochus, qui regnum nunc latius extenſum, & opibus acquiſitis ditisſimum, poſſidebat, quam antea: ſive hujus expeditionis ſucceſſus intendi ſtatuatur, qui eum in magnam & potentiæ & divitiarum poſſeſſionem immitteret. Quod utrumque hic indicari, recte admittitur. De phraſi, *venire ad robur*, ad *poſſeſſionem*, ſeu opes, ſupra [a] dixi, nec habeo quod addam, niſi Græcis quoque uſitatam eſſe, ut παρέρχεσθαι εἰς ἡλικίαν apud Joſephum [b].

§. XLIII. Sed quid voces, *ad finem temporum annorum*, ſibi volunt, quæ poſteriori membro præmittuntur? *Rationem* numeroſioris exercitus & potentioris impetus ſi verba poſterioris membri reddant, adeoque florentiſſimam regni conditionem, quam ante novam hanc in Coeleſyriam invaſionem habuit, deſcribant; voces hunc facillimum admittunt ſenſum, Antiochum ad finem feliciſſimæ iſtius periodi, quæ annos aliquot duravit, potentiſſimum habiturum & ditiſſimum regnum; & tunc impetum in Coeleſyriam & vicinas regiones eſſe repetiturum. Vox עִתִּים tempora ſubinde ſignat proſpera & fortunata [c]; ſicut & ad infelicia pro ſubjecta materia ſeſe nonnunquam porrigit, uti ſupra obſervavi. Hic pro *felicibus* ſumi res ipſa edocet. Cum autem *menſuram* temporis hæc vox non contineat, additur, ad juſtum temporis ſpatium finiendum altera vox שָׁנִים, quæ tempus in genere per *annos*, & non *dies* aut *menſes* ſolummodo, metiendum, adeoque indefinitam & longiorem aliquam florentis periodi durationem, exhibet, de quo ſupra [d] dixi. Fluxerunt utique inter prælium ad Raphiam, ex quo res ipſi ex voto fluere coeperunt, & hanc præſentem expeditionem, plus quam *decem* anni: non enim niſi mortuo Philopatore, & poſt mortem ipſius, aliquandiu occultatam, teſte Juſtino [e], ad Antiochum de-

Mmm 3 latam,

a verſ. 7. *b* Ant. l. 11. c. 10. §. 1. & alibi. *c* Jeſ. XXXIII: 6. ubi vid. Cl. Vitringa. *d* ad verſ. 6. *e* l. XXX: 2.

latam, adgreſſus eſt hoc bellum. Dicta de florentiſſima Antiochi fortuna, quae ipſi anſam hujus expeditionis dedit, corroborat Hiſtoria. Antiochus enim ἐπαιρόμενος τοῖς γεγονόσι, καὶ τῇ δι' αὐτὰ προσωνυμίᾳ *elatus ſucceſſibus, et inde orto cognomine* (Magni) *Coeleſyriam partemque Ciliciæ Ptolemæo Philopatoris* (filio), *etiam tum puero, inopinato abſtulit:* quæ verba ſunt Appiani [a] Verum ſi de ſucceſſu hujus ipſius belli verba capiantur, 1. idem vocum, *ad finem temporum illorum* proſperorum, ſignificatus retineri poteſt, modo vel *venire ad robur* pro principio expeditionis, quæ eum eventum haberet, capiatur; ut *veniet* ſit, pro *venire incipiet*, quo nihil uſitatius eſt: vel potius omnium expeditionum, & præcedentium, & harum in regnum Aegyptiacum, eventu proſpero intellecto, *finis temporum* fortunatorum ad finem earum expeditionum porrigatur, & fortunam tunc, quum ad ſummum virium & opum gradum venerit Antiochus, ſubito eſſe vertendam ſtatuatur. Quod hiſtoriæ egregie concinit, & a Polybio [b] diſerte eſt traditum. 2. Vocibus transpoſitis, quod ſubinde fit, verti poſſunt, *ad finem annorum* in *temporibus* opportunis, hoc ſenſu; *aliquot annis* inter priores & has poſteriores expeditiones elapſis denuo & majore ſucceſſu impetum in Coeleſyriam faciet, *temporibus* plane opportunis. Quem prætulerim ſenſum, ſi vocum transpoſitio neminem offendat, cum quod *ad finem annorum* ſit hoc in capite [c] uſitatum, tum quod mox verſ. ſequente בעתים *in temporibus* eodem ſenſu occurrat, tum denique, quod egregiam, & hiſtoriæ adprime conſonam, præbeat emphaſin. *Tempore* enim maxime apto, & tempeſtive admodum, qui genuinus eſt vocis עת uſus, ſeſe nunc movit Antiochus contra imperium Aegyptiacum; cum florentiſſimum ipſius eſſet regnum, & victorioſus exercitus, regnum vero Aegypti valde perturbatum, dilaceratum, & imbecille, magis adhuc propter regem minorennem.

a Syr. init. p. 141. b Hiſt. l. xv. p. 985. c verſ. 6.

rennem. *Mortuo Ptolemæo Philopatore*, inquit Juſtinus [a], *rege Aegypti, contemtaque parvuli filii ejus ætate, qui in ſpem regni relictus prædæ etiam domeſticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Aegyptum ſtatuit.* Quo etiam Appiani verba, modo citata, faciunt.

§. XLIV. Ceterum cum hypotheſis noſtræ interpretationis ſit, expeditionem hanc iteratam, & mortuo Philopatore ſub Epiphane infante contigiſſe, & primam fuiſſe, qua Coeleſyriam, & Palæſtinam ſibi mox ſubjecit, adeoque optatum habuiſſe ſucceſſum; eam ex hiſtoria paucis adſeruiſſe, non abs re fuerit. De *tempore* expeditionis, quod definivi, etſi ex Hieronymo [b] non tantum, ſed & Polybio [c], Juſtino [d], ipſo quoque Appiano [e], recte intellecto, quippe qui expeditionem ſusceptam dicens tempore Ptolemæi τοῦ φιλοπάτορος *Philopatorem* non in oculis habuit, uti Interpres cepit, ſed *filium ejus*, voce υἱοῦ intellecta, quod jam a Cl. Weſſeling [f] animadverſum eſt, clare conſtat: nonnulli tamen, per Euſebium [g] in errorem ducti, vivo Philopatore eam contigiſſe tradunt. Cujus manifeſti erroris anſam præbuit, quod pactum inter Antiochum & Philippum Macedoniæ, quo regnum Aegypti inter ſe diviſerunt, ſub Philopatore fuiſſe initum, & Antiochum ſeſe jam tunc ad hoc bellum præparaſſe referat Hieronymus [h], neſcio quo fundamento. Fundum vero præbet Joſephus [i], qui ipſam expeditionem ante Philopatoris mortem fuiſſe inſtitutam, & Coeleſyriam ac Palæſtinam occupatam, adſerere videtur. Verba Joſephi hæc ſunt: νικήσας μέντοι τὸν Πτολεμαῖον ὁ Ἀντίοχος, τὴν Ἰουδαίαν προσάγεται. τελευτήσαντος δὲ τοῦ Φιλοπάτορος, ὁ παῖς αὐτοῦ μεγάλην ἐξέπεμψε δύναμιν, καὶ στρατηγὸν Σκόπαν, κ. τ. λ. *Attamen victo Ptolemæo, Antiochus Judæam occupavit. Deinde, mortuo Philopatore, ejus filius magnam manum, & ducem*

a l. XXX: 1. b ad h. l. c Hiſt. l. III. p. 220. XV. p. 985.
d l. XXX: 2. XXXI: 1. e Syr. l. c. f ad Simſon. p. 1281.
g Chron. p. 68. h ad h. l. i Ant. l. XII. c. 3.

ducem Scopam miſit &c. Ad quæ verba, quæ Judæam ab Antiocho ſuperatam, vivo Philopatore, requirere videntur, hæc notavit Uſſerius [a], qui noſtram ſententiam recte adſeruit; *hoc enim ille voluit, vel certe debuit, Antiochum pro Judæa cum Ptolemæo Philopatore & Epiphane vario eventu decertantem, ſub Epiphane tandem eam obtinuiſſe, quam dein Scopas pro Epiphane recuperatam aliquanto poſt amiſerit.* Rectiſſime quidem! ſed, niſi textus Joſephi paululum immutetur, id dixiſſe haberi nequit. Mihi, transpoſitis tantum duabus vocibus, & ex optimæ notæ MSS. additis duabus, locus integer hunc in modum legendus videtur. Τελευτ. δὲ τοῦ Φιλοπατ., νικ. μέντοι ὁ Ἀντίοχος, τὴν Ἰουδ. προσαγ. ὁ παῖς δὲ ὢν Πτολεμαῖος ὁ Ἐπιφανὴς μεγ. ἐξεπ. δυν. &c. *mortuo vero Philopatore, victor quidem Antiochus Judæam occupavit; ſed puer exiſtens Ptolemæus Epiphanes magnam miſit manum & ducem Scopam* &c. Nihil hic mutationis præter voces, *Philopatore mortuo*, loco ſuo reſtitutas, niſi in παῖς αὐτοῦ pro παῖς ὢν: reliquæ enim πτολεμ. ὁ ἐπιφ. in MSS. reperiuntur additæ. Confirmat conjecturam, quod Ptolemæus Epiphanes παῖς *puer* adpelletur, non υἱὸς filius, adeoque ad *pueritiam* ejus reſpiciatur, ſicut in hac hiſtoria paſſim nuncupari ſolet apud Polybium, Appianum & Juſtinum, locis modo citatis. Quæ ſi cui nimia videatur mutatio, locum, ut jacet, legat; vocula δὲ ante Philopat. tantum ſublata, & ante παῖς poſita, hunc in modum. νικ. μεν τοι τον Πτολεμ. (ἐπιφανῆ) ὁ Ἀντιοχ, τὴν Ἰουδ. προσαγ. Τελευτ. τοῦ φιλοπατ. ὁ δὲ παῖς αὐτοῦ &c. *mortuo Philopatore Antiochus victo Ptolemæo Epiphane Judæam quidem occupavit, ſed puer ejus*, filius minorennis, Ptolemæus Epiphanes, *magnam miſit manum* &c. Quæ ſi minus adrideant, & lectio recepta ſit ſervanda, ei commoda interpretatione ſuccurrendum, ſtatuendumque eſt, Joſephum belli Antiochi, varia fortuna cum utroque Ptolemæo geſti, eventum, ſeu Judææ occupationem, primum in genere

[a] Annal. A. M. 3800.

pere tradere, adeoque per *Ptolemæum* ſuperatum intelligere utrumque, & Patrem & filium: dein in ſpecie & accuratius, quid ſub Epiphane, mortuo Patre, acciderit, exponere. Quo ſenſu mentem Joſephi cepiſſe videtur Zonaras [a].

§. XLV. Alteram hypotheſios partem, quæ Coeleſyriam ac Judæam in prima hac expeditione ab Antiocho occupatam fuiſſe habet, præterquam quod, præter Hieronymum, Joſephus, loco modo citato, diſerte tradat, quomodocunque etiam legatur, ſive ſub Philopatore ſive ſub Epiphane id accidiſſe velis, ſequens hiſtoria Scopæ, eas regiones vi & armis recuperantis, & Antiochi Scopam debellantis, ac terras illas ſibi denuo adſerentis, extra dubium collocat. Scopas enim, a Ptolemæo Epiphane in Coeleſyriam, ac Judæam contra Antiochum miſſus, πολλὰς δὲ αὐτῶν πόλεις ἔλαβε, quæ verba ſunt Joſephi [b], καὶ τὸ ἡμέτερον ἔθνος. πολεμούμενον γὰρ αὐτῷ προσέθετο *multas eorum* (Coeleſyriæ incolarum) *nec non gentem noſtram cepit: oppugnata enim in ejus partes conceſſit.* Regiones itaque eas oportet tenuerit Antiochus, quum Scopas expeditionem eam ſuscepit. Quod Hieronymus [c] ipſis verbis adfirmat. *Cumque Antiochus teneret Judæam*, ita habent, *miſſus Scopas Aetolus, dux Ptolemæi partium, adverſus Antiochum fortiter dimicavit, cepitque Judæam, & Optimates Ptolemaei partium ſecum abducens, in Aegyptum reverſus eſt.* Similia tradit Euſebius [d], in eo tantum hallucinatus, quod Antiochi expeditionem regno Philopatoris adnectat.

§. XLVI. *Secundus* articulus partim rationem tam rapidi & ſecundi ſucceſſus Antiochi in Coeleſyria & Palæſtina occupanda reddit, partim Zelotarum inter Judæos conamina fruſtranea, ea occaſione ad remp. in libertatem vindicandam facta, exhibet, verſ. 14. *Et temporibus illis multi ſtabunt contra regem Auſtri, & filii perruptorum populi tui eſſe-*

[a] Ann. l. IV. c. 17. [b] Ant. l. XII. c. 3. [c] ad verſ. 14.
[d] Chron. p. 68.

efferentur ad ſtabiliendam viſionem & infirmabuntur. Prius membrum, *multi ſtabunt contra regem Auſtri*, ad Philippum, Macedoniæ regem, qui, foedere cum Antiocho de regno Aegyptiaco occupando ac dividendo inito, eodem, quo Antiochus, tempore in ditiones regis Aegypti irruit, uti Polybius *a*, Juſtinus *b* & Livius *c*, præter Hieronymum tradunt, communi Interpretum conſenſu adplicari ſolet Quod hic locum habere etſi pati poſſum, directe tamen ad Coeleſyriæ ac Palæſtinæ populos, hoc tempore a Ptolemæorum partibus alieniores, & ad Antiochum deficientes, temporum ratione eos ad id invitante, retulerim. 1 Quia vox רבים, pro *multitudine* populi hac in prophetia ſumi ſolita, rectius in hanc ſententiam, quam in alteram de *Philippo* quadrat. Alio, & rem magis definiente, titulo uſus fuiſſet Propheta, ſi *regem* cum Antiocho conſpirantem in oculis habuiſſet, vel ſaltem epitheton addidiſſet, quo *multi* fuiſſent circumſcripti. 2. Quia de exteris bellis, quæ reges Syriæ & Aegypti geſſerunt, in prophetia, quæ tota agit de regnis Auſtri & Septentrionis reſpectu Judæorum, ſermonem fieri ſine manifeſto criterio, & urgente ratione, ſtatuere fas non eſt. 3. Quia, expeditione Antiochi in Coeleſyriam & Palæſtinam modo memorata, cum *nexu* & *ſcopo* longe conjunctius eſt, populorum, in quos expeditio illa ſuſcepta eſt, rationem haberi, *illosque* per *multos*, ſic abſolute adpellatos, intelligi; ut illorum populorum erga regem Auſtri ſiniſtra adfectio explicetur, & ratio tam ſubitæ eorum occupationis ab Antiocho reddatur. Senſus itaque eſt, populos illos maximam partem in Coeleſyria & Palæſtina ſeſe a Ptolemæi partibus ad eas Antiochi inclinaturos eſſe; per temporum circumſtantias & qualitates compulſos, partim quod Antiochi, qui arma victricia per Aſiam circumtulerat, celeberrimum nunc eſſet nomen, partim quod regnum Aegyptiacum

a lib. III. p. 220. XV. p. 985. *c* lib. XXX. *b* l. XXXI: 14. XXXII: 33.

ptiacum turbulentum, infirmum & tyrannicum, ab aliquo tempore fuiſſet, & nunc a rege puero teneretur, ſub tutoribus vel adminiſtratoribus peſſimis, antequam Romani ejus ſumſisſent tutelam. Ex quo emphaſis vocum, *temporibus illis*, ſimul eluceſcit. Quod eo magis ad rem erat hic locum invenire, quia animi horum populorum in prioribus Antiochi expeditionibus Ptolemæo fuerant faventiores, uti ex Polybio *a* conſtat. Nunc autem, rebus utriusque regni valde immutatis, hi ipſi populi, qui præ cæteris ad præſentem temporis ſtatum & fortunam, eodem *b* teſte, ſeſe accommodare ſolent, animi plurimorum ad Antiochi obſequia proniores erant, ipſiusque invaſionem eo ipſo, quod hic intenditur, longe facillimam reddebant. *Tantae enim diſſolutionis & ſuperbiae Agathocles* fuit, mortuo jam Philopatore, ut ex hiſtoria prophetiam hanc illuſtrem, *ut ſubditae prius Aegypto provinciae*, verba ſunt Hieronymi *c*, *rebellarent*, &c. De Judæis illud in ſpecie ex eo conſtat, cum quod gens Judæa non niſi *vi* & *armis coacta* ſeſe Scopæ, quem rex Aegypti ad terras illas recuperandas miſerat, dederit, tum quod, Scopa ab Antiocho debellato, ἑκουσίως *ſponte* & lubenter admiſerint Antiochum, eique in praeſidiariis Scopae militibus in arce Hieroſolymitana oppugnandis opem tulerint Hieroſolymitani. Quæ ex Joſepho *d* conſtant. Habebant & aliam peculiarem rationem Judæi, quæ eorum animos a Ptolemæo abſtraxit ac Antiocho adplicuit, partim quod ſuperbe & tyrannice fuiſſent a rege Auſtri, Ptolemæo Ahilopatore, tractati, ut ſupra vidimus, partim quod continuarum illarum regum Auſtri ac Septentrionis de Coeleſyria & Palæſtina concertationum, quæ eos tantopere adflixerant, pertæſi, in ſpem venerant, fore, ut Antiocho ſeſe adjungentes iis finem imponerent, resque ſuas haberent florentiores ac paca-

a l. v. p. 596. *b* ibid. *c* ad verſ. 13. *d* Ant. l. XII. c. 3.

pacatiores. Quod ex parte etiam ſub Antiocho M. experti ſunt; uti Joſephus [a] exponit.

§. XLVII. Qua ſpe allecti nonnulli, fervidiore libertatis & proſperitatis reip. Judaicæ ſtudio ducti, tempus, quo viſa prophetica de florentiore Judæorum ſtatu poſt exilium Babylonicum implerentur, adeſſe rati, a regno Aegypti defeciſſe ad Antiochum non contenti, conſilia ceperunt, de rep. in libertatem pleniſſimam adſerenda: quod ipſis minus feliciter ſucceſſit. Quo ex mea opinione poſterius *verſus* membrum tendit, *& filii effractorum populi tui ad ſtabiliendum viſum efferentur, & infirmabuntur*, longe ſecus ac Interpretibus viſum eſt; qui factioſos, vel prævaricatores & apoſtatas, per *filios effractorum* intelligunt, & vel de Onia, ejusque ſociis, Templum in Aegypto condentibus ad implendam Jeſaiæ prophetiam, Hieronymum ſecuti, interpretantur, vel de fautoribus Ptolemæi contra Antiochum, rempublicam turbaturis, & criminum poenas luituris, eoque ipſo viſa prophetica, etiam hoc ipſum Danielis, de impiorum excidio impleturis, aut exercitium religionis, ab ipſis impeditum, ſuo excidio reſtituturis, ut Coccejus, cogitant. Quæ quam male cocta ſint, facile foret demonſtratu, ſi id agendum eſſet. In genere obſtat, quod nec titulus *effractorum populi Judaei* characterem apoſtatarum, qui legi & religioni Moſaicæ renunciant, ducat, ſed *deſertorum* potius *fœderis ſancti*, quo uſus eſt propheta verſ. 30, & hic uſus fuiſſet, nec factioſi, qui Ptolemæi partes contra Antiochum ſectati ſunt, intelligi queant, cum nexus cum præcedente membro de iisdem, qui *contra regem Aegypti ſteterunt*, capere jubeat: additum enim ceteroquin fuiſſet aliquid, quod contrariam factionem determinaſſet Opinio de Onia ejusque ſociis, in Aegypto templum exſtruentibus, aliis quoque premitur difficultatibus, quæ eam plane deſtruunt. Præterquam enim quod, quare *effractores* adpellentur, qui ad

[a] Ibid.

ad legis præſcriptum ſacra fecerunt in Templo Aegyptiaco, loco tantum alieno & vetito, ad Jeſaiæ *a* vaticinium implendum, nulla ſufficiens ſit ratio, non hoc tempore, ſed diu poſt ſub Philometore id fecerunt, uti ex Joſepho conſtat, & a Doctis *b* abunde demonſtratum eſt; nec ullo ſenſu commodo dici poſſunt *corruiſſe*; cum votorum compotes facti ſint, & Templum illud diutius Hieroſolymitano ſteterit; uti in vulgus notum eſt. Denique, quod alii de ruina factioſorum ad veritatem prophetiarum, aut religionem ſtatuminandam, habent, illud longius non tantum quæſitum eſt, & fundamento caret, ſed & in phraſin, *efferri* ad *ſtabiliendum viſum* incurrit; nec *ruere* dicuntur ad id efficiendum, ſed ſtare & ſe extollere; adeoque *ſcopum* eorum hæc verba, & non tantum eventum, deſignent neceſſe eſt: ne nunc dicam, *viſum* ſtabilire pro *religionem conſtituere* nimis eſſe alienum, nec dari poſſe rationem, quare horum hominum excidium potius ad veritatem prophetiarum aut religionis citaretur, quam tot alia facta. Sed hiſce diutius immorari non lubet. Rectius ſecundum hanc hypotheſin cum Launæo *c* de factioſis & improbis, qui ſeſe Antiocho contra Ptolemæum adplicuerunt, cogitaremus, eoſque fuiſſe elatos ad *ſtabiliendum viſum* ſtatueremus, quatenus viam ſtraverunt ad hocce ipſum Danielis viſum, de apoſtaſia Judæorum, & adflictione ſub Antiocho Epiphane, præcipue agens, haud diu poſt implendum. Sed nec *effractorum* titulus nos eo ducit, nec phraſis, *ſe efferre ad viſum ſtabiliendum*, eam interpretationem facile admittit.

§. XLVIII. *Filii effractorum*, ut ad noſtram hypotheſin explicandam accedam, non ſunt ſimpliciter *effractores*, uti Docti, qui eam phraſin variis exemplis *d* illuſtrarunt, ac-

 ccpe-

a c. XIX: 19. *b* Vid. quoque Cl. Vitringa ad Jeſ. l. c. p. 582. in not. *c* ad h. l. *d* Vid. D. Clericus Quæſt. S. XXII: Coccejus ad Pſ. LXXII. 3. & in Lex. Gejerus ad h. l. Glaſſius Gr. S. l. III. tr. I. can. 36, 38.

ceperunt, ſed majore emphaſi κατ' ἐξοχὴν ſic dicti *genuini* effractores, qui eorum imaginem, inſtar filiorum, exacte referunt. Qua emphaſi augere liceat plurima loca, a Viris doctis citata. Quod verbo tetigiſſe ſuffecerit. *Effractores*, vel *perruptores*, פריצים, cujus radicis פרץ proprietas eſt *findere*, cum *laceratione frangere*, & uſus ſpecialis in *obicibus perfractis*, ſeu aquis, rupto obice, prorumpentibus, & ſeſe effundentibus, unde varii uſus extitere, de quo conſulendus eſt Cl. Schultens [a], non ſoli latrones, omnis juris ac æqui proculcatores, qui omnia legum repagula perrumpunt, adpellantur, ſed & in genere divites, & potentes, prolixa & diffuſa ſtirpe florentes, libertatis in primis cupidiores, quam ut ſervitutis ſeſe cancellis includi patiantur, fervidioris etiam animi viri, qui operi magnis animis & viribus inſtant, denique intrepidi & fortes, qui per omnia pericula & obſtacula perrumpunt. Quorum aliquos uſus, ut erumpendi *copia* & *multitudine*, *opibus*, & prorumpendi *ſtudio*, ac vehementer inſtandi, Coccejus [b] adtigit, & uberiore luce perfudit Schultens [c], ejusque veſtigia premens Rev. Lette [d]. Proxime concinunt βιαςαὶ Matt. XI: 12. *qui regnum cœlorum rapiunt*. *Perruptores* itaque hoc loco ſint potentia & ſtirpe conſpicui viri, magno fortique animo præditi, ſervitutis impatientes, qui ſeſe in libertatem ingente auſu vindicare, & per omnia repagula prorumpere moliuntur. Quo ſenſu ipſi Maccabæi duces titulo פרץ ex nonnullorum opinione, licet non ex mea, inſigniuntur Mich. II: 13. de quo alias. Deus utique reprimere, & dirumpere dicitur hoſtes populi hoc ipſo verbo 2 Sam. V. 20. *inſtar eruptionis aquarum*. Filii itaque *perruptorum* iidem fere ſunt, qui notabili in loco Num. XXIV: 17. בני שת adpellantur, non *filii Seth*, ut vulgo, quod nullum fundit tolerabilem ſenſum, ſed vel *impresſionis*, a rad. שות, quæ pro tali impetu aliquando ſumi-

[a] ad Job. I: 10. [b] in Lex. [c] ad Job. I: 10.
[d] ad Jud. V: 7.

mitur *a*, vel *diruptionis cum fragore*, a rad. שאת, quæ in eo propriam habet ſedem, uti Cl. Schultens *b* obſervavit. Attamen, cum vox פריץ uſu ſuo plerumque ſeſe in malum flectat, & violentum injuſtumque vinculi ſervitutis effractorem, libertatisque Zelotam ac vindicem ſignet, qui a legitimo ſeſe avellit Domino, & in libertatem prorumpit, quo ſenſu egregie venit 1 Sam. XXV: 10. *hodie multiplicati ſunt ſervi* המתפרצים *qui rupturam faciunt, a Domino ſuo deſciſcentes*; eundem uſum hic locum invenire non repugnaverim, modo Zelotarum libertatis idea non ſeponatur. Cui robur & verbum ונשאו *efferentur* inſtar tumidorum fluctuum, de quo ſupra dixi, & res ipſa addit haud leve. Aegypti enim reges cum Judæorum eſſent legitimi Domini, nec per tyrannidem ſuam jus dominii ſui, ut Syri ſub Maccabæis fecerunt, perdiderant, Syri vero nunc Judæos haberent obnoxios, ſponte ſe dedentes, violenti & injuſti perruptores audire merebantur Zelotæ Judæorum, qui hoc tempore jugum omne excutere tentarunt, Aegyptiorum non tantum, ſed & Syrorum, quibus nunc ſeſe ſponte ſubjecerant. Quare ſucceſſu caruerunt, ope Divina non adjuti, & *infirmati* ſunt; uti mox additur. Quo verbo non tam *excidium*, quam virium privationem, & novam ſubjectionem, intellexerim, & uſui verbi כשל, ut Cl. Coccejus in Lex. recte notavit, & rei ipſi congruenter. Radix כשל. Arab. كشل, proprie eſt *adpactus hæſit*, vel adhæſit adpactione, unde כשיל *impactor*, & malleus gravior, & מכשול *offendiculum*, ad quod offenditur ſimul, ſimul inhæretur in eo. Hinc ſeſe ad omne illud porrigit, quod vel ruinam, vel infirmitatem adfert. Impetuoſi itaque ad libertatem graſſatores, ſeſe ſuperbia & temeraria ſpe efferentes, jugumque excutientes, *offenderent*, a graviore obſtaculo, in primis ab Aegyptiis & Syris objecto, præpediti, & ad id obhærentes, vel & viribus & potentia privati, novæque ſervituti addicti, aut in exitium præcipita-

a Jeſ. XXII: 7. Pſ. III: 7. LXXXIII: 13. *b* Clav. p. 303.

pitati. Quod primum per *Scopam*, ducem Ptolemæi, qui Judæam gentem ſubjugavit denuo, & præſidium Hieroſolymis impoſuit, dein per Antiochum factum eſt, qui privilegia gentis quidem adſeruit & auxit, ſed mox Aegyptiis rurſus dotis nomine cum Filia ſua dedidit; tandem longe ſeverius per Antiochi ſucceſſores; de quo poſtea.

§. XLIX. *Scopus* vel *praetextus* horum zelotarum fuiſſe dicitur, *viſionem ſtabilire*, vel implere, ſive id efficere, quod futurum eſſe *viſio* prophetica, haud una, ſed varia, prædixerat, & promiſerat. *Efferentur*, dicit propheta, *ad ſtabiliendam viſionem*, hoc ſcilicet ſcopo, vel prætextu; de utroque enim capi poteſt; nec improbabile eſt, eorum alios hoc unice in oculis habuiſſe, alios prætexuiſſe, ut fieri adſolet, adeoque utrumque locum habere. Cum vero *perruptores* eſſent, qui jugo ſervitutis Aegyptiacæ ac Syriacæ, ſeu omnis extimæ, excuſſo, *libertatis* ſtatum omni ſtudio introducere conati ſunt, *viſionem*, cujus hic mentio fit, prophetis Judæorum olim factam, eo ſpectaſſe facile adparet, ut Judæis hujus libertatis ac proſperitatis ſpes fieret, & facta fuerit. Quales prophetiæ plures fuerunt, & in verbo Prophetico ubique obviæ: quæ etiam haud diu poſt ſub Maccabæis implementum conſecutæ ſunt: ut ſuo loco in ſequentibus videbimus. Nec ab earum implemento haec ipſa tempora, de quibus noſtro loco agitur, adeo aliena erant, ut Zelotis libertatis in mentem hoc venire non potuerit, illique ad hoc tentandum excitari non quiverint. Videbantur contra ad id eſſe adcommodatiſſima, partim quod in Antiocho viderentur liberatorem conſecuti, qui populum hac ſpe illectum in ſuas partes traxit, uti in prima Hieroſolymæ occupatione eum feciſſe ex iis, quae Plutarchus [a] narrat, colligi poſſe videtur, & ex parte etiam, privilegia Judaeorum firmando & augendo, teſte Jeſepho [b], praeſtitit, partim quod ab hoſtilibus exercitibus populorum, ſecum de Coeleſyria

a Apophtegm. p. 184. b Ant. l. XII. c. 3.

ria concertantium, per Judaeam ultro citroque tendentibus, eamque adfligentibus, terram eſſe liberandam, *viſio* prophetica ipſis verbis fuerit pollicita, hoc ipſo itaque tempore, ut videri poſſet; quo illis concertationibus finis videretur imponendus, implenda. Notabilem prophetiam innuo Zach. IX. 9. quæ ita habet, *Ponam domui meæ præſidium a transeunte & redeunte*, ſcilicet, ne ab euntibus & redeuntibus exercitibus amplius infeſtetur, *& non transibit amplius ſuper eos exactor*, ſcilicet *tributi*, *laboris* aut *mortis*. Quales plures aliæ exſtant prophetiæ, de hoſtium repreſſione, ac Judæorum elevatione, circa hæc tempora implendæ, clare & emphatice loquentes, quarum paucas aliquas infra *a* ſignabo. Ex quibus pervulgatam ſatis fuiſſe de inſtante liberatione populi a dominio exterorum opinionem inter Judæos hoc tempore, mihi non ſit improbabile: ex quo, nonnullos concitatioris animi ad hoc opus, tam favorabili occaſione ſeſe præbente, adgrediendum, ut populum ſecundum prægreſſas prophetias libertati adſererent, nemini mirum accidere poterit. Sed, cum tempus illud nondum adluxerit, ſpes eos nunc quidem fefellit; attamen eo ipſo, quo hoc moliti ſunt, aliam prophetiam hoc ipſum hoc tempore in caſſum eſſe ſuscipiendum, clare prænunciantem, egregie & exacte impleverunt. Quod phraſi, *efferentur ad ſtabiliendam viſionem*, & *infirmabuntur*, ſimul comprehenſum eſſe, ſtatuere nihil impedit. Notabilem in oculis habeo prædictionem Jeſ. XXVI: 17, 18. *Sicut mulier gravida, dum adpropinquat partui, dolet, clamat in doloribus ſuis: ſic exſtitimus tui cauſa, Jehova! Parturivimus, doluimus; erat, acſi pareremus ventum. Perfecta ſalus non eſt procurata terræ, & non ceciderunt incolæ orbis.* Quæ prophetia, a Cl. Commentatore recte expoſita, eandem fere rem, quam noſtra

a Jeſ. XXV-XXVII. Jer. XXX: 8. Joel. IV: 17. Mich. II: 13. IV: 13. V: 4.

noſtra pericopa, complexa, ſicut noſtram interpretationem egregie firmat, ita ex ea lucem mutuatur.

§. L. Ceterum molimina horum Zelotarum pro reip. libertate pleniſſima in hiſtoria non fuiſſe adnotata, mirum non eſt, nec noſtræ hypotheſi officit, cum quod defectuoſam eam habeamus, tum quod mox intercepta ſint, & intra conamina manſiſſe videantur, uti ex ipſis verbis facile colligitur. Nonnulla tamen ſeſe offerunt ſpecimina, ex quibus de animis Judæorum ad reip. libertatem adſerendam pronis, paratisque, conjici facile poſſit. Quo defectio Judæorum a rege Aegypti ad Antiochum, ſupra memorata, privilegia, quæ Antiochus ipſis conceſſit, ad animos eorum ſibi conciliandos, quorum ſupra etiam memini, & alia ſimilia haud obſcure faciunt. Nec tam fides Judæorum in Antiochum, quam hoc ipſum libertatis ſtudium in cauſa mihi fuiſſe videtur, quare Judæi a Scopa oppugnati, nihilque ab Antiocho, tunc abſente & bello cum Attalo diſtracto [a], aut metuendum aut ſperandum habentes, tam animoſe reſtiterint, ut non niſi expugnati ſeſe Scopæ ſubjecerint, nec niſi præſidio firmo Hieroſolymis impoſito in ordinem redigi potuerint, uti ex *Joſepho* [b] patet; cum Aegyptiis alias arctius & a longo conjuncti, adeo ut in prioribus Antiochi expeditionibus, ſub Ptolemæo Philopatore, hujus partibus conſtanter adhæſerint: uti ſupra ex Polybio [c] percepimus. Nec abs re fuerit addidiſſe, Judæos antea tenui & paupere in conditione poſitos, paulo ante hoc tempus, ope Joſephi, prudentiſſimi & ſtrenuiſſimi viri, *ex paupertate & tenuitate ereptos, ac in ſplendidiorem vitæ ſtatum fuiſſe perductos*, ut verba Joſephi [d] habent; quo multorum animos creviſſe, & in ſpem melioris ac liberioris ſtatus fuiſſe erectos & inflammatos, facile conjicimus. Quod ipſum titulo *perruptorum* comprehenſum eſſe, modo obſervavimus. Accedit, hunc ipſum

[a] Liv. l. XXXII. [b] Ant. l. XII: c. 3. [c] Hiſt. l. V. p. 597.
[d] Ant. l. XII: c. 4. §. 20.

ipſum Joſephum *Syriæ*, *Phœnicesque* & *Samariæ* vectigalia per *viginti annos*, eodem [a] teſte, *tenuiſſe*; quæ aliqua libertatis ſpecies ad majora audenda Zelotas excitare potuit. Nec improbabile mihi fit, ſimile quid animo volviſſe Joſephum, ejusque filium Hyrcanum, qui ſtatum libertatis, a fratribus & populo Judæo ex odio & invidia expulſus, recte tuitus eſt ultra Jordanem usque ad Antiochum Epiphanem, ut Joſephus refert. Inteſtini itaque motus eos in propoſito exſequendo impediverunt. Utique *effractorum* titulo recte inſigniuntur, vel ea de ratione, quod ſupremi fuerint publicani ſui juris, qui in vectigalibus, per Syriam & vicinos Judææ populos exigendis, ſevere inſtituerunt, populosque expilarunt, ad Judæos ditandos. Quæ omnia ex Joſepho conſtant. Inceperunt utique Judæos ab *exactoribus* peregrinis, *per eos transeuntibus*, ſecundum Zac. IX: 8., liberare, vectigalia redimendo, & vicinos ſpoliando. Cæterum βιαςαὶ Matt. XI. primo ſenſu ſunt *publicani*, qui Johannis baptiſtæ conciones receperunt; ut ex Matt. XXI: 32. & aliunde colligitur. De quo conſuli velim Cl. Wetſtenium ad Matt. XI. Adligat quidem Joſephus initium præfecturæ *Joſephi* temporibus Ptolemæi Euergetis, ſed vel vitium eſſe lectionis, vel Joſephum ſibi contradicere, & ſub Ptolemæo Philopatore id contigiſſe, demonſtravit Vir Doctiſſimus ad Marmora Oxonienſia [b].

§. LI. Antiocho, poſt Coeleſyriam & Palæſtinam occupatam, Antiochiam reverſo, & bello Pergameno implicito, terras eas recepit Scopas, dux fortiſſimus Ptolemæi Epiphanis, quem Livius *principem gentis* alibi [c] adpellat, Hieroſolymis vi captis, impoſito quoque præſidio. Cui cum occurriſſet, novam adgreſſus expeditionem in eas regiones, ad eas recuperandas, Antiochus, juxta *fontes Jordanis*, *ubi nunc Paneas eſt*, inquit Hieronymus [d], eum

Ooo initio

[a] ibid. [b] p. I. fin. p. 151. [c] Lib. XXXI: c. 43. [d] ad h.l.

inito certamine, quod deſcripſit Polybius [a], *fugavit, & cum decem millibus armatorum*, verbis rurſus utor Hieronymi, *obſedit clauſum in Sidone, ob quem liberandum miſit Ptolemæus duces inclitos Eropem & Menoclem & Damoxenum. Sed obſidionem ſolvere non potuit, donec fame ſuperatus Scopas manus dedit, & nudus cum ſociis dimiſſus eſt.* Quando, teſte Polybio [b], recepit Antiochus *Batanaeam*, & *Samariam*, & *Abila* & *Gadara*, *atque paulo poſt Judaei ſeſe tradiderunt, quotquot circa fanum Hieroſolyma nuncupatum incolebant.* Præſidium Scopæ *in arce Hieroſolymorum*, uti Hieronymus tradit, *adnitentibus Judaeis*, expugnavit: quod Joſephus [c] quoque confirmat. Inde Gazam perrexit, quam poſt egregiam civium, in fide Ptolemaei conſtantium, defenſionem, cujus meminit Polybius [d], captam tradidit ſuis ſpoliandam & deſtruendam. Quo facto totam Coeleſyriam & Palaeſtinam non tantum, ut Livius [e] quoque adſerit, & Polybius [f], ſed & *alias urbes, quae prius a Ptolemaei partibus tenebantur*, teſte Hieronymo, *Syriae, Ciliciae & Lyciae*, quarum aliquas ibi recenſet, & inter eos *Epheſum*, cujus quoque mentio fit in fragmento apud Suidam [g], occupavit. Qua cum hiſtoria conferenda, quæ ex ea faciles admittunt explicatus, verba Prophetae, quae ſequuntur verſ. 15, 16. *Et veniet rex Aquilonis, & ſtruet aggerem, & capiet urbem munitionum, & brachia Auſtri non conſiſtent, nec populus ab eo ſelectus, nihilque erit virium ad ſtandum. Et faciet qui venerit ad eum ſecundum placitum ejus, nec quiſquam coram ipſo conſiſtet.*

§. LII. Quae tanta luce, quam ſuperior hiſtoria accendit, fulgent, ab Interpretibus recte in genere explicita, ut uno alterove obſervato defungi potero. 1. Verbum ויבא *& veniet*, in principio verſ. 15., quo cum ſuperiore oratio-

a Excerpt. Valeſii p. 77. *b* apud Joſ. Ant. l. XII. c. 3. *c* Ibid. *d* Excerpt. Valeſii p. 86. *e* l. XXXIII: c. 19. *f* Excerpt. Legat. 720. oper. t. II. p. 1238. *g* ad vocem [illegible].

oratione connectitur, *iteratam* hic ſignat Antiochi *invaſionem*, a ſuperiore diſtinctam: quæ ratio eſt repetiti verbi *veniet*. Cum verſ. 3. Antiochum *reverſurum* eſſe in easdem Coeleſyriæ & Palæſtinæ regiones dixiſſet, easque occupaturum indicaſſet, nunc vero repetat, *& veniet*, novam ejus expeditionem ob oculos ponit, ſimul, priorem fuiſſe interceptam, vel durabilem non produxisſe earum terrarum occupationem, haud obſcure innuit. Quod ex *Scopæ*, ducis Ptolemæi, expeditione, qua recepit eas pro Ptolemæo, modo narrata, clarius evadit & certius. Pergit itaque Propheta in Antiochi expeditionibus in has regiones recenſendis; nec alio indiget ſermo nexu, quem hic fruſtra, nec ex vero, quæſiverunt Interpretes. 2. *Aggerum exſtructionem, & urbis munitionum expugnationem*, non ſine ratione memorat prophetia, quia in urbibus obſidendis & capiendis præcipue occupatus hoc tempore fuit Antiochus, poſt copias Scopæ in initio expeditionis fuſas: uti narravi. *Sidonem*, *arcem* Hieroſolymæ, & *Gazam* expreſſe commemorant Hiſtorici, tanquam eximias, quibus & *alias* omnes Coeleſyriæ & Palæſtinæ generali phraſi addunt. Ceterum, quod intactum vidi, cum *Sidonem*, obſidione cinctam & fame preſſam, ad deditionem coegerit, *Gazam* vero, munimentum firmiſſimum in finibus Phoeniciæ, vel Palæſtinæ, vi ceperit, & ſpoliaverit ac ſolo æquaverit, ad *priorem* urbem in phraſi, *fundet aggerem*, ad *poſteriorem* in verba, *urbem munitionum capiet*, reſpici, ecquis, qui exactitudinem prophetiæ mecum veneratur, non lubens admittit? maxime, ubi *urbem* in ſing., & urbem *munitionum* expreſſe deſignari adverterit. Etſi enim collective ſumi poſſit, debeatque, ſingularem tamen numerum ideo captaſſe propheticum Spiritum, ut *Gazam*, a *munitione* firma nomen habentem, digito quaſi monſtraret, plusquam probabile ſit. Accedit, verbum לכד *capere*, quo utitur, cujus proprius uſus eſt in *captura praedae*, unde ad id omne tranſiit,

 quod

quod quis manu injecta, tanquam ſuum, capit, & firmiter tenet, urbis, inſtar prædæ violenter tractatæ, & firmiter retentæ, cogitationem præbere.

§. LIII. 3. Singulari quoque emphaſi & accuratione pollent verba ſequentia, *etenim brachia auſtri non conſiſtent*, *nec populus ſelectus ejus*, quibus ratio expugnatarum ac ſubjectarum urbium datur, ut opinor, quare ו & brachia, per *etenim*, ut ſæpe alias, reddiderim, quando oratio prono alveo fluit. Retulerim enim *brachia* ad exercitum Scopæ ad fontes Jordanis ab Antiocho fuſum, & *populum ſelectum* ad Duces illos *inclitos*, Hieronymo laudatos, quos Ptolemæus ad Scopam, Sidone incluſum, miſit liberandum. Etſi enim *brachia* & *populum ſelectum* recte copulare poſſis, tanquam metaphoricas & proprias phraſes, ſe mutuo explicantes, ut per *brachia ſelectum* populum ſe intelligere indicet propheta; elegantiorem tamen & magis emphaticam quis refugerit, quam dedi, interpretationem, hiſtoriæ tam exacte reſpondentem? Ceterum *brachia* ſicut in genere pro omni *robore*, & *praeſidio*, de quo videndus eſt Cl. Schultens [a], in ſpecie pro valido exercitu ſumi, & τὴν δύναμιν ſignificare, quia *brachiis res bellicae perficiuntur*, ſecundum Theodoretum [b], uti & verſ. 22, 31. & alibi, notius eſt & facilius, quam ut ei inhæream. Reliquæ voces, עם מבחריו *populus ſelectuum*, vel *ſelectorum ejus*, *copias* militares, quæ nomine עם aliquando in ſpecie veniunt, quod a Bootio [c] jam animadverſum, & locis productis demonſtratum eſt, non qualeſcunque, nec totius populi & omnium juvenum, quod πανδημεὶ vel *totius urbis viribus* militare dicitur, ſed ex *delectu*, & quidem ſtrenuiſſimas ac promtiſſimas, quo vox מבחר tendit, comprehendunt. Quos Jerem. XLVIII: 15. מבחר בחוריו *ſelectum juvenum* elegante phraſi adpellavit, cum בחור, ejusdem

[a] ad Job. XXII: 9. [b] ad Ezech. XXX. p. 466. [c] Animadv. S. l. II. c. 8.

dem radicis vox, de *juventute bellica* in ſpecie uſurpari ſoleat: ut recte obſervavit Doctiſſ. Maſſon *a*.

§. LIV. 4. Nec fruſtra & ſine emphaſi ſubjungitur, *nihilque erit virium ad ſtandum*, cum, vires Aegyptiaco exercitui defuturas ad conſiſtendum in acie contra Antiochum, non ſimpliciter indicetur, quod ſuperioribus haud multam emphaſin addidiſſet, uti facile cernitur, ſed, copiis ſemel fuſis, & regionibus Coeleſyriæ ac Palæſtinæ occupatis, eas a rege Auſtri non eſſe denuo vindicandas, ut antea factum fuerat, nec vires ad id faciendum ſuperfuturas, imo nihil fere roboris & potentiæ relictum fore regno Aegyptiaco, ob oculos ponatur. Quo verba, ſuperioribus addita, & abſolute poſita, *nihil virium erit ad ſtandum*, facile ducunt: cui hiſtoria egregie conſonat. Poſt hanc enim Antiochi expeditionem regiones illæ manſerunt poteſtati ejus ſubjectæ, ſecus ac antea, quando identidem recuperatæ fuerunt a regibus Aegypti; quod ipſis verbis adnotare non neglexit Polybius *b*, & ex hiſtoria ſequentium temporum ſatis conſtat. Nihil etiam a Ptolemæo in Antiochum tentatum eſt, nihil quoque præ viribus regni debilitatis ac infirmatis potuit; fuiſſetque de ipſo regno Aegyptiaco actum, niſi Romanorum ſub tutela ſtetisſet, illique Philippum Macedoniæ ac Antiochum M., qui regnum illud, *facta inter ſe pactione, diviſerant*, ut Juſtinus *c* ait, armis in ordinem redegiſſent.

§. LV. 5. Verba ſequentia, *& faciet veniens ad ipſum ſecundum placitum ejus*, ab Interpretibus de Antiocho, contra Ptolemæum veniente, & pro lubitu agente, intelliguntur; minus recte, ut opinor. *a.* Quia adf. relativum *ad ipſum*, & in hoc verſu, & in tota orationis ſerie, ad *Antiochum* reſpicit. *b.* Quia non dixiſſet הבא *qui venit*, quæ phraſis *unumquemque* exprimit, ſed vel *veniens* vel rex Aquilonis, aut *ipſe* veniens, vel ſimile quid. *c.* Quia quid

a ad Pſalm. cx: in Hiſt. Crit. reip. litt. t. II. *b* Excerpt. Leg. 72. p. 1238. *c* lib. XXX: 2.

quid elegantiæ ac emphaſios habeat, illud *venire contra ipſum*, plane non perſpicio. Cum enim regem Auſtri ab ipſo ſuperandum, & regionibus iſtis privandum eſſe, jam modo dixerat; quid neceſſe habuit repetere, aut addere, Antiochum *contra ipſum venire*, & *venientem* pro *beneplacito* acturum? *d.* Ne nunc dicam בא cum אל non ſolere *contra*, ſed *ad* aliquem *venire* ſignificare; quo ſenſu hic conſtanter venit. Quid itaque? Verterim, *& quicunque ad ipſum* (regem Aquilonis) *venerit*, *is ſecundum ejus placitum aget*, ſeſe ad ejus voluntatem componere neceſſe habebit, ac de quibuscunque populis, viriſque principibus, in illis regionibus intellexerim, ad Antiochum pacis aut ſocietatis ineundæ, aut aliorum negotiorum, cauſa venientibus, qui omnes ſeſe ipſi ſubmiſſuri, & leges conditionesque non pacturi, ſed ab ipſo, tanquam ſuperiore & Domino, accepturi ſunt. Quem ſenſum & ipſa verba facile fundunt, & ſequentia, *nemo coram ipſo conſiſtet*, clare confirmant. *Venire ad aliquem*, ſtilo Script., & vi vocum ſecum ſtructarum, eſt, ſeſe alicui adjungere, ſocietatem cum aliquo inire, fœdus icere, aut tradere ſe alicui, aut quocunque alio modo cum ipſo agere. Senſus itaque huc redit, Antiochum, copiis & viribus Aegyptiorum fractis, omnium illarum regionum, & populorum fore Dominum, ad cujus placita omnes ſeſe conformare, & cujus voluntati adſurgere debeant; cum nemo ei amplius reſiſtere poſſit, auſitve; quod mox ſubjungitur. Quod alias [a] *agere ſecundum ſuum placitum*, id hic de aliis, quotquot ipſum adceſſerunt, ſecundum ejus *placitum* acturis, dicitur; quæ eodem fere redeunt. Nec aliud dicit, ac quod de Antiocho, Cœleſyria & Phoenicia ultima vice occupata, dixit Polybius [b], eum κρατεῖν τῶν κατὰ κοίλην Συρίαν καὶ Φοινίκην πραγμάτων *rerum publicarum in Cœleſyria & Phœnice Dominum fuiſſe*.

§. LVI. Coeleſyria ac Judæa non tantum ſibi ſubjecta, ſed

[a] Dan. VIII: 4. XI: 3. [b] Excerpt. Leg. l. c. p. 1238.

ſed & variis Aſiæ minoris ac Thraciæ urbibus deinceps occupatis, bellum cum Romanis, quod meditabatur, antequam adgrederetur Antiochus, ſocietates cum vicinis regibus inivit, vel tentavit, in primis cum Ptolemæo Epiphane, Romanis arcte adſociato, filia ſua Cleopatra ipſi cum dote Coeleſyriæ & Palæſtinæ copulata, eo ſcopo, ut eum a Romanorum ſocietate ac tutela abſtraheret, & ſibi ſubjiceret: qua tamen ſpe excidit. Quam hiſtoriam, ex Appiano [a], Livio [b], Joſepho [c], Hieronymo [d] & Euſebio [e], notiſſimam, prophetia his verbis prænunciavit, verſ. 16, 17. *Et ſtabit in terra decoris, & conſummatio in manu ejus: & ponet vultum ſuum ad intrandum in robur totius regni ejus, & complanata cum ipſo, & faciet, filiamque mulierum dabit ipſi ad illud corrumpendum, ſed non ſtabit; nec illa ipſi erit.* Quæ hac paraphraſi illuſtro. Coeleſyriæ ac Palæſtinæ Dominus factus ſtabilis, corruptionem regni Aegyptiaci ſimul, ſimul ſponſam cum dote terræ decoris, regi Auſtri eo ſcopo dandam, in manu habens & præferens, ut propoſitum, quod ſumſerat, exſequatur, & in robur regni Auſtri intraret, complanationes cum rege Auſtri loquetur & perficiet, filiamque ſuam, præſtantiſſimam mulierum, ipſi dabit uxorem, ut robur ejus, in ſocietate cum Romanis ſitum, frangat ac perdat. Sed votorum compos non fiet, nec etiam filia ejus ab ejus partibus ſtabit, ſed marito præ Patre adhæreſcet.

§. LVII. Verba cum generalem theſin, tum ejus ſpecialiorem deductionem continent, *illam* verſ. 16, *hanc* verſ. 17. adeoque ſecum cohærent & conſtruenda ſunt, prava verſuum diſtinctione, ut opinor, divulſa. Quo non obſervato, in devia abrepti ſunt Interpretes, qui verba verſ. 16, *& ſtabit in terra decoris, & conſummatio in manu ejus*, cum ſuperioribus connectunt, & de Paleſtinæ occupatione, ejusque vel vaſtatione, per expeditionem

[a] Syr. p. 144, 145. [b] l. XXXV: 13. [c] Ant. l. XII: c. 4.
[d] ad h. l. [e] Chron. p. 68.

illam facta, vel exornatione, variis Judææ genti conceſſis privilegiis, interpretantur. Sed 1. occupatione Coeleſyriæ ac Palæſtinæ ſupra jam prædicta, & deſcripta, eam quid hic adtinet repetere? 2. Nec quid illud, *ſtare in terra decoris*, emphaſios habeat, ad ſuperiorem expeditionem relatum, explicuerunt Interpretes, nec quo verba tendant. 3. *Conſummationis* vox quoque nec in malam partem, pro *vaſtatione*, nec in bonam pro *exornatione*, huc quadrat: ab utraque enim multum afuerunt, quæ Judæis hoc tempore bona aut mala contigerunt. Paſſi ſunt multum per mutuas illas concertationes regum Aegypti & Syriæ, ſed nec ab Antiocho, de quo hic agitur, ſolo, nec ad *vaſtationem* usque, quam vox *conſummationis* involvit, & conſtanter exprimit. Privilegia quidem in Judæos contulit Antiochus, a Joſepho [a] recenſita, ſed a *conſummatione* & perfectione ſtatus longius remota; ut cuique, Joſephi locum legenti, adparet. Caperem potius, cum Belgis noſtris, Doctis Viris, qui Biblia notis illuſtrarunt, ſi meam facerem eam opinionem, de abſoluta Antiochi poteſtate in Palæſtinam ac gentem Judæam, qua in *manu* habebat & pleniſſimam deſtructionem, & ſummam exornationem; inſtar ſupremi Domini, in terra *ſtantis*, & de ea pro arbitrio disponentis. Sed quid ſibi ejus expreſſa mentio hic velit, & quam emphaſin habeat, non intelligo.

§. LVIII. Conjungamus itaque, verſuum diſtinctione, quod licere puto, migrata, cum ſequentibus, & pro generali theſi, mox explicanda verſ. 17, habeamus; Prophetiæque elegantiam & accurationem haud difficulter detegemus. Palæſtinæ occupatæ deſcriptione facta, & reliquis Antiochi expeditionibus, eam ſecutis, in Aſiæ & Thraciæ civitates, ad ſcopum prophetiæ nihil facientibus, ſilentio preſſis, Antiochus denuo in Judæa conſiſtens introducitur, cum ut eum poſt modo memoratam expeditionem, & terram illam occupatam, alio ſeceſſiſſe, in Aſiam

[a] Ant. l. XII. c. 3.

Aſiam ſcilicet & Thraciam, nunc rediiſſe in Judæam, indicaretur, tum quod hoc tempore ſe *dominum* iſtarum regionum, qui eas dotis nomine in regem Auſtri transferret, demonſtraret, quod eſt *ſtare in terra;* tum denique, quod hoc ipſo tempore, quo filiam dedit Ptolemæo, de quo verſ. 17. agitur, fuerit in illis oris præſens. *Antiochus rex*, inquit Livius *a*, *ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Aegypti filia in matrimonium data, quum Antiochiam ſe recepiſſet* &c. In promtu itaque eſt ratio, quare dixerit prophetia, *& ſtabit in terra decoris;* & exactitudo prophetiae, ni fallor, luculenter ſeſe ea ratione pandit. *Terram decoris* eſſe Judaeam, ex cap. VIII: 9. XI: 41. noſtri prophetae, & aliunde conſtat, ſatisque tritum eſt. *Terræ decoris* titulo Judaeam condecoraſſe videtur, ut *dotis*, quacum filiam deſponderet, praeſtantia indicaretur, ſimul forte ad *parvum cornu*, ad *terram decoris* ſeſe *elaturum*, Antiochi M. emblema, cap. VIII: 9. cogitationes revocaret.

§. LIX. Sequentes voces, *& conſummatio in manu ejus*, divitem fundunt ſenſum, qui varia, ad quae vox כלה ſeſe porrigit, complectitur, ex ipſo implemento demum cognoſcenda. Verba כלל & כלה, ejusdem originis, primum *complicationem*, dein *conſummationem*, quae rei eſt *complicatio*, per quam abſolvitur, perficitur & ultimam accipit manum, notante Cl. Schultens *b*, continent. Unde varii uſus fluxerunt alii, in derivatis, varie punctatis, obvii. Vox כָּלָה, quae hic occurrit, cum *univerſitatem* & univerſam complexionem, & adverbialiter *totum*, *univerſum*, tum decreti fixi ratique complementum certum, tum *conſumtionem* & totalem deſtructionem, uti ex Lexicis conſtat, exhibere ſolet. Denique כַּלָּה *pro ſponſa*, *corollis* ornari ſolita, & כלולות pro *ſponſalibus*, ex eodem fonte *conſummationis* ac *coronationis*, quae colophonem imponit, ſumi ſolet. Quae verbo tetigiſſe ſuffecerit. Hos omnes

 ſigni-

a l. XXXV: 13. *b* ad Prov. XVI: 30.

ſignificatus Propheta hoc loco una complexus eſt, quia in rem, de qua agitur, quadrant omnes. Animo ipſi obverſata eſt filia regis Septentrionis, *ſponſa* jam ab aliquo tempore deſtinata regi Auſtri, quam nunc, in terra decoris ſeu Palaeſtina conſiſtens, Antiochus Ptolemaeo Epiphani una cum *tota* illa terra, dotis ampliſſimae & *conſummatæ* nomine, traderet, ſed eo occulto fixoque propoſito, ut regnum Aegypti hac ratione *corrumperet*, ejusque vim & imperium deſtrueret, ſibique ſubjiceret. Quae omnia, & *ſponſam*, & *dotem*, & *deſtructionem*, una *conſummationis* voce, quae ſeſe ad ea omnia extendit, eleganter & emphatice involvit, ſuo tempore per implementum demum ſponte ſua evolvenda. *Conſummatio* itaque *in manu* ejus, dicet 1. rati fixique *decreti*, antea ſumti, ac promiſſi, de danda filia cum hac dote, *perfectionem*. In manu enim eſſe dicitur decretum, cum executioni eſt mandandum. Senſus ergo eſt; *effectum dabit*, *quod inſtituet*, ut recte Piscator. *Filiam ſuam Cleopatram*, inquit Hieronymus *a*, *per Euclem Rhodium ſeptimo anno regni adoleſcentis deſpondit Ptolemæo* (quod eſt כלה *& tertio decimo anno tradidit*; quod eſt כלה בידו *conſummatum decretum in manu ſua*, ad illud complendum. Cui concinunt verba Antiochi ad Legatos Romanos, cum in Aſia degeret, apud Appianum *b*, *Ptolemæi vero cognatus ſum*, ϗ ὅσον οὔπω κηδεστὴς ἔσομαι *& brevi poſt ſocer futurus ſum.* Cui concinunt, quæ Polybius *c* & Livius *d* tradunt.

§. LIX. 2. *Sponſæ* & *dotis* oblationem, ac dationem. *Illa* enim כָּלָה, punctis tantum aliis, adpellatur eadem voce, & *dos* per *totam* illam, *univerſitatemque* complicatam; quam vox כלה denotat, relate ad *terram decoris*, *in qua ſtabat*, repræſentatur. *Stabit in terra decoris*, *& conſummatio in manu ejus*, & *ſponſam*, & *terram* illam *univerſam* pro dote dandam, facile comprehendit. Verbis, modo ex

a ad h. l. *b* Syr. p. 144. *c* l. XVII. p. 1072.
d l. XXXIII. c. 40.

ex Hieronymo citatis, additur, *data ei dotis nomine Cœle-ſyria & Judæa.* Quod Appianus *a*, Polybius *b*, Joſephus *c* & Euſebius *d* confirmant; licet tale pactum de dote inter Antiochum M. & Ptolemæum inficias poſtea iviſſe Antiochum Epiphanem, tradat Polybius *e*, ſatis impudenter. 3. *Conſummationem* denique deſtructionis, quam toto hoc negotio intendit Antiochus, cujus mox ipſa prophetia claris verbis meminit. Has omnes ideas cum Propheta mente complexus fuerit, *ſponſam* non adpellavit nomine uſitato כַּלָּה, licet eam in primis in animo habuerit, ſed vocem generalioris uſus כלה *conſummationem* adhibuit, quæ & כַּלָּה *ſponſam*, & *dotem*, & *ſcopum* Antiochi pravum continebat.

§. LX. Ne autem nimis obſcure fieret prophetia, lataque iſtius ſignificationis vocis כלה indicia deeſſent, mox explicationis gratia adjungit verſ. 17. clariorem prophetiam, in hæc verba. *Et ponet vultum ſuum ad penetrandum robur totius regni ejus, & complanata cum ipſo, & faciet, & filiam mulierum dabit ipſi ad corrumpendum illud: & non ſtabit, nec erit ejus.* Etenim rex Septentrionis, (hæc enim eſto eorum paraphraſis,) ut, quæ modo involutius & brevius complexus ſum, clarius & fuſius proferam, totius regni Auſtri dominium ſibi adſerere animo volvet, eoque fini amicitiæ ac conjunctionis verba cum ipſo loquetur, & perficiet; dabit enim filiam ſuam, præſtantiſſimam fœminam, ipſi uxorem, nullo alio ſcopo, ac ut regnum ipſius viribus privet & perdat. Sed votorum compos non fiet, nec filia ejus ab ipſius ſtabit partibus. Hoſtilem ejus adfectum, & animi impetum, quo regnum Aegyptiacum adpeteret, primum *verſus* membrum manifeſtat, *& ponet vultum ſuum ad intrandum in robur totius regni ejus.* Sic enim verba vertenda eſſe, & non, quod multis placet, *cum* omnibus proprii regni viribus,

 haud

a Ib. p. 145. *b* Legat. 82. p. 1260. *c* Ant. l. XII. c. 4.
d Chron. p. 68. *e* l. c.

haud una ratio evincit. 1. Quia *venire* tunc abſolute ſtaret, nec additum haberet, *quo* veniret, *quidve* invaderet: quod abeſſe, ſine gravi vitio, non poſſet. 2. Quia verbum, בוא, *venire*, cum ב *in* conſtructum, objectum, quo tenditur, ſolet, utique hoc cap. [a] conſtanter, exprimere: tantum abeſt verum eſſe, quod Gejerus opponit, dictum tunc potius ex uſu linguæ fuiſſe לחקף, quam ב. קף. 3. Dura, nec ferenda, phraſis eſt, *ponere vultum* ad *veniendum cum robore regni*, cum *vultum ponere* hoſtile propoſitum ſignet, & hic plane foret ſuperfluum; dixiſſet potius, & *veniet cum robore.* 4. Nec denique in caſum, de quo hic agitur, quo filiam ſuam ſolenni pompa tradidit Antiochus Ptolemæo, quadrat, Antiochum *cum omni regni robore* veniſſe, quem nec talem unquam, poſt Scopam debellatum, ſuſcepiſſe expeditionem legimus. 5. Accedit, relativum *ejus*, in vocibus ad robur *regni ejus*, rectius ad Ptolemæum referri, quia ſic per totum fere verſum fit.

§. LXI. Intelligamus itaque per *robur regni ejus*, ſcilicet regis Auſtri, cujus verſ. 15. mentio fuerat facta, ipſam Aegyptum, regnum originarium Ptolemæorum, & totius imperii, quam late diffuſi, ſedem ac arcem. Ex quo, quare non *in regnum ejus*, ſed *robur regni totius* dixerit propheta, manifeſte conſtat. Antiochus enim jam tenebat præcipuas regni Aegyptiaci regiones exteras per Syriam, Ciliciam & Aſiam minorem ſparſas, & ipſi Aegypto nunc imminebat, ut totum illud regnum in poteſtatem redigeret. Præterea, cum regnum Aegyptiacum hoc tempore ſub Romanorum eſſet tutela, eorumque fere in præſidio *robur* ſuum unice haberet ſitum; verba, *in robur* regni totius venire, de hoc præſidio tollendo, quid vetat intellexiſſe, vel una comprehendiſſe? Quicquid ſit, Aegyptiacum regnum robore ſuo privare *hoſtili animo* intendiſſe Antiochum, phraſis, *vultum ponere*, nos edocet. Pro hoſtili enim adfectu, impetuve cordis ad nocendum adtea-

[a] verſ. 7, 9, 13, 29, 30, 40.

adtenti, intentique, uſurpari amat phraſis, *ponere cor, oculos, & vultum;* uti jam obſervavit Cl Schultens [a], hic adeundus. De quo ejus inimico propoſito Hiſtoria quoque nonnulla reliquit teſtimonia. *Mortuo Ptolemæo Philopatore,* inquit Juſtinus [b], *contemtaque parvuli filii ejus ætate ... Antiochus rex Syriæ occupare Aegyptum ſtatuit.* Deinceps, cum in Aſiæ minoris urbibus occupandis haud diu ante caſum, de quo hic agitur, verſaretur, fama de morte Ptolemæi Epiphanis ſparſa, ad Aegyptum ſubigendam ſe contulit, teſte, præter Livium [c], Appiano [d], his verbis. Λόγου καὶ δόξης ἐμπεσούσης ὅτι Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ ἀποθάνοι, κατὰ σπουδὴν ὁ Ἀντίοχος ἀπῄει, ὡς Αἴγυπτον ἔρημον ἄρχοντος ἁρπασάμενος, quæ ita vertuntur: *quumque rumoribus temere credidiſſet rex, mortuum eſſe Philopatorem, properavit in Aegyptum, ut occuparet orbatam Principe.* Ubi, quod non obſervatum miror, cum mox Ptolemæum vivum fuiſſe, & Antiochum filiam ſuam ei nuptum dediſſe tradat ipſe Appianus, error in vocem Φιλοπάτωρ, vitio librariorum, irrepſit manifeſtus: legi enim debere ὁ Φιλοπάτορος *Philopatoris filius*, res ipſa clamat, & ipſe Appianus, ut modo dixi, indicat. Romanorum vero denunciatione, per Legatos ad eum miſſos, facta, *abſtineret regno pupilli, poſtremis Patris precibus fidei ſuæ traditi*, quæ Juſtini [e] verba ſunt, rem non aperto marte, ſed per filiam, amicitiamque ſimulatam, adgreſſus eſt: quod Hieronymus ipſis verbis teſtatur, & mox propheta clarius exponit.

§. LXII. Fraudulentum enim illum *modum* in robur regni Aegyptiaci penetrandi ſequentia verba repræſentant, *& recta cum ipſo & faciet, filiamque mulierum ipſi dabit ad perdendum illud.* Vox ישרים hic non *rectos*, ſicut nonnulli ceperunt, qui Judæos, illo titulo aliquando inſignitos, intelligunt, ſine ulla ratione & emphaſi; quid enim *Judæorum* mentio, quid *titulus* ille huc faciat? ſed εὐθέα,

uti

[a] ad Job. I: 8. [b] l. XXXI: I. [c] l. XXXIII: 41.
[d] Syr. p. 144. [e] l. c.

uti bene Gr. & Vulg., ſignificat, ſive, concreto pro abſtracto poſito, *rectitudines*, ſive per ellipſin vocis דברים *recta verba*, ſignet, quod utrumque poteſt; idem itaque, ac ſupra [a] מישרים, eodemque, quem ibi explanavi, ſenſu, pro complanatione & ſocietate æqua ac amica. Phraſis vero *recta* ועשה עמו *cum eo & faciet*, vel ſimpliciter eſt pro, *& recta cum ipſo faciet*, ו in ועשה redundante, poteſtatemque ו *converſivi*, ut dicitur, ſimpliciter exſerente, quod nihil habet inſoliti, vel, copulante vi ſimul ſervata, עמו *cum ipſo*, erit per ellipſin verbi דבר, quod additur Jeſ. XXXIII: 15. non inuſitatam, ut exempla apud Glaſſium [b] ſatis evincunt, pro *cum ipſo loquetur*, quando recte additur, *& faciet*. Quacunque ratione accipiatur, ſenſus nequit eſſe alius, ac quem dedi, Antiochum, hoſtili animo in regnum Aegypti adfectum, amicitiam & ſocietatem & verbis oblaturum, & reapſe ſpecie tenus effecturum eſſe; *filiam* ſuam regi Aegypti matrimonio, dote Cœleſyriæ & Judææ addita, copulando. Quo verba ſequentia tendunt, *& filiam mulierum dabit ipſi*, uxorem nimirum, cum inſigni dote. Per quam intelligendam eſſe *Cleopatram*, Antiochi filiam, facile patet, neminemque fugit: ſed quare non *filiam ſuam*, verum *mulierum* dixit, minus eſt liquidum. Poſſet *filia fœminarum*, phraſi non inuſitata, ſimpliciter *natam* exprimere, ut exempla a Cl. Wetſtenio [c] in nupera Euangeliorum editione, & accurata & eruditis notis ornata, prolata evincunt. Poſſet etiam eſſe pro præſtantiſſima, quæ genuinas habet fœminarum qualitates, adeoque ad virum demulcendum ac decipiendum aptiſſima; quo hic manifeſte tendit, cum addatur, *ad perdendum eum*: uti modo in phraſi, *filiorum perruptorum*, obſervavimus. Sed cum hac ratione a ſolita ſua accuratione diſcederet propheta, *fœminam* in genere deſcribens, non addito, cujus foret filia; quod tamen hic omnino requiritur,

[a] verſ. 6. [b] Gr. S. l. IV. tr. II. obſerv. 2. & l. III. tr. III. can. 56. [c] ad Matth. XI: II.

tur, & *filiæ* nomen, expreſſe additum, poſtulat; dedit enim *filiam* ſuam Antiochus: rectius *filiam* & *mulieres* ſeorſim per adpoſitionem capimus, quare non בת נשים, ſed בת הנשים dixit, pro *filia* & *mulieribus*, ſenſumque conſtituimus, ſive filiam, quæ *mulierum* plurium inſtar erat, ſive filiæ adjunctas plures alias fœminas comites, regi Auſtri ad corrumpendum regnum ejus eſſe dandas. Utroque enim modo intelligi poſſunt phraſes; *priore*, *filiam mulieres dabit ipſi*, idem erit, ac *filiam dando* dabit ipſi ſimul *mulieres*, ſeu aptiſſimam mulierum, *ad perdendum*, quæ tantum ſola poterit, quantum plures conjunctæ, cum quod pulcherrima fuerit & aſtutiſſima, tum quod, ampliſſimam dotem adferendo, & potentiſſimi regis Antiochi amicitiam firmando, ut videbatur, apud regem juvenem, ac effœminatum, omnia poſſe cenſeretur; *poſteriore*, *filia mulieres* erunt filia & foeminæ plures aliæ comites, quæ, in regnum conſpirantes, illud facile corrumpere poſſe videbantur. Quicquid ſit, mentem prophetæ vix dubitaverim eſſe, Antiochum, filiam ſuam regi Auſtri cum tam ampla dote dando in matrimonium, ipſi eo ipſo *fœminas* miſiſſe ad regnum depravandum, quemadmodum ſub Patre ejus, Ptolemæo Philopatore, contigerat, rege & regno plane proſtituto & corrupto per *Agathocliam* & *Oenanthem matrem ejus*; ut ſupra ex Juſtino & aliis vidimus; nec ignotum eſt. Illud voluiſſe prophetam, voce *mulierum* addita, ex eo haud obſcurum eſt, quod addat, datam eſſe filiam regi ad *corrumpendum regnum*: ad quod *mulieres* aptiores erant, & quod, tot teſtibus exemplis, paſſim fecerunt.

§. LXIII. *Filiam* enim dedit, multis aliis ſtipatam foeminis, Antiochus non eo, quo olim Philadelphus, ſcopo, *ad faciendum complanationes*, verſ. 6., ſed ad *corrumpendum regnum*, agmine mulierum in illud immiſſo. Relativum enim foemin., in verbo להשחיתה *ad perdendum eam*, alio ac ad מלכות *regnum* initio verſus, foemin. quoque generis,

referri non poterit; quod a nonnullis recte jam eſt animadverſum: licet alii ad ipſam *filiam*, vel nequiſſimis artibus a Patre infectam, vel ut ea cum marito perderetur, pertinere opinentur; ſine ulla ratione, & contra ſcopum Antiochi, in filia danda, hic memoratum. Ne dicam, *filiam* non fuiſſe corruptam, cum Patris voto non reſponderit, nec ad eam, ſed per eam regem, regnumque, perdendum, fuiſſe connubio junctam Ptolemæo. Longe itaque verius de ſcopo *regni corrumpendi*, quod in hoc matrimonio intendit Antiochus, accipimus. Quam vero emphaſin habeat, *perdere regnum*, quemque hic fundat ſenſum, minus explicite tradi ſolitum, perſpectum habebimus, poſteaquam in verbi שחת verum penetraverimus intellectum; quem verbis Cl. Schultens [a] lubens pando. *In verbo* שחת سحت *perdidit, deſtruxit*, proprietas ſuggerit *raſionem, deraſionem, qua quid rumpatur, ad omnemque uſum corrumpatur. Frequentatur apud Arabes in cute a carne deraſa, & revulſa, ſic ut ad nihil amplius valeat. Inde ad nefanda ſcelera generatim, ſpeciatim ad graſſationes & cædes atrociſſimas ſeſe permittit.* Addo uſum ſpecialem *corradendi* opes per fas & nefas, & ſpoliandi: quem etiam in Script. exſerit [b]. *Deradendo* & *corradendo* perdere regnum itaque i. dicet, illud a firmitate ac ſecuritate ſua, ut carnem a cute, avellere, eaque ratione rumpere, & deſtruere. Quod regno Aegyptiaco hoc tempore contingeret, ſi a Romana ſocietate, qua tegebatur, abſtraheretur: uti ex ſupra dictis & hiſtoria manifeſtum eſt. Quod in animo fuiſſe Antiocho, quum filiam Ptolemæo dedit, hiſtoria expreſſe memoriæ prodidit. *Jam certus bellum adverſus Populum Romanum gerere* Antiochus, inquit Appianus [c], *propinquos reges adjungebat ſibi connubiis, miſitque Ptolemæo in Aegyptum Cleopatram, Syram cognomine, in dotem addens Coeleſyriam, quam ei prius ipſe ademerat*, θεραπεύων ἤδη

[a] ad Prov. VI: 32. [b] Prov. XXVIII: 24. & alibi.
[c] Syr. p. 145.

ἤδη τὸ μειράκιον, ἵν' ἐν τῷ πολέμῳ, τῷ πρὸς Ῥωμαίους, ἀτρεμῇ
demulcens adoleſcentem, ut bello Romano quieſceret. Quod nihil aliud erat, ac regis animum pernicioſis conſiliis inficere, & a Romanis, adeoque unico ſuo præſidio, avellere, ad eum perdendum. Cui phraſis convenit haud diſſimilis *ſcindendi*, *diſſolvendi res nexas*, quod eſt פרע Hebræis, pro ſocietatem rumpere & tutelam reſcindere, Exod. XXXII: 25. ubi Aaron legitur *ſcidiſſe* & *denudaſſe populum*, eum tutamine ſuo privando, & hoſtium ludibrio exponendo. 2. Regnum etiam *deraditur*, & ad omnem uſum redditur ineptum, per libidinem, luxum, deſidiam, furta, latrocinia, cædes, inteſtinos motus, aliaque flagitia enormia, in eo graſſantia. Quo ipſo ſolet occupanti cedere, & ab æmulis facile ſuperatur regibus Quod cum per agmen fœminarum in illud invectum fieri poſſe videretur omnium optime, teſte experientia ſub rege deceſſore Ptolemæo Philopatore, iisdem artibus uſus eſt Antiochus, filia mulieribusque regi adolescenti Ptolemæo Epiphani ad regnum corrumpendum datis, ut hac ratione viam ſibi ad illud occupandum ſterneret faciliimam. 3. Denique, cum de *ſpoliationibus*, & opum corraſionibus quoque adhiberi ſoleat verbum Hebr., filiam foeminasque nihil vetat eo fini ab Antiocho fuiſſe miſſas ſtatuere, ut earum ope theſauros regis & regni expilaret, ſibique vindicaret, eaque ratione in *robur regni totius veniret:* quod omnino intendebat, ut ſupra vidimus.

§. LXIV. Reliqua verba, *& non ſtabit, nec ipſi erit*, quibus eventus conſiliorum & moliminum Antiochi, modo memoratorum, votis minime reſpondens, repræſentatur, ab Interpretibus recte expedita, nihil habent, quod noſtra indiget opera. Senſus eſt, votorum non fore damnatem Antiochum, cum nec conſilium ejus effectu ſit dandum de ſubjicienda Aegypto, quæ ipſius non futura eſt, nec filia, eo ſcopo data, ab ejus, ſed mariti regnique partibus ſtatura eſt. Quod utrumque *verba* ferunt. Foe-

min. enim generis cum ſint, & *regnum* & *filia* ejusdem generis voces præceſſerint, de utroque nihil vetat cogitaſſe. Ad *regnum* ſi referantur, ſenſus erit, *non ſtabit;* ſcilicet *conſilium* ejus de regno Aegypti non perficietur, & executioni mandabitur, *& non erit ipſi*, ejus non fiet imperium, ipſe non dominabitur Aegypto. Ad *filiam* regis Septentrionis ſi reſpiciatur, erit, illa non *ſtabit* dictis & juſſis paternis, ea non implebit, *nec erit ejus*, partes ejus, ſeu Patris, non ſectabitur, verum mariti & regni. Quod etiam confirmat Hiſtoria. Tantum enim abeſt, ut ſeſe corrumpi fuerint paſſi Ptolemæus & Cleopatra, partesque Antiochi contra Romanos foverint, ut ſe pro Romanis palam declaraverint, miſſaque ad Romanos legatione cum ad bellum cum Antiocho polliciti ſunt auxilia, narrante Livio [a], tum utroque ſuo nomine iis & de victoria, qua Antiochum Græcia expulerunt, gratulati, & eos adhortati ſint, ut in Aſiam exercitum traducerent, & *ſeſe ad ea, quæ cenſuiſſet Senatus, paratos fore declaraverint.* Quæ omnia habet Livius [b].

§. LXV. Rebus cum Ptolemæo Epiphane peractis, reſumſit Antiochus expeditiones in Thraciam ac Græciam, regiones illas *nomine* ut libertati adſereret, *re* ut ſibi ſubjiceret, ſed quæ infeliciſſime ſucceſſerunt: a Romanis enim, primum duce M. Acilio vel Attilio Glabrione in Græcia ad Thermopylas, dein ducibus Scipionibus, L. Scipione Naſica Conſule, & P. Scipione Africano, ipſi adjuncto, in Aſia circa Magneſiam ad Sipylum montem victus, profligatus, & ad infamem pacem faciendam compulſus eſt, Græcia non tantum & Thracia, ſed & Aſia minore mulctatus, regno ejus intra Taurum concluſo, & tributo gravi onerato. Quam hiſtoriam, ex Appiano [c], Livio [d], Juſtino [e], Plutarcho [f], Floro [g] & aliis notam, his

a l. XXXVI. *b* l. XXXVII: 3. *c* Syr.
d l. XXXVI. &c. *e* l. XXXI. *f* in Catone M. p. 342.
g l. II. c. 8.

his verbis tangit Propheta, verſ. 18. *Et iterum vertet faciem ad inſulas, capietque multas, & ſiſtet Dux opprobrium ejus ipſi, præter opprobrium ejus rependet ipſi.* Quæ cum expeditionem, cujus memini, initio proſperam, tum fatalem & ignominioſum ejus exitum, non regis alicujus, ſed ducis oppoſitioni acceptum ferendum, vividis adeo coloribus depingunt, ut diſſenſioni Interpretum vix locum, nobis parum obſervandum, reliquerint. Quare paucis defungi potero. Exteris hisce Antiochi expeditionibus locum in hac prophetia, quæ fata duorum illorum regnorum, Auſtri & Septentrionis, tantum continet relate ad populum Judæum, fuiſſe datum, ante omnia obſervari velim, *partim* quod juſtitiæ Divinæ, in Antiochi injuſtis & violentis invaſionibus proſtituendis conſpicuæ, illuſtrimum ſpecimen præbuerint, quod prudentiſſimus Hiſtoricus Polybius [a] recte advertit, & expreſſe adnotavit, *partim* quod viam ad decrementum & totalem regni Syriaci ruinam, a Romanis, qui ſeſe hac occaſione rebus Syriacis demum immiscere coeperunt, profectam, ſtraverint, quod eundem Hiſtoricum [b] non fugit, *partim* denique, quod hic ipſe Antiochus ſicut graviſſimarum adflictionum populi Judæi ſub Antiocho Epiphane, Judæam regno Syriæ adjungendo, occaſionem dederit, quare cum Antiocho Epiphane ſub *parvi cornu* emblemate venit, ut in Diſſ. ad Danielem [c] demonſtravi; ita infelici expeditionum ſuarum exitu, & fini quoque ſuo fatali, cujus propheta verſ. ſequente meminit, eidem ſorti, quam Epiphanes haberet, prælusit. Quod Propheta in anteceſſum ob oculos ponere voluit.

§. LXVII. Expeditiones Antiochi in Thraciam & Græciam, cum proſpero in principio ſucceſſu, hæc verba repræſentant: *& iterum vertet faciem ad Inſulas, capietque multas.* Vox Hebr. אִיִּים, per *inſulas* reddi ſolita, vi originis ſuæ, a rad. אִי & אוי *flexit*, flexum littus, & uſu in

 genere

[a] l. xv. c. 20. p. 985. [b] Ibid. [c] Diſſ. v.

genere *tractum* littoralem ac maritimum, regionesque, quas mare alluit, vel interluit, in ſpecie inſulas vel peninſulas, ſpecialiſſime maris mediterranei tractus, & Europæ regiones, denotat. De quo uſu Viri Docti, Feſſelius *a*, Clericus *b*, Vitringa *c*, & alii neceſſaria ſcripſerunt. Deſignantur *Inſularum*, & *inſularum maris* nomine, *latiore & generaliore ſenſu*, inquit Cl. Commentator *d*, *regiones omnes*, *Cananææ Occidentales*, *quæ a mari alluebantur*, *in quibus Aſia inferior tota*, *quam Veteres ut peninſulam ſpectari voluerunt*, *Græcia*, *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, *& in univerſum Europa tota*, *quæ mari circumdatur*, *cum inſulis & peninſulis*, *quæ illi accenſentur*, *maximis*. Moſen orbem terrarum in *terram* & *inſulas* dividentem, Gen. x, per *terram* intelligere continentem, Aſiam & Africam, per *inſulas* vero Europam, egregie obſervavit lCtus eruditus Leſſaſchierus *e*. Ad hasce inſulas *faciem iterum vertiſſe* dicitur, (vicem enim iteratam verbum שוב, hic non omittendam, comprehendit) non ſine emphaſi, quia expeditiones in Aſiæ maritima loca, & Thraciam Græciamque, interruptas per ejus reditum in Syriam, nuptiasque filiæ cum Ptolemæo, nunc reſumſit Antiochus, eo ſcopo, ut imperii pomoeria per Græciam totam & ultra ampliaret; regionesque eas *maris æſtus* inſtar inundaret. Quam vim phraſis, *vertere faciem*, vera ſua emphaſi continet, quæ hic non erat negligenda. Verbum שוב in aquis exuberantibus, ac *effervescentibus*, indeque æſtu & *crescente*, & *decrescente*, pro vario flexu, pertritum eſt apud Arabes, uti Cl. Schultens *f*, ejusque Diſcipuli, Hackman *g* & Kuypers *h*, in lucem protraxerunt. Vox vero פנים *facies*, *vultus*, ſubinde *inſtantiam*, *& impetum cujuscunque rei*, *copiarum*, *equorum*, *venti quoque vehementius incumbentis*, nec

a Adv. p. II. p. 320. *b* ad Gen. I. *c* ad Jeſ. xx: 5.
d ad Jeſ. xI: 11. p. 350. *e* In opusculis p. II. p. 23.
f ad Excerpta ex Iſpahan. p. 6. *g* Præcid. S. p. 126.
h Diſſ. Acad. ad varia V. T. loca p. 77.

nec non ignis ſævientis, eodem Linguæ Hebrææ inſtauratore [a] notante, ſignat. *Iterum* itaque *vertere faciem* vehementem Antiochi impetum, aquarum æſtuantium inſtar, identidem creſcentem, denuo reſumtum, quo Europam & inſulas inundare adgreſſus eſt, depingit. Nec illud ſine ſucceſſu in principio: *capiet enim multas*, ſubjungit prophetia, per hiſtoriam, modo memoratam, confirmata. Cum vero verbum לכד a *glutine* & *visco*, quæ primaria ejus poteſtas eſt, eam *capiendi*, proprie visco vel glutine, inſtar aviculæ illaqueatæ vel glutinatæ, acceperit, unde מלכדת pro *decipula* ſupereſt, de quo Cl. Schultens [b] conſulatur, adeoque *deceptionis* & *fraudis* ideam quoque ſuggerat, ad artes prætextusque Antiochi, quibus ineſcavit Græcos, quos ſuam in poteſtatem redegit, quominus reſpiciamus, nihil impedit. Specioſo enim liberandæ Græciæ a Romanis, & ſervitute, prætextu uſum fuiſſe Antiochum, Polybius [c], Livius [d] & Plutarchus [e] adnotarunt. Græciam, *ſpe regia ab oratoribus corruptam*, *confeſtim fluctibus jactatam fuiſſe ac erectam*, tradit Plutarchus. Plura de inſulis & urbibus Græciæ occupatis dixiſſe in re nota, nihil adtinet. *Maximus regum*, inquit Florus [f], *contentus fortiter indixiſſe bellum*, *quum ingenti ſtrepitu ac tumultu moviſſet ex Aſia*, *occupatis ſtatim inſulis*, *Græciæque littoribus*, *otia & luxus tanquam victor agitabat*.

§ LXVIII. Sed quo tandem hæc omnia evaderent? Id verba ſequentia declarant, *& ſiſtet dux opprobrium ejus ipſi*, *præter opprobrium ejus rependet ipſi*. Quorum ſenſus, Interpretibus in genere tantum perſpectus, huc redit; probroſam Antiochi lacerationem, qua populos varios ignominioſe tractavit, non tantum a Duce aliquo, regis titulo quidem & Majeſtate non ornato, attamen ſtrenuo & *deciſore*, penitus eſſe tollendam & in perpetuum, verum ipſi inſu-

[a] ad Prov. XIX: 2. [b] ad Job. V: 13. [c] l. III. p. 227. vid. etiam Athen. l. X. p. 439. [d] l. XXXV. c. 46. &c. [e] in Catone M. p. 342. & Flaminio p. 377. [f] l. II. c. 8.

inſuper gravem calamitatem, talionis vice, eſſe inferendam, cum ſumma ignominia conjunctam. Totalem opprobrii, ab Antiochi illati, abolitionem, per Ducem faciendam, hæc verba continent: *& ſiſtet Dux opprobrium ejus ipſi.* Vox חרפה, cujus radix in *carpendo*, *ſtringendo* & *decerpendo*, originariam habet ſedem, unde ad nominis lacerationem per verba factaque calumnioſa & ignominioſa facili via transiit, uti jam obſervavit Cl. Schultens [a], teri quidem præcipue in opprobrio ſolet, ſed verba non tantum, verum & facta probroſa comprehendit, *lacerationemque* ignominioſam, qua nomen non tantum, ſed & poſſeſſio ac proſperitas alicujus deſtringitur, fructusque aliorum decerpuntur: quo ſenſu חרף pro *autumno*, quo tempore fructus carpi ſolent, vel *hyeme*, quæ omnia ſtringit, deſtringitque, ſumitur. Ad hoſtilem invaſionem, ac cædem ignominioſam hoſtium manifeſte quoque transfertur verbum חרף 2 Sam. XXIII: 6. ubi Eleazar, unus Heroum Davidis, legitur cum ſociis, hoc ipſo verbo, *laceraſſe & ſpoliaſſe* Philiſtæos. Qua in latitudine ſumta vox egregie in Antiochi expeditiones, partim ſuperiores in Aegypti regnum, partim hasce in Aſiæ civitates & Græciam quadrat, cum quod injuſtæ & violentæ fuerint lacerationes, quibus populi ſuis bonis & poſſeſſionibus, ſua libertate & privilegiis, orbati ſunt, tum quod multa cum jactatione, & ſuperbia, fuerunt ſusceptæ, aliorumque contemtu & inſultatione, tum denique quod probro fuerint adfecti, & populi, quos invaſit, & Romani, eorum patroni & defenſores. Liberationem Græciæ dum prætulit, & Græcis turpiter impoſuit, & Romanis, tanquam injuſtis ſervitutis autoribus, inſultavit, ſimul eorum interceſſiones pro Aegyptiis, aliisque populis oppreſſis, & patrocinia ſuperbe ſprevit. Quæ omnia ex hiſtoria ſunt teſtatiſſima. Antiochus ἐπαιρόμενος τοῖς γεγονόσι ϗ τῇ δὶ αὐτὰ προσωνομίᾳ *elatus tum ſucceſſibus, tum cognomine* Magni *inde nato*, verba ſunt

[a] ad Job. XXIX: 4.

ſunt Appiani *a*, quibus hic ſolum utar, *Cœleſyriam*, *partemque Ciliciæ Ptolemæo Philopatoris* filio, *Aegypti regi*, *etiam tunc puero*, *violenter abſtulit*, *moxque*, μικρὸν οὐδὲν ἐνθυμούμενος *nihil mediocre cogitans*, *Helleſpontios impetiit*, *&* *Aeolas & Jonas*, *quaſi ad jus ejus*, *ut regis Aſiæ*, *pertinentes* -.- *dein in Europam trajiciens Thraciam ſubigebat*, *contumaces cogens imperata facere* &c. Romanos quantopere ſpreverit, ex legatis eorum, ſuperbo reſponſo dimiſſis *b*, non tantum, ſed & ex eo pateſcit, quod rex, non Aſiæ viribus uſus, ſed *ſuis opibus*, *& nomine regio*, *fretus*, quæ Flori verba ſunt, *ſatis habuit bellum movere*; *quod indixiſſe contentus*, ut ibidem pergit, *occupatis ſtatim inſulis*, *Græciæque littoribus*, *otia & luxus tanquam victor agitabat*.

§. LXIX. Conſules, ducesque Romanorum, qui huic obprobrio regis finem imponerent, per קצין *ducem* intelligi, eosque fuiſſe Glabrionem & Scipiones, viderunt quidem Interpretes, ſed omnem vocis emphaſin, quum *Ducis* titulum electum fuiſſe, ut Monarchæ & regi opponeretur, adeoque ducem, a republica aliqua miſſum, tantum fore indicaretur, obſervant, non exhauſerunt: ad quam penitior vocis intellectus aditum præbet. Vox קצין, a radice קצה *ſecuit*, *præcidit*, derivanda, uti docuit Cl. Schultens *c*, ſignat cum judicem arbitrumque ſupremum, *deciſoremque* rigidum

Quo multæ magnæque *ſecantur* judice lites,

ut Poeta *d* canit, tum ducem ſtrenuum, qui per omnia perrumpit, & bellum terminat, *dux* & deciſor *militum* dictus Joſ. x: 24. Hac emphaſi ſi vocem auxeris, quam præciſe loquatur Prophetia, *ducesque* Romanos vero ſuo charactere, quem hoc tempore in orbe prætulerunt, inſigniat, facile perſpexeris. Erant enim Romani per legatos

a Syr. p. 141. *b* Id. Ib. p. 144. *c* ad Prov. xxv: 15.
d Horatius l. 1. ep. 26.

& duces ſuos hoc tempore ſupremi rerum in Europa & Africa arbitri, quales ſeſe, referente Diodoro Siculo [a], præſtiterunt Legati in Aegyptum, Syriam & alias regiones, mox & in Aſia futuri, quare eos *τὰς τῆς οἰκουμένης ἡγεμόνας orbis terrarum dominos*, quos Hannibal vicit, adpellavit Diod. Siculus [b]: *unam* etiam in *terris gentem* eſſe, adclamarunt, confecto bello Macedonico cum Philippo, Græci, quæ efficiat, *ne quod toto terrarum orbe injuſtum imperium ſit, & ubique jus, fas, lex potentiſſima ſint*, ut Livius [c]: qui &, qua ratione ſeſe Romani tunc *deciſores* orbis geſſerunt, enarrat. Imo *Romanum nomen imperiumque juxta ac Deos immortales jam pridem intueri genus humanum* adſeruerunt, finito bello cum Antiocho, Rhodii apud Livium [d]. Egit in primis talem Scipio Africanus, cujus ſub auſpiciis bellum cum Antiocho eſt terminatum: *unum enim eum* fuiſſe *caput columenque imperii Romani, ſub umbra ejus civitatem dominam orbis terrarum latere; nutus ejus pro decretis Patrum, pro populi juſſis eſſe*, invidioſe quidem, nec tamen falſo, hoſtes ejus dixiſſe tradit Livius [e]: quales ſeſe Antiocho etiam exhibuerunt, leges ipſi præſcribendo. Digito itaque quaſi monſtravit Propheta Romanos, in culmine fere autoritatis ac poteſtatis poſitos, a quorum nutu res orbis pendebant.

§. LXX. Majore etiam pollet emphaſi phraſis, *ceſſare faciet opprobrium ejus ipſi*, quam vulgo putarunt. Non enim *repreſſio* ſolum opprobrii, ſed totalis abolitio ac in perpetuum ſignificatur. Radix שבת, Arab. سبت & ثبت *conſtitit, fixus fuit, loco hæſit immotus*, obſervante Cl. Schultens [f], *quieſcere* non ſimpliciter, ſed, peculiari emphaſi, *debilitatis contuſisque viribus immobilem jacere*, ſignat; quam emphaſin verba *quieſcere* & *ceſſare* in aliis quoque linguis agnoſcunt. *Ceſſare* itaque *facere* vel *ſiſtere opprobrium*

a Excerpt. leg. 32. b Excerpt. lib. XXVI. p. ed. nov. 575.
c l. XXXIII: 33. d l. XXXVII, c. 54. e l. XXXVIII. c. 51.
f Clav. p. 307.

probrium hoc ſenſu erit, illud omnibus privare viribus, adeoque proſternere & e medio tollere, ut nunquam ſe amplius moveat. Quam emphaſin variis quoque in Script. locis præfert, quorum aliqua infra *a* ſignabo. Referri itaque debet hoc vaticinium ad totalem Antiochi ejusque potentiæ proſtrationem in Græcia non tantum, ſed & Aſia; qua opprobrium ab ipſo illatum adeo ablatum eſt, ut viribus fractis jacuerit immotum, nec unquam renovari potuerit. Quod vero additur, *ſiſtet opprobrium ejus* לו *ipſi*, purus putus pleonasmus non eſt, ſed emphaſi pollet longe majore. Senſus enim eſt, opprobrium ipſius eſſe ſiſtendum ipſo præſente & inſpectante, ipſiusque in ignominiam, ac cladem ingentem, ipſius in damnum maximum. Habet hæc figura, cujus varia exempla apud Buxtorfium *b* & Glaſſium *c* proſtant, & alibi ſuam elegantiam.

§. LXXI. Quod damnum mox accuratius exhibetur, ubi additur, *præter opprobrium ejus rependet ipſi.* Ubi impeditiorem reddit orationem vocula בלתי, quæ uſum ſolet habere *negandi*, vel *excipiendi*, vertique vel *non*, *ne*, *niſi*, *præter*, vel ſimiliter. Mihi, ut paucis abſolvam, alterutrum videtur ſtatuendum, quod ſenſu parum diſcrepabit, vel בלתי ſeorſim ſtare, vel cum ſequente voce cohærere. *Priore* ratione elliptica erit oratio, & particula *præter* ad præcedentia, mente repetenda, reſpiciet; ut idem ſit ac *præterea*, hoc ſenſu: *ceſſare faciet opprobrium ejus; præter*, pro præter illud, *redire faciet opprobrium ejus ipſi.* Sic intelligo Jeſ. x: 4. בלתי *præter*, ſcilicet illud, quod modo de auxilio nusquam inveniendo dixit, *incurvabit ſeſe inter vinctos.* Quam etiam in mentem Græca verſio non male πλὴν *præterea*, *quinimo*, reddidit. *Poſteriore* modo, quo בלתי *præter* cum ſequente *opprobrio* connectitur, dicet, *præter opprobrium ejus* abolitum, ut modo dictum erat, *ipſi reddendum*

a Pſ. VIII: 3. CXIX: 119. Jer. XXXVI: 19. Hoſ. I: 4. Am. VIII: 4.
b Theſ. Gr. l. II. c. II. *c* Gr. S. l. III. tr. II. can. 6.

dendum eſſe, ſcilicet, id ipſum, & plus, quod aliis inflixerat, opprobrio ejus ſublato non contentus deciſor & dux ipſi illud ipſum majore menſura retribuet. Verbum ישיב *redire faciet* pro *reddet vices* eſſe poſſe in ſtilo conciſo, tralaticium eſt. Quicquid ſit, ſenſus omnino eſt, Antiocho vices eſſe a Duce illo reddendas: quo phraſis, ישיב לו *reverti ipſi vel ad ipſum faciet*, quod recte obſervatum, & exemplis [a] a Gejero adſtructum eſt, omnino collineat. Sed negligi non debuerat locus inſignis, noſtro plane ſimilis, Hoſ. XII: 5 *& opprobrium ejus redire facit in ipſum Dominus.* De implemento, ex hiſtoria notiſſimo, non eſt quod multis dicam. Antiocho ex Græcia ejecto, & in Aſia denuo proſtrato, pacemque a Romanis tanquam orbis Dominis, & Diis, humiliter petenti, hæ leges pacis dictæ ſunt, narrante Juſtino [b], *ut Aſia Romanis cederet, contentus Syriæ regno eſſet, naves univerſas, captivos & transfugas traderet, ſumtumque omnem belli Romanis reſtitueret.* Quæ fuſius paulo tradit Livius [c], nonnullis etiam in majorem regis contumeliam additis, Polybii [d], ſicut & Diodorus Siculus [e] fecit, veſtigia premens. Polybius alibi [f] quoque obſervavit, *fortunam*, Romanis in Philippum & Antiochum, qui in regnum Aegypti conſpiraverant, immiſſis, *quæ ipſi in alios ſceleſte machinati erant, eadem jure merito adverſus ipſos rata eſſe juſſiſſe: mox enim ambo*, ſic pergit, *victi armis, non ſolum aliena concupiſcere ſunt impediti, ſed etiam eo neceſſitatis redacti, ut tributum penſitarint, & dicto audientes eſſe Romanis cogerentur.* Quæ verba prophetiæ prorſus concinunt, &, præter opprobrii abolitionem, ejus retorſionem in Antiochum luculenter exhibent. Luit itaque τῆς πλεονεξίας *cupiditatis* alienorum, quam Diodorus Siculus [g] ſcite μητρόπολιν τῶν ἀδικημάτων *injuriarum & ſcelerum*

[a] Jud. IX: 57. 1 Sam. XXV: 39. 2 Sam. XVI: 12. Prov. XII: 14.
[b] l. XXXI: 7. [c] l. XXXVII: 45. & in primis l. XXXVIII. c. 38.
[d] Leget. 24 & 35. [e] Exc. leg. 12. [f] Hiſt. l. XV. c. 20.
[g] Eclog. l. XXI. p. nov. ed. 489.

lerum metropolin adpellat, juſtas poenas, ut Appianus *a* obſervare non neglexit, verumque eſſe illud ſuo exemplo confirmavit, πολλοὶ πλεόνων ὀρεγόμενοι, καὶ τὰ ὄντα ἀπώλεσαν, *multi, plura adpetentes, ſua etiam perdiderunt.*

§. LXXII. Quam multiplicis lacerationis ignominioſæ illuſtria ſeſe hic offerunt indicia! Bis prælio magna cum clade in Græcia & ipſa Aſia, cujus ſe Dominum jactabat, victus eſt; trepida ſeſe fuga pudenda, acſi mente captus eſſet, teſte Appiano *b*, ſubduxit; paces conditiones abjecte & humillime petiit: *non tam, quid ipſi dicamus, habemus, inquit Zeuxis,* Antiochi legatus, apud Livium *c* ex Polybio *d*, *quam ut a vobis quæramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare a victoribus poſſimus. Maximo ſemper animo victis regibus populiſque ignoviſtis: quanto id majore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria, quæ vos Dominos orbis terrarum fecit? Poſitis jam adverſus omnes mortales certaminibus, haud ſecus quam Deos conſulere & parcere generi humano oportet.* Præterea, Aſia cis Taurum mulctatus, & regni Syriaci limitibus concluſus eſt, grave tributum penſitare, obſides dare, Majeſtatem Romanam comiter ſemper venerari debuit; ne alia contumelioſæ pacis proferam ſigna. Illud tamen non poſſum quin addam, Antiochum in hoc bello cum Romanis fuiſſe omnium contemtui & inſultationibus expoſitum, poſteaquam ipſe infamibus nuptiis, conviviis, luxu & otio, ſeſe Majeſtatemque in initio belli in Græcia Chalcide, teſtibus hiſtoricis *e*, ſæpe citatis, proſtituiſſet. *Nullum unquam hoſtem Romani æque contemſerunt,* inquit Livius *f*. Verterunt quoque fere in proverbium, teſte Appiano *g*, ἦν βασιλεὺς Ἀντίοχος ὁ μέγας *fuit rex*

a Syr. p. 179. *b* Syr. p. 168. *c* l. XXXVII. c. 45. *d* Legat. 24. *e* Vid. Livius l. XXXVI: 11. Appian. Syr. p. 156. Diodor. Sic. Excerpt. Valeſ. p. 297. Polyb. apud Athen. l. X. p. 439. *f* L. XXXVI. c. 39. *g* Syr. p. 175.

rex Antiochus magnus. Ipſi quoque ſocii *temeritatis* & *imperitiæ* notam ipſi, teſte Appiano [a], inusſerunt.

§. LXXIII. *Victus ergo Antiochus*, inquit Hieronymus, *intra Taurum regnare juſſus eſt, & inde fugit ad Apamiam ac Suſam, & ultimas regni ſui penetravit urbes. Cumque adverſum Elymaeos pugnaret, cum omni eſt deletus exercitu.* Cujus expeditionis, ſub vitæ finem ſusceptæ εἰς τὺς ἄνω τόπυς *in loca ſuperiora*, quoque meminit Antiochus Epiphanes, Patrem in eo imitatus, in Epiſtola ad Judæos, 2 Macc. ix: 23. Sed rationem ac ſcopum, nomenque loci, accuratius tradiderunt Græci & Latini Hiſtorici. *In Syria rex Antiochus*, ita Juſtinus [b], *cum gravi tributo pacis, a Romanis victus, oneratus eſſet, ſeu inopia pecuniae compulſus, ſeu avaritia ſollicitatus, qua ſperabat ſe, ſub ſpecie tributariae neceſſitatis, excuſatius ſacrilegia commiſſurum, adbibito exercitu, nocte Templum Elymaei Jovis aggreditur. Qua re prodita, concurſu inſularium cum omni militia interficitur.* Quibus per omnia conſentiunt, quæ Diodorus Siculus [c] tradit. Quod enim *Beli* Elymæi fanum memoret, & illud ſpoliatum eſſe referat, nihil a Juſtino discrepat, cum *Jovis* & *Beli* numina eadem ſint, ſicut ipſe Diodorus alio loco διὸς, alio βήλυ habet, nec Juſtinus rem tentatam, non perfectam, ut putatur, ſed *re prodita* ſimpliciter, quod æque de *ſpoliatione* facta, ac *ſuscepta*; capi poteſt; ut hic debet. Nec aliam in mentem capiendus eſt, de eodem ſacrilegio Antiochi M. agens, Strabo [d], *Antiochum M.* tradens, τὸ τῦ Βήλυ συλᾷν ἱερὸν ἐπιχειρήσαντα *Beli templum ſpoliare adgreſſum, a finitimis barbaris ſine aliorum ope eſſe interemtum.* Quod ejus facinus cum poſtea non meliore ſucceſſu imitatus fuerit Antiochus Epiphanes, ejus filius, ut poſtea videbimus; nonnulli eos male ſecum permiscuerunt, & hiſtoricos confuderunt, ut recte animadvertit Rupertus [e].

§. LXXIV.

[a] Ib. p. 177. [b] l. XXXII; 2. [c] Excerpt. Valeſ. p. 293, 298.
[d] Geogr. l. XVI. p. 1080. [e] ad Beſoldum p. 167.

§. LXXIV. Quod ultimum Antiochi molimen, fatumque, his verbis prænunciatur verſ. 19. *Et retroaget vultum ſuum ad perfugia terrae ſuae, & offendet & cadet, nec invenietur*: id eſt, vultum, quem modo ad inſulas magno cum impetu audacter verterat, nunc pudoris ac deſperationis ſigna præferentem, retrovertet ad ſuas proprias terras, circumſpiciet loca munita, ſacra, divitiis plena & ſecuriſſima, vertetque ad arces limitaneas terræ, ut theſauros inde rapiat, resque ſuas collapſas reſtituat. Quod ipſum in graviſſima conjiciet diſcrimina, quæ vitæ curſum finient, & mala morte ipſum perdent. Vox מעוזים, a radice עוז *confugit* ad *robur*, ad Deum averruncum, ad arcem, aut aſylum, uti Cl. Schultens [a] ex Arabica lingua adfirmavit, loca munita & aſyla, divitiis adſervandis apta, quæ perſonis & rebus ſecuritatem præſtant, denotant. Sicut hoc ipſo *capite* Hieroſolyma המקדש המעוז *ſanctuarium aſylum*, verſ. 31. & Deus מעזים *aſylorum* & arcium ſanctarum ac theſaurariarum, verſ. 38. Phraſis vero, *munimenta terrae*, nos ad loca limitanea propric ducit, quæ hoſtilem in terram & regnum ingreſſum impediunt, adeoque terram totam muniunt & firmant; ut *portae terrae*, *clauſtra* & *arces terrae*. Quem uſum & hic admittit, cum *fanum Jovis Elymaei*, teſte hiſtoria, adierit. Ad hæc loca ubi *vultum vertere* dicitur, ea ipſum petiturum, aditurumque, non ſimpliciter ſignificatur, ſed *a.* eum retro acturum vultum, & pedem relaturum eſſe ad propriæ terræ loca, relate ad expeditiones in remotiora & aliena loca, ad quæ vultum antea hoſtiliter & ſuperbe verterat. Verbum שוב, in aquis efferveſcentibus ac æſtuantibus teri ſolitum, ut ſupra notavi, æque ad creſcentem ac decreſcentem, & ad alveum ſuum redeuntem, aquam ſeſe flectit, adeoque *reditum* ad proprios lares involvit: quo & illud tendit, quod arces *terrae ejus* expreſſe memorentur, oppoſite ad *inſulas*. *b. Vultum retrovertere* quoque mode-

a ad Harir. conſ. IV. p. 67. & ad Prov. XIV: 26.

modeſtiam, *humilitatem* ac *pudorem* pingit, oppoſite ad ſuperbum, & impetuoſum vultum, quem antea vibraverat. Sic השיב אף eſt *reſidere facere*, *ſedare* naſum *æſtuantem*, *ebullientem*, ut & השיב חמה *redire facere æſtum.* De quo videndus eſt Cl. Schultens [a]. Protritum quoque eſt ipſum שוב in *retroactione* cum clade, confuſione & *ignominia* ex bello. Hunc animi ſedati & modeſti adfectum ſpirant verba Antiochi, quibus poſt hanc cladem, & regni limites arctatos, dicere ſolitus erat; *benigne ſibi a populo Romano eſſe factum, quod, nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur*, uti Cicero [b] refert, & Valerius Maximus [c]. *c.* Sed *vultum vertere* ad *confugia*, ad aſyla, proverbiali locutione Orientalibus trita, de homine violentiſſime oppreſſo, & ad incitas redacto, cui nihil relictum præter refugium ad robur Divinum & ſacrum, uſurpari ſolet, qualis *filius refugii* adpellatur Prov. XIV. 26. ex magni Viri ſententia. Quod hic in Antiochum, præ deſperatione vultum ad aſyla vertentem ad res ſuas in meliore loco collocandas, recte quadrat. *d.* Denique cum *vultum vertere* ad aliquid de hoſtili vel maligno adpetitu & impetu adhibeatur, ut ſupra vidimus, nec ei hic locum denegamus; quia ad ſpoliandum ſimul fanum ditiſſimum, teſtibus autoribus modo citatis, eo ſe verterit.

§. LXXV. Reliqua verba, quæ ultimum ejus fatum, ex ultimo eo facinore ortum, continent, *& adpactus hærebit*, *cadetque*, *nec invenietur*, nihil habent obſcuri; nec aliud ſibi volunt, ac quod Hiſtorici habent, *ipſum cum omni militia eſſe interfectum*, *cum omni exercitu deletum.* Quare nihil addo, niſi forte illud, non *invenietur*, præterquam quod *mortem* exprimat, idemque ſit ac non *eſſe*, ut Jeſ. XLI: 12., referri poſſe ad inhoneſtam & infamem ſepulturam, corpore quippe non reperto, & regio modo tractato. Quod timidius quidem adfero, quia, de eo quid factum

[a] Ad Prov. IV: I. XXIX: 8. [b] Pro Dejotaro c. 13.
[c] l. IV. c. I.

factum fuerit, non ſuccurrit relatum exſtare, attamen, cum a barbaris legatur cum exercitu *deletus*, & *interfectus*, nihilque de eo aliud tradatur; *corpus* non fuiſſe honorifice tractatum, præſumere licet. Adplicare itaque ad ipſum liceat verba Jeſaiæ de Babylonio, c. XIV: 18, 19. *Omnes reges gentium, omnes illi cubant cum bonore quisque in domo ſua; ſed tu projectus es ex ſepulcbro tuo, ut Surculus abominabilis, veſtitus peremtis, transfoſſis gladio, deſcendentibus ad lapides foveæ, ut cadaver conculcatum.* Novi equidem, Aurelium Victorem [a], ſeu autorem libri de Viris Illuſtribus, tradere, eum *a ſodalibus, quos temulentus in convivio pulſaverat, eſſe occiſum.* Sed quo autore aut fundamento? neſcio: nec tanti hujus autoris, quanti reliquorum, modo laudatorum, valet autoritas.

§. LXXVI. Antiochi M. expeditionibus, ejusque fato; hæc pauca de ejus ſucceſſore ſubjunguntur verba, verſ. 20. *Et ſtabit contra ſtolonem ejus transire faciens exactor majeſtatem regni; & unis diebus confringetur, nec in faciem nec in bello.* Quorum hunc eſſe ſenſum autumaverim. Eandem fere, licet alio modo, miſeram in fine ſortem, quam Antiochus, ut modo dixi, habuit, Filius ejus nanciscetur poſt inglorium brevis temporis regnum. Inſurget enim in eum, qui juxta eum præcipuas habebit in regni adminiſtratione partes, tributis colligendis & theſauro regni præfectus, regiæ Majeſtatis raptor; qui eam in ſtirpe regia delere, & ſibi adſerere conabitur, perficietque aliquatenus. Utique rex ipſius inſidiis brevi poſt e medio tolletur, non publica rebellione, nec bello, ſed occulte trucidandus. Quæ in Seleucum Philopatorem, Antiochi M. filium & ſucceſſorem, ab Heliodoro, purpurato & theſaurario regis, regnique invaſore, occultis inſidiis nefarie trucidatum, uti Appianus Alexandrinus [b] memoriæ prodidit, adeo exactiſſime conveniunt; ut Interpretibus illud non ſuboluiſſe ſummopere miratus fuiſ-

 ſem,

[a] cap. 54. [b] Syr. p. 187.

ſem, niſi eos a vero ſenſu prioris membri nimium aberraſſe deprehendiſſem.

§. LXXVII. Seleucum Philopatora hic in ſcenam produci, ejusque tragicam mortem prædici, recte quidem obſervarunt Interpretes, a Porphyrio, qui, teſte Hieronymo, Ptolemæum Epiphanem, Aegypti regem, depingi cenſuit, de quo mox, discedentes: ſed in priore membro, ad eundem Seleucum adplicando, offenderunt omnes. Vertere ſolent, *& ſtabit ejus loco*, vel ſuper ſede, aut ſtatione ejus (Antiochi M.) *transire faciens exactorem in decore regni*, vel ad decus regni, & de Seleuco Philopatore, nullo facinore, niſi tributis per regnum colligendis, & *exactore* quaquaverſum mittendo, nobili, interpretantur, in vocibus, *decus regni*, exponendis in diverſa tantum abeuntes. Quæ hypotheſis haud una laborat difficultate, ſeſeque neutiquam, rite examinata, tueri poteſt. 1. Cum in ſuperiore pericopa de regibus Auſtri æque ac Aquilonis locutus, & relativo *ejus* nunc de rege Aquilonis, nunc de rege Auſtri, uſus fuerit Propheta, nulloque diſtinguente titulo aut charactere regnum, de quo nunc agit, definiverit; in dubio, contra exactitudinem & conſuetudinem ſuam, reliquiſſet, ſi hæc, quam oppugno, obtineat interpretatio, de quonam rege ac regno intelligi velit, non obſtante, quod ultimo de rege Septentrionis egiſſet. Poſſunt enim cuncta, ſecundum eam interpretationem, æque recte, ſi non rectius, de Ptolemæo Epiphane capi, ac de Seleuco Philopatore; ut Porphyrius oſtendit, de quo mox. Nullus dubitaverim, quin titulo aliquo, aut alio characteriſtico opere ſignove, regem diſtinxiſſet, uti per totam prophetiam ſolet, propheta.

§. LXXVIII. 2. Vox כנו, quæ quater hoc capite occurrit, non *locum* & *ſtationem*, ſed ſtolonem obumbrantem, ſtirpem ſeu *filium*, & phraſis עמד על *ſtare juxta*, *ſuper* vel *contra*, æmulum & adverſarium, & non ſucceſſorem, conſtanter deſignat: quem ſignificatum & hic retinendum eſſe,

eſſe, facile adparet; maxime, cum כן de regia Majeſtate, ſeu ſtatione regis, nusquam adhibeatur in Scriptura. 3. *Seleucus Philopator* quare tanquam *tranſire faciens exactorem* ſimpliciter deſcriberetur, nulla poteſt dari ratio, cum quod ſcopo prophetiæ, de regum Auſtri & Septentrionis concertationibus & nobilioribus facinoribus agentis, parum conveniat, tributorum exactiones, regibus & regnis communes, memoraſſe ſolas, tum quod in Seleucum non magis, quam regem Aegypti, quadret, illiusque characterem ducere nequeat. Peculiare quidem fuit Seleuco, quod Heliodorum miſerit, ex narratione libri *ſecundi* Maccabæorum, Hieroſolymam, ad theſauros Templi ſpoliandos: ſed, cum unum & tranſitorium fuerit facinus, quod Hieroſolymitanis ſolis contigit, ex ſingulari proditione & inſtigatione alicujus Simonis, viri Judæi, ortum, illud phraſi generali, *tranſire facere exactorem*, nullo modo ſatisfacit, nec ei adplicari poterit; maxime cum & ipſe Templum honoraſſe, donisque locupletaſſe ibidem legatur. Seleucum tributis exigendis unice fuiſſe intentum, conjiciunt quidem ex eo, quod Romanis ex pacto Patris pendere quotannis magnam pecuniæ ſummam debuerit: ſed nullo aut hiſtorici teſtimonio, aut indicio probant, eum propterea populum adeo preſſiſſe, ac vexaſſe; ut *exactores mittens* adpellari, eoque, tanquam characteriſtico titulo inſigniri, debuerit. Proferunt quidem nonnulli, ut Junius, Gejerus & alii, eum amicis, a nimiis exactionibus regem dehortantibus, reſpondiſſe impudentiſſime, *ſibi pecuniam eſſe amicos;* nimis feſtinanter & imprudenter! cum illud non de Seleuco, ſed Ptolemæo Epiphane, referat Porphyrius, ex quo ſolo id habent Docti Viri, apud Hieronymum *a*, & longe alia occaſione a Ptolemæo Epiphane prolatum: ſcilicet, cum bellum contra Seleucum molitus interrogaretur, *ubi haberet pecuniam*, *reſpondit*, *ſibi amicos eſſe divitias.* Nihil ſimile de Seleuco traditum ex-

Sſſ 2 ſtat

a ad h. l.

ſtat. 4. Denique, quid ſibi voces, *decus regni*, quæ *exactori* ſubjunguntur, velint? vix ex hac hypotheſi expediri poterit: quare in diverſa admodum disceſſerunt Interpretes; quibus non immorabor: cum cuique, varias opiniones eorum relegenti, id ipſum facile adparere poterit.

§. LXXIX. Præferrem equidem Porphyrii interpretationem, cujus meminit Hieronymus, ſed paululum immutatam, (licet, qua ratione mentem explicuerit Porphyrius, ex Hieronymo clare non conſtet) hanc in formam. *Stabit contra filium ejus*, Antiochi M., *transire faciens exactor decus regni*, Ptolemæus Epiphanes, exactionibus ſuis proſtituens Majeſtatem regni, ſimul *perdens*, quod eſt *transire facere*. Cui haud male concinit, quod Diodorus Siculus a tradit, eum, cum præclare aliquandiu, ſuperſtite & regni curas gerente Ariſtomene, rem adminiſtraſſet, ab adulatoribus corruptum, Ariſtomenem veneno ſuſtuliſſe, & efferatum *τυραννικὴν παρανομίαν, ἀλλ' οὐ βασιλικὴν ἐξουσίαν tyrannicam ſævitiam, non regiam poteſtatem* ſectatum fuiſſe. Quod *regni decus*, exactorem agendo, *transire facere*, haud inepte diceretur, maxime cum ab eo *tempore in odium populi inciderit, & parum afuerit, quin regno excidiſſet*, quod ibidem addit Diodorus. Præterea eum contra Seleucum, regem Syriæ, ſeu *filium Antiochi M., ſtetiſſe*, quod hic habetur, Porphyrius b teſtatur, qui cum Seleuco *inſidias ſtruxiſſe & exercitum adverſus eum praeparaſſe* refert. Cujus belli ratio, ut id obiter obſervem, mihi repetenda videtur ab eo, quod Cœleſyriam ac Judæam, ab Antiocho M. dotis nomine Ptolemæo promiſſam, retinuerit Seleucus, vel, ſi unquam tradita fuit, recuperaverit, eamque armis ei extorquere voluerit Ptolemæus. Ex quo ratio pariter eluceſcit; quare Propheta ejus rei meminerit in prophetia, *concertationum* illarum de Judæa ergo revelata. Utique Cœleſyriam & Judæam *Seleuci* in pote-

a Excerpt. Valeſ. pag. 294. b apud Hieron.

poteſtate fuiſſe, ex 2 Maccab III. & Polybio [a] manifeſtum eſt, uti recte obſervavit Doctiſſ. Prideaux [b]. Cui tamen adſentiri nequeo, quod mortuo Ptolemæo Epiphane eas terras demum occupaverit Seleucus Philopator, cum quod, eas terras ſemper Syriæ fuiſſe ab Antiochi M. temporibus ſubjectas, Polybius diſerte tradat; tum quod, Ptolemæo terras eas unquam ceſſiſſe, non ullo conſtet indicio. Quod enim optimates Judæorum Aegyptum petierint, tempore nati Ptolemæi Philometoris, ut Epiphani & Cleopatræ de eo nato gratularentur, narrante Joſepho [c], illud eorum ſubjectionem non arguit, tantum arctam relationem patefacit, quam habuerunt ratione *tributorum*, regi Aegypti ſolvendorum; ut ex eodem autore conſtat: qui etiam refert [d], Antiochum M. dotis inſtar dediſſe Cœleſyriam & Judæam Ptolemæo, *at diviſis in duos reges tributis*. Quæ Ptolemæo videntur conceſſa, non vero ipſæ regiones. Ad quæ accedit, rationem belli, quod Ptolemæus paravit, modo datam, ſeſe ſponte ſua commendare. *Exactionibus* vero Ptolemæi eo aptius hic locus datur, quod regnum non tantum per violentiam & tyrannidem ſuam perdiderit, ſed & propriæ necis occaſionem præbuerit. Ptolemæi enim reſponſo, *ſibi amicos eſſe divitias, divulgato in populis*, verba ſunt Hieronymi ex Porphyrio, *timuerunt duces, ne auferret eorum ſubſtantiam, & idcirco eum maleficis artibus occiderunt*. Quod ipſum Propheta ſequentibus verbis, *& unis diebus confringetur, nec in facies, nec in bello*, haud obſcure inſinuatum cenſeri poſſet voluiſſe. Etſi enim ad *Seleucum*, filium Antiochi, in quem ſurgeret Ptolemæus, ea quoque pertineant; cum tamen uterque fuerit memoratus, ad utrumque adplicuiſſe nihil vetat. Quod haud leve pondus acquirit ex eo, quod uterque rex, & Ptolemæus, & Seleucus, haud diſſimili fato non tantum occubuerint, Seleuco quoque

[a] Excerpt. legat. 72. & 1238 & 82. p. 1260. [b] l. c.
[c] Ant. l. XIII. c. 2. [d] Ib.

ab Heliodoro occultis inſidiis necato; ſed & haud diu poſt, Ptolemæo triennio fere poſt occiſo. Quo rectiſſime refertur, quod *unis diebus*, ſpatio temporis haud multum diviſo, *fractus* legatur uterque.

§. LXXX. Hæc licet forte adplauſum mereantur, utique Porphyrii ſententiam communi interpretationi palmam præripere evincant: in eam tamen pedibus non iverim, non tantum quod *belli* Ptolemæi molimina intra adparatus manſerint, adeoque vix mentione in hac prophetia digna ſint, nec phraſi, *ſtare contra regem Septentrionis* ſatisfaciant, ſed in primis, quod regem Auſtri vel nominaſſet Propheta, vel alio charactere pro more ſuo, quem conſtanter tenet, inſigniiſſet; utique eum, *tranſire facientem exactorem decus regni*, non tam generaliter adpellaſſet: quod in quemvis tyrannum exactorem rectius, quam in regia Majeſtate præditum convenit. Intelligamus itaque per *ſtolonem*, ſeu *filium ejus*, Antiochi M., *Seleucum* Philopatorem, & per *tranſire facientem exactorem decus regni* Heliodorum, ac Seleuci necem per Heliodori inſidias hic depingi ſtatuamus. Quod ſolum prædictione dignum fuit habitum, cum quod nihil alicujus momenti egerit Seleucus, qui ἀπράκτως ἅμα καὶ ἀσθενῶς *otioſus & infirmus* regnavit, teſte Appiano *a*, nullis bellis, aut concertationibus de Coeleſyria ac Judæa cum rege Auſtri implicitus fuerit, quæ præcipuam hujus vaticinii materiam faciunt, tum ut injuſta Antiochi M. facinora, non in eo ſolum, ſed & ſtirpe ejus, aut uno filiorum, fuiſſe vindicata, adpareret; quod ſcitu dignum erat. Percurramus, hac jacta hypotheſi, verba, &, ubi indiguerint, aliqua luce donemus.

§. LXXXI. *Et contra ſtolonem ejus*, ſeu filium Antiochi M., Seleucum Philopatorem, quem ſignificatum vocis נצר ſupra *b* adfirmavi, *ſtabit*, tanquam æmulus & adverſarius ejus, præcipuæ poſt regem autoritatis vir: quem *Heliodorum*

a Syr. p. 212. *b* verſ. 7.

dorum adpellat Hiſtoria, &. ἴνα τ περὶ αὐτὸν *quendam praecipuorum regis comitum*, ſociorum, & familiarium, *regnique adminiſtratorum*, vocat Appianus *a*, quem uſum phraſios Græcæ nemo non in promtu habet: quod ipſum phraſis, quæ & *ſtare juxta eum* denotat, non reſpuit. Quem virum prophetia, in omnibus exactiſſima, vividioribus mox pingit coloribus, quum ita pergit, *transire faciens exactor decus regni*, ſtabit contra & juxta ipſum. Ubi ante omnia vel σύγχυσις *trajectio* vocum, pro *exactor transire faciens*, obſervanda eſt, vel verbi nominisque recti diviſio, media voce aliqua interſerta; cujus utriusque uſus exempla in omnibus linguis plurima proſtant. De ſynchyſi affatim produxit Glaſſius *b*, nec non Heinſius *c*, & ex Latinis Cl. Cannegieterus *d*, Vir amiciſſimus, & ſingulari eruditione celeberrimus, ne alios ad partes vocem, aut exempla alia adcumulem. Poſterioris obſervationis, de verbo nomineque disjunctis, exempla infra *e* in medium adferam. Uſitate in primis *ſubjectum* orationis inſeritur, ut Jer. VI: 26. *veniet vaſtans contra nos.* Adpellatur itaque *exactor*, & *regni decus transire* facturus dicitur. *Exactor*, proprie, reſpectu originis verbi נגש, in *fervido impetu* ſitæ, *incitator* ſive *operis*, ſive *pecuniae*, ut hic & paſſim alias, φορολόγος & ἐργοδιώκτης, quam apte inſigniatur, *ſecundus* Maccabæorum liber, quo *Heliodorus* ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων *qui erat ſuper negotia* dicitur, cap. III: 8. manifeſtum facit: ſive *aerarii regis praefectum* ſeu *quaeſtorem*, cum Ill. Grotio *f*, qui tamen vitio memoriæ χρημάτων pro πραγμάτων legit, ſive cum aliis eum, cui ſumma rerum adminiſtratio commiſſa eſt, eo titulo intelligi ſtatuatur, ſive potius utrumque conjungatur: quod Hebr. נגש quoque admittit, ut a Cl. Viris, D. Clerico *g* & Buxtorfio *h*, aliisque jam eſt animad-

a Syr. p. 187. *b* Gr. S. l. IV. tr. II. obſ. 23 &c.
c Exerc. S. ad Matth. I: 25. *d* ad Avian. fab. 35.
e ad verſ. 23. *f* ad 2 Macc. III: 8. *g* Quæſt. S. XX.
h Catalect. tmem. 267.

animadverſum. Quo etiam facit, vocem in Lingua Aethiopica pro *rege*, nec non *prorege*, adhiberi, notante Ludolpho *a*. Sed ad rem propius facit, violentum tyrannum, qui cervicibus civium incumbit, eosque ad labores, tributa, vel & ſupplicia incitat cum imperio, hoc titulo ſubinde inſigniri, ſive ſit ſupremus, ſive inferior dominator. Sic *virga* ſeu *ſceptrum exactoris b* occurrit, & ipſe Chaldæorum rex eodem ſenſu *exactor* adpellatur *c*. Quam emphaſin & hoc loco admittendam eſſe, ſicut ſequentia, de quo mox, requirunt, ita facinora Heliodori in Hieroſolymitanos, quibus theſauros Templi ſpoliare tentavit, regium prætendens mandatum, ad titulum hunc illuſtrandum aptiſſima, demonſtrant. Quam hiſtoriam fuſe enarrat autor *ſecundi* libri Maccabæorum, cap. III. Quales *exactores* quoque in oculis habuit Propheta Zach. IX: 8. Judæos ab *exactore* transeunte, & graſſante, liberandos eſſe, promittens. Tribuitur quidem in *libro de Maccabaeis*, qui Joſepho inſcribitur, hoc facinus non Heliodoro, ſed *Apollonio*, Syriæ Phœnices & Ciliciæ duci: verum potior eſt autoris libri Maccabæorum autoritas; maxime cum haud unum errorem commiſerit Pſeudo-Joſephus, & mox Antiochum Epiphanem, Seleuci fratrem, ejus *filium* adpellitet, contra ipſum Joſephum *d*, qui *fratrem* diſerte dicit. Ex qua diſcrepantia, aliisque indiciis pluribus, quæ ſagaciter & erudite in medium adtulit, magnæ ſpei Juvenis, diſcipulus olim meus, in flore ætatis abreptus, quem honoris cauſa nomino, Iſaacus Touſſaint *e*, ſpurium eſſe librum, Joſephi nomen mentitum, vix dubitandum amplius videtur.

§. LXXXII. Nec violentum *exactorem* ſeſe civibus & ſubdi-

a Comm. ad Hiſt. Aeth. p. 223. *b* Jeſ. II: 3.
c Jeſ. XIV: 4. *d* Ant. l. XII. c. 4. fin.
e In Diſſ. Crit. ex Schedulis ejus confecta ab Iſ. Cahai, conſobrino ejus, Reverendo & digniſſimo nunc Eccleſiaſte, olim quoque Diſcipulo meo.

ſubditis, in primis Judæis, tantum præſtitit, ſed & domus regiæ fraudulentum, ac tyrannicum, hoſtem, regiæque Majeſtatis raptorem, quo nomine eum adpellavit Appianus *a*, noſterque propheta depinxit, quum ei *transire facientis decus regni* notam inuſſit. Has enim voces ſecum eſſe conſtruendas, quod modo obſervavi, adtentus lector, de eo admonitus, haud difficulter perſpexerit: cum facillima ſit ſtructura, ceteroquin impeditiſſima futura, ſi voces, *decus regni*, ſeorſim capiantur, aut cum נוגש nullo ſenſu connectantur. *Transire* vero *facere decus regni* eſt, regiam Majeſtatem cum in domo regia exſtirpare, tum ſibi rapere. Vox הדר, a primaria *tumoris ferveſcentis* poteſtate, quam lingua Arab. ſuppeditat, & uſus vocis de *palma*, flores largiter profundente, inque ramis luxuriante, nec non de *arcibus* tumide elatis & reſiſtentibus, in Scriptura *b* adhuc ſuperſtes, conſpiciendam quoque præbet, ad *reverentiam* & *decus ſplendidum*, in ſpecie Majeſtatem venerandam, ſimul formidoloſam, ſignandam facilem fecit transitum, ut Gr. κῦδος & κύειν *tumore turgere*. *Gloria* vero *regni*, abſolute poſita, hic & alibi eſt Majeſtas regia, quæ mox ſeq. הוד, *decus prægravans* proprie, adpellatur. Verbum vero העביר *transire facere*, inter alia, partim eſt *auferre*, partim alio *traducere*. Quod vel ex Lexicis conſtat. Ex quo manifeſte eluceſcit, *decus verendum regni transire facere* recte exponi, cum de Majeſtate in ſtirpe regia exſtinguenda, tum de ea alio, vel ad aliam domum, transferenda. Quod utrumque molitus eſt Heliodorus, Seleucum e medio tollendo, & ſibi Majeſtatem adſerendo: uti mox explicatius traditur. Quare eum ἐς τὴν ἀρχὴν βιαζόμενον *impetum in principatum facientem*, vel *regni adfectatorem*, adpellat Appianus *c*: qui & mox τῆς ἀρχῆς ἁρπαζομένης ὑπὸ ἀλλοτρίων, *regni ab alienis rapti* mentionem facit. Heliodorum non fuiſſe votorum compo-

Ttt tem

a Syr. l. c. *b* Lev. XXVIII: 40. Jeſ. XLV: 2.
c Syr. p. 187.

tem factum, verum quidem eſt: ſed, præterquam quod regem necaverit, ut mox dicitur, regnumque, quo tempore Demetrius, Seleuci filius, Romam, ut obſes eſſet, miſſus fuit, Antiochus Epiphanes vero, Seleuci frater, nondum Roma, ubi obſidis perſonam egerat, in patriam redierat, adeoque opportuno tempore ſibi vindicaverit, eum id conatum & in eo totum fuiſſe, ut ad effectum perduceret, omnino ſufficit. Verba enim, quæ actionem vel effectum notant, de *conatu* agendi quandoque intelligenda eſſe, notiſſimus eſt canon Grammaticus, a Glaſſio a abunde confirmatus. Accedit, Prophetam id ipſum mox verſu ſeq. ipſis verbis ſignificare: ut ibi videbimus.

§. LXXXIII. Effectum occultæ conſpirationis hujus exactoris, & regiæ Majeſtatis adfectatoris, in Regem, quam Propheta phraſi *ſtandi contra regem* expreſſerat, regi funeſtum his verbis ſubnectit Propheta, *& diebus unis confringetur, nec coram, nec bello, ſurculus* nimirum, modo memoratus, in quem inſurgeret exactor, adeoque *Seleucus Philopator*, filius Antiochi M.; quod in facili, & nemini non obſervatum eſt: licet *ſurculum* in oculis fuiſſe Prophetæ non adverterint; cum de ſolo Seleuco toto membro præcedente agi cenſuerint. Commendat noſtram interpretationem ipſum verbum ישבר *confringetur*, quo non ſine ratione & emphaſi uſus eſt divinus Vates; cujus ſæpe admiratus ſum in loquendo exactitudinem. Ducit enim hoc verbum nos ad *ſurculum*, quo titulo filium Antiochi inſignierat, qui *frangendo* perit. Aptiſſime itaque ad violentam mortem & interitum ſignandum verbum *frangendi* uſurpavit. Cum vero nec aperta conſpiratione aut impetu civili, nec bello externo, ſed occulta machinatione & *inſidiis*, ἐξ ἐπιβουλῆς, fuerit Seleucus per Heliodorum occiſus, teſte Appiano b, rectiſſime dixit Propheta, *nec coram, nec bello*, id eſt, ut docte Illuſtris Grotius, *neque per ſeditionem populi, neque vi hoſtica, ſed* ἐξ ἐπιβουλῆς *ex inſidiis*

a Cr. S. L. III. tr. III. can. 8. b Syr. p. 187.

ſidiis Heliodori, *ut loquitur Appianus*, *& veneno*, *ut credibile eſt*. Vox באפים, quam Græcus recte vertit ἐν προσώποις *in faciebus*, a *bello* diſtincta, apertam & publicam vel populi irati, & in furorem concitati, vel formidoloſæ alicujus Majeſtatis aut poteſtatis ſupereminentis, inſectationem, qua quis publica adficitur morte, ob oculos ponit. Radix אנף originariam ſedem, ut & cognata נוף, habet in *ſupereminentia* & *vibratione*; unde ad *naſum*, & naſi adfectionem, adeoque & *iram*, faſtumque, & *tremendam poteſtatem*, manifeſtamque vibrationem, transferri ſolet: quos uſus translatos aliquos luci expoſuit Cl. Schultens *a*.

§. LXXXIV. Sed quid ſibi vult, *diebus unis?* quod ad temporis notationem additur, *& diebus unis confringetur*. Breve tempus ea ſignari phraſi, ex claris locis, Gen. XXVII: 44 & XXIX: 20, recte notarunt Interpretes aliqui; ſed pertineatne ad annos regni, an aliud aliquod brevis temporis ſpatium? pro certo adfirmari nequit. Fuit profecto Seleuci breve regnum, XI. tantum annorum, ſi cum Patris, & deceſſorum plurimorum annis comparetur, eoque reſpectu, ad durationem regni extenuandam, hunc in modum loqui potuit Propheta; ut in locis Gen. citatis ſit. Poſſet tamen *terminus a quo* in illo tempore figi, quo in regem conſpirare coepit Heliodorus, ſimpliciterque indicari, brevi poſt regem ab ipſo eſſe occidendum. Sed & aliud, ſilentio non premendum, ſuccurrit, quo phraſis de *unitis* diebus, quibus nullum eſt aut calamitatis, bellique, interſtitium, aut aliqua civitatis populique diſcordia, intelligitur, ſicut *una verba* Gen. XI: 1. Quod in ſequentia, *confringetur nec in faciebus nec in bello*, recte quadraret. Quæ ſi nondum ſatisfaciant, *paucorum dierum* phraſis ad ſequentia referatur, quibus & mors Seleuci, & ipſius parricidæ ejectio repræſentatur: ut ſenſus ſit, unis continuiſque diebus illa futura eſſe, nec parricidam, ſcelere patrato, diu ſuperaturum, aut regno, quod adfectabat,

a de defectib. § 245 &c.

bat, potiturum, verum eodem fere tempore cum ignominia eſſe expellendum, & deturbandum. Quod verſu ſeq. mox ſubjungitur ex noſtra opinione, & ex hiſtoria manifeſtum eſt. Statim enim ac, regia Majeſtate in Seleuco conculcata, regnum ejus invaſerat Heliodorus, ab Eumene, & Attalo, ut refert Appianus [a], expulſus, & Antiochus Epiphanes in throno collocatus eſt. Hac itaque ratione cohærebit ſermo: *& unis diebus* cum rex confringetur, tum ipſe, in regnum evectus raptor, *ſpernetur*, regia Majeſtate ipſi denegata. Quo ſenſu *uno die* quoque alibi [b] venit. In quo nihil eſt, quod quis reprehendat, modo de Heliodoro expulſo *verſu* ſeq. agatur: quod nunc inquirere inſtituo.

§. LXXXV. Seleuco e vivis ſublato, invaſit quidem regnum Syriæ Heliodorus; ſed a Pergamenis, Eumene & Attalo, qui Antiochum, Seleuci fratrem, jam in itinere Syriam verſus, ſibi devincire, & regno Syriæ, a peregrinis contra populi vota occupato, ſuccurrere voluerunt, magna cum ignominia mox expulſus eſt. Quando Antiochus pronis animis a populo receptus eſt, ſucceſſorque declaratus, ſimul ἐπιφανὴς *Epiphanes* illuſtris, ſeu *Deus præſens*, de quo mox, cognominatus, *quod, peregrinis regnum uſurpantibus*, quæ Appiani [c] verba ſunt, βασιλεὺς οἰκεῖος ὤφθη, *avitæ ditionis adſertor exortus ſuis adluxerit*: qui regnum ſuis artibus quoque reddidit firmiſſimum. Quem caſum, ex Appiano [d] teſtatiſſimum, his verbis repræſentat Prophetia ex mea opinione, verſ. 21. *Et ſtabit contra ſtolonem ejus ignominioſe tractatus, nec dabunt ei decus regni; & veniet in opimitatem, regnumqae firmabit lubricitatibus glaberrimis.* Quorum hæc eſto paraphraſis. Idem ille *exactor* iterum contra alium ejusdem regis Septentrionis filium ſeſe obfirmabit, ſed longe alio eventu: non enim *transire nunc faciens decus regni*, ſed ipſe contumelio-

a Syr. p. 187. *b* Jeſ. XLVII: 9. *c* Syr. p. 187.
d l. c.

melioſe *rejectus* regni Majeſtatem nullo modo conſequetur. Veniet enim ipſe *ſtolo*, ſeu filius, in opulentam fortunam, & regnum, difficillimo licet tempore, vaferrimis artibus ac hypocriſi quam firmiſſimum reddet. Quæ antequam ad Heliodorum, regno, quod rapuerat, expulſum, & Antiochum Epiphanem, inſignem regni inſtauratorem, ad quos omnino pertinent, adplicem; rationem, quare publicam viam deſeruerim, tramitemque fecerim, nova excogitata interpretatione, dandam mihi eſſe video; ne id temere feciſſe habear.

§. LXXXVI. Poſterius non tantum verſus membrum, quod & nos volumus, ſed & prius, vertendo, *& ſtabit in loco vel ſtatu ejus deſpectus, & non tribuetur ei honor regius*, ad Antiochum Epiphanem communi conſenſu, quotquot ſenſum hiſtoricum ſeu litteralem, ſeu ſolum, ſeu primo & typice, ſectantur, de quo mox, referunt omnes, quos mihi inſpicere datum eſt, Antiochum adpellari *deſpectum* cenſentes, ſive quod *obſes* Romæ fuerit, ſive quod in regni adminiſtratione ſeſe contemtibilem præſtiterit; *regium* vero *decus* ei initio fuiſſe recuſatum, ſeu non dandum opportuiſſe, quippe non ipſi, ſed filio Seleuci Demetrio, Romæ nunc obſidem agenti, debitum; quo verba tendere decernunt, *& non dabitur ei decus regium*. Veniſſe tamen eum per artes & fraudes volunt ad regnum, ac nepoti præripuiſſe, ſpecioſo vel tutoris & adminiſtratoris titulo ſumto. Quam hypotheſin, utpote nec verbis, nec hiſtoriæ conſentaneam, ſeponere, & cum longe faciliore, modo data, commutare mihi licere, ſalvo Doctorum virorum, cui modeſto meo diſſenſu nihil detractum iri exiſtimem, honore, ob has rationes putavi. 1. Phraſis *ſtabit* על כנו non ſignificat, *ſuper loco vel ſtatione ejus*, ſed contra *ſtolonem* vel *filium ejus*, ut ſupra obſervavi; adeoque talem ſignat, qui regis filio & legitimo ſucceſſori adverſatur. Oportet itaque, ſi de Antiocho Epiphane ageretur, ſalva verſione noſtra *ſtabit contra ſto-*

lonem ejus, Antiocho tanquam æmulo & adverſario Demetrii, filii Seleuci Philopatoris, legitimi hæredis & ſucceſſoris regni, adtribuantur hæc verba. Quod rectius fieri, nec habere, quod adeo offendat, admitto; niſi hoc ſolum, quod manifeſtum & violentum adverſarium, qui palam in aliquem hoſtiliter inſurgit, phraſis *ſtare contra aliquem* vera ſua emphaſi, & hoc in cap. conſtanter, denotet; quod ab Antiocho alienius eſt; cum ipſe ſponte fuerit a civibus receptus, & Heliodoro tyranno eripuerit regnum, Demetrius vero Romæ detineretur, nec ſuccedere potuerit. Fuit itaque hoc in caſu Antiochus legitimus ſucceſſor.

§. LXXXVII. 2. Fortius ſtringet *deſpecti* titulus, quo inſignitur is, de quo agitur, inprimis vera ſua emphaſi ſumtus, Antiocho Epiphani vix ac ne vix quidem ex vero adtribuendus; & ſi aliqua ratione ab eo non alienus, hic tamen ei non dandus. Cum enim Propeta *novos* ſemper reges aliquo titulo diſtinguente, ſive Auſtri vel Aquilonis, ſive filiorum, ornare ſoleat; Antiochum mox in principio pericopæ contumelioſo *ſpreti* titulo, ſine ullo alio epitheto addito, adfici, cui non paradoxi quid habere videtur? in primis, cum Seleuci frater, & Antiochi M. filius, adeoque regno & coronæ proximus eſſet, βασιλεὺς οἰκεῖος propterea dictus Appiano. Nec habuit in principio quid, hac nota dignum, Antiochus, quare *ſpretus* meruerit adpellari. *Obſes* quidem fuit Romæ, quod a nonnullis adferri video: ſed, ne cum Demetrio, quem legitimum habent hæredem, nunc eandem perſonam agente, ei id commune fuiſſe dicam, *a.* non nunc amplius erat, nec ſecreto aufugerat, perſonam obſidis clam & contra fas exuens; quod aliquibus excidiſſe obſervavi ad Antiochum denigrandum: verum ab ipſo Seleuco Philopatore poſtulatus & impetratus a Romanis, proprio filio Demetrio in locum ejus dato; teſte Appiano *a*. *b*. Nec *obſidis* perſona ejus erat natu-

a l. c.

naturæ, ut *ſpreti* notam inurere alicui potuerit, multo minus Antiocho, quem *pro rege non pro obſide fuiſſe omnibus ordinibus* Romæ, teſtatur Livius *a*. Imo tantum abeſt, ut ignominioſo, ut honorificentiſſimo titulo fuerit in principio regni condecoratus, ἐπιφανὴς *Epiphanes* a populo dictus, *illuſtris* non ſimpliciter, ſed quaſi *Deus præſens*, qui decus regni, a peregrino raptum, reddidit domui regiæ, & populum a tyranno exactore vindicavit, ut modo ex Appiano vidimus. Hunc enim eſſe tituli ſenſum, intellecto nomine Θεῦ, dudum docuerunt, & ex nummis illuſtrarunt, Eruditisſimi Viri, Vaillant *b*, Ez. Spanhemius *c*, & H. Valeſius *d*. Eſtne itaque veriſimile, Prophetam, futura, ut ſeſe vere habitura ſunt, repræſentantem, Antiochum longe diverſo, & ab implemento alieno, titulo, tamque odioſo, notaturum in principio regni?

§. LXXXVIII. Sed ne, Prophetæ fuiſſe hunc regem, qualem ſeſe in regni gubernatione poſtea præſtitit, obverſatum, ejusque reſpectu ei hunc titulum per anticipationem datum, quod tamen ſine ratione ſtatueretur, nec probabile foret, aliqui contendant, eone ſeſe dignum fecerit, inquiramus; eumque in finem, ut diſtincte agamus, *mores* inter & *geſta*, regnique adminiſtrationem, diſtinguamus. *Poſterioris* reſpectu audiamus Polybium *e*, ſapientiſſimum hiſtoricum, &, qui eum deſcripſit, Diodorum Siculum *f*. *Antiochus rex*, ſic uterque, *fuit*, *omnibusque adparuit*, πραγματικὸς, ſeu, ut Polybius, πρακτικὸς *induſtrius*, *gnavusque*, καὶ τῷ προσχήματι, Polybius ὀνόματι, τῆς βασιλείας ἄξιος *regia majeſtate*, *nomineque dignus*, *ſi ea excipias*, *quæ ad Peluſium geſſit*; ubi Philometorem majore calliditate circumvenit, quam generoſi animi regem decebat. Ipſe Senatus Romanus, eum *generoſe regnaſſe*, teſtifica-

a Hiſt. l. XLII. c. 6. *b* Hiſt. regum Syr. p. 194. *c* de uſu & præſt. Numism. Diſſ. VII. p. 425. *d* ad Euſ. H. E. L. II. c. 6. *e* Excerpt. p. 1446. *f* Excerpt. Valeſ. p. 313.

ſtificatus eſt, apud Appianum *a*: ſecundum quem filius Antiochi cognominatus eſt a Syris Εὐπάτωρ *Eupator*, διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετὴν *propter Patris virtutem.* Facinora vero in Judæos *ſævum* quidem & *iracundum*, qualem eum fuiſſe Ammianus Marcellinus *b* tradit, nec non *radicem peccatricem*, quo titulo eum ſcriptor Júdæus *c* inſignivit, עז פנים Dan. 8: 20. *fortem & impudentem facie*, demonſtrant, at non *ſpretum*, potius metuendum exhibent. Improbum in fana, ab ipſo ſpoliata, commiſſum *furioſi & inſani* notam ipſi ex Polybii *d* ſententia inurant, *ſpretum* nondum facient. Ad *vitam* vero & *mores* quod adtinet, *quædam ejus conſilia & facta*, utor rurſus Diodori Siculi *e* verbis, *prorſus regia fuerunt, atque admiratione digna: quædam contra abjecta adeo ac vilia, ut ab omnibus ſpernerentur.* Quorum nonnulla ſpecimina & ipſe, & Polybius *f* retulit, qui eum propterea ἐπιμανῆ *inſanum* fuiſſe dictum addit. Ad eum quoque, & non *Perſeum* regem Macedoniæ, quod Sigonio & aliis viſum fuit, ſpectare, quæ inſigne Livii *g* fragmentum conſervavit, Docti jam obſervarunt. Quæ ludicra ejus facta, quibus quid ſibi vellet, neſcire ſe multi dicebant, *quidam ludere eum ſimpliciter, quidam haud dubie inſanire ajebant*, teſte Livio, quin regem reddiderint *contemtibilem* aliquando, dubium quidem non eſt, quemadmodum autor epitomes Livii *h*, eum *viliſſimum regem egiſſe*, propterea tradit, ſed is ſolus, nec magnæ autoritatis. Sed cum conſtans hoc & perpetuum ejus non fuerit inſtitutum, nec forte niſi ſub finem vitæ ſuſceptum; licet Diodorus Siculus *i* eum initio regni videatur aliqua ſpecimina connectere, neſcio quam vere? alia quoque prorſus regia multa egerit; num *ſpreti* titulo, tanquam characteriſtico propterea notari debuerit, neſcio?

a Syr. p. 188. *b* L. XXII. c. 13. *c* I Macc. I: 10. *d* Excerpt. Valeſ. p. 45. & 169. ut & Hiſt. l. v. p. 501. *e* Excerpt. Valeſ. p. 318. *f* apud Athen. l. v. p. 193 & x. p. 439. *g* l. XLI. c. 20. *h* lib. XLI. *i* l. c.

Illud probe mihi intelligere videor, *a.* epithetoa hoc loco nec ad vitam, moresque, ſed ad acta geſtaque, nec ad regis perſonam, quam in regno confirmatus prætulit, ſed ad regni initium pertinere; ſeu eo potius ſpectare, ut ratio, quare regium decus non fuerit conſecutus, daretur: quod ſi verum ſit, ab Antiocho oculi plane erunt abſtrahendi. Eſſe autem illud veriſſimum, verba ſequentia extra dubium collocant. Oratio enim, *ſtabit contra filium ejus ſpretus, nec dabunt ipſi decus regium*, *ſpretum* eum adpellari requirit, quatenus cum ignominia ejectus eſt & deturbatus, magnisque auſis contumelioſe excidit. Reſpicit itaque *ſpretus* ad expulſionem ejus, & regiæ dignitatis negationem, ipſumque *indignum* fuiſſe publice declaratum, qui thronum conſcenderet, indicat. *b.* Majore pollere emphaſi vocem Hebr. נבזה *ſpretum*, quam ut ad virum, per ludrica facta ludibrio habitum, reſtringi poſſit. Radices enim, בזה, בזא, בזז & בזן, omnes ſynonymæ & in lingua Arab. quoque obviæ, proprie dicunt *trabere*, in ſpecie *per terram*, unde *incurſare*, ac quaſi pedibus conculcare, ac graviſſima adficere contumelia, etiam *violenter ſubigere*, ut in בזא ſpeciatim, & *diripere*, συλᾶν, in בזז. Quorum nihil in Antiochum, omnia in Heliodorum, ut mox patebit, egregie quadrant. Titulus quoque נבזה & בזוי hominem pingit *publica oneratum infamia*, ut Cl. Schultens *a* notavit, anſa a *raptatione* arrepta, nec non cum infamia ejectum, ac indignum aliquo honore habitum. Quam emphaſin variis in locis agnoſcit, Pſ. XXII: 7. Jeſ. XLIX: 7 LIII: 3. In ſpecie de viro dignitate & Majeſtate indigno 1 Sam. X: 27. egregie Jer. XXII: 28. *an nervus ſpretus & excuſſus, eliſus, ejectus, eſt vir ille Chonia?* ut vertit Cl. Schultens *b*.

§. LXXXIX. 3. Ecquo quæſo denique ſenſu de Antiocho Epiphane dici potuit, *decus regni ipſi dandum non eſſe*, tanquam *ſpreto?* hæc enim ita cohærere modo notavi.

a ad Prov. XV: 20. *b* Defect. § 161.

Tantum enim abeſt, ut *rejectus* fuerit cum contumelia, regnoque privatus, quod verba ſibi omnino volunt, ut pronis animis, tanquam βασιλεὺς οἰκεῖος *domeſticus* & *legitimus rex*, fuerit a populo, teſte Appiano, receptus, illuſtrique titulo, in ejus rei memoriam, ἐπιφανὴς *Deus conſpicuus* honoratus. Rapuerat quidem regnum Heliodorus, ejusque factio ſeſe Antiocho oppoſuerat, ut Appianus refert: ſed paucorum tantum fuit conſpiratio, mox quoque per Attalum & Eumenem Pergamenos exſtincta, antequam ipſe Antiochus adparuerit Quod titulo *ſpreti*, & phraſi, *non dabunt ipſi decus regni*, nullatenus ſufficit. Præterquam enim quod, *non dabunt*, ad factionem paucorum reſtringi nequeat, ſed populi vota comprehendere debeat; *ſpretum* illum votorum non fuiſſe compotem factum, ſed expulſum, poſtulat. Ex quo & illud parum juvare communem hypotheſin clare perſpicitur, quod, ut ex Sutorio narrat Hieronymus, Antiocho *primum ab his, qui in Syria Ptolemæo favebant, non fuerit datus honor regius*. Eadem enim Heliodori factio, cui forte Ptolemæus ad Seleucidarum domum exſtirpandam favit, fuerit neceſſe eſt; ſi vera ſit narratio, vel ſana lectio, & pro *Ptolemæo* non ſit *Heliodorus* legendus. Faviſſe enim hoc tempore in Syria aliquos Ptolemæo, quod nullus memoriæ prodidit, vix veriſimile videtur. Dicemusne itaque, *non dare decus regium*, idem eſſe, ac non eligere, non conſtituere regem, ſenſumque eſſe, Antiochum, nolentibus illis, quorum erat *dare decus regium*, illud rapuiſſe? Quid eſt effugia quærere, & commenta dare, ſi hoc non eſt? Phraſis ad regni adfectatoris ejectionem ducit, & Antiochum invitis fuiſſe obtruſum, hiſtoriæ contradicit. Sed *non debuiſſent* eum admittere, utpote uſurpatorem, regno ad Demetrium, filium Seleuci, pertinente. Quo quæſo fundamento? cum Demetrius eſſet obſes Romæ, adeoque ad ſuccedendum ineptus, & Antiochus æque Antiochi M. filius ac Seleucus Philopator; rex οἰκεῖος adpellatus in hiſtoria:

ſtoria: ne dicam, phraſin, *non dabunt ipſi*, longe plus, quam *non debebant dare*, non *dediſſent*, ſi ſui juris & arbitrii fuiſſent, involvere.

§. XC. Subſtituamus nunc noſtram hypotheſin, ut, comparatione inſtituta, rectius, cui calculus addendus ſit, judicari queat. Prius verſus membrum, *& ſtabit contra ſtolonem ejus ſpretus, nec dabunt ei decus regni*, de Heliodoro uſurpatore & violento invaſore regni, capiendum eſſe, dixi: quod hiſtoriæ, ſupra productæ, adeo exacte reſpondet, ut ne verbo quidem amplius opus ſit. Heliodorus, ſicut antea contra filium Antiochi M. ſteterat, nec ſine ſucceſſu, rege occiſo & corona ſibi rapta, quare *transire facientis decus regni* titulum receperat verſu præcedente, ita & nunc contra ejusdem rurſus Antiochi M. filium Antiochum Epiphanem, & nepotem, ſeu Seleuci filium Demetrium, *ſtaret*, ſed longe alio eventu; quare nunc *ſpreti* titulo ornatur. Verba enim, *ſtabit contra ſtolonem ejus*, verſ. 20 & 21, repetita, ad ſe mutuo reſpiciunt, & ejusdem adverſarii oppoſitionem haud obſcure indicant; acſi haberetur, *ſtabit contra* filium Antiochi Seleucum, illumque occidet, *ſtabitque* iterum contra ejusdem Antiochi filium alterum; ſed in propriam nunc perniciem, antea cum ſucceſſu, nunc nullo, quin contrario. Quo ejusdem uſurpatoris diverſi tituli manifeſte reſpiciunt; ante *transire faciens decus regni*, quia in regia domo legitima illud exſtinxerat, & ſibi rapuerat, nunc vero *ſpretus*, *cui non daretur illud decus*, quia cum ignominia, tanquam infamis homo, violentus exactor, parricida regis, & regni invaſor, peregrinus, deturbatus eſt. Quæ comparatio duorum verſuum noſtram haud parum confirmat hypotheſin. Ceterum *ſpretus* adpellatur Heliodorus, cum quod infamem ſeſe facinoribus ſuis in regem & regnum præſtiterat, publica notatum ignominia, omnique honore indignum, tum quod ignominioſe tractatus eſt, cum dedecore, & publicas inter imprecationes, expulſus; ut ex

lætitia & adclamationibus populi, quibus Antiochum ex ceperunt, clariſſime colligitur. Verbum quoque ἐκβάλλειν *ejicere*, quo de Heliodoro expulſo utitur Appianus, ad violentam ac contumelioſam exturbationem transferri ſolet. Ceterum, ubi noſtro verſu additur, *nec dabunt ei decus regni*, ad titulum *ſpreti* ulterius explicandum, uſus verbi נתן *dare* pro *concedere habendum* petenti, volenti, vel tenenti, quem & alibi [a] habet, obſervandus eſt: ut ſenſus ſit, decus regni, quod ſpretus ille adfectavit & rapuit, ipſi non eſſe concedendum, nec hoc ſolum, ſed & eſſe *auferendum*. Plus enim intenditur hac phraſi, quam exprimitur: qua figura nihil eſt frequentius. *Non dabunt* itaque, ſenſu divite, eſt, tantum abeſt, ut daturi ſint, ut violenter ablaturi, eumque rejecturi ſint.

§. XCI. Alterum verſus membrum, *& veniet in opimitatem, & firmabit regnum lubricitatibus glaberrimis*, ad illum ipſum *ſpretum*, cui decus regni negaretur, referendum, ut communiter putant, non eſt, cum hæc in una ſede non morentur, *ſpretum* eſſe, & *regio decore orbatum*, ac *venire* in *regni poſſeſſionem;* maxime, cum phraſis tranquillam ac opulentam regni acquiſitionem exprimat, ut mox exponam: ſed ad כנו *ſurculum* ejus, contra quem ſtaret *ſpretus* ille, manifeſte pertinet; uti ad verſ. præcedentem quoque obſervavimus. Qui duo verſus eodem orationis tenore decurrunt. *Spreti* itaque, qui ſeſe *ſurculo* Antiochi M. opponeret, ejectione prædicta, ad ipſius *ſurculi* ſucceſſionem deſcribendam recte & ordine pergit Prophetia, *ſurculi* voce non repetita, ſed intellecta, ab ipſo lectore ex nexu orationis facile mente repetenda: uti verſ. 20. & ſæpe in hoc capite in relativis *ejus*. Intelligitur itaque Antiochus Epiphanes, *ſurculus* Antiochi M., cujus filius fuit: cujus pacificus & ſplendidus *adventus* in regnum, & in regni opulenti poſſeſſionem, his verbis paucis depingitur, *& veniet in opimitatem.* Quæ emphaſi pollent

[a] Num. XVIII: 5. 1 Reg. II: 21. XII: 29.

pollent egregia. *Venire* ubi dicitur, eum *aliunde* venturum, erat enim in itinere Roma Syriam verſus, præterea exſpectatum & deſideratum, tanquam *ſervatorem* regni, nec non illuſtriſſimo modo *intraturum*, ut factum eſt, ſignificatur; receperunt enim eum ut Deum ἐπιφανῆ *conſpicuum*. Quæ omnia uſu verbi בוא *venire*, *intrare*, ſunt comprehenſa. Additur, & *veniet in opimitatem*, ſeu proprie liquidam ac defœcatam tranquillitatem, abundantiſſimam bonorum copiam, & lautam fortunam. Quam vox שלוה exprimit, anſa arrepta ab *eliquato butyro*, alterove *eliquamine pinguiore*, unde quicquid eſt *ſpumæ*, *ſordiumve*, ſedulo eſt expurgatum. Quam radicis שלה poteſtatem luculenter adferuit Cl. Schultens [a]. Solet quidem verti, & *veniet in tranquillitate*, pro pacifice & clam; ſed ſtructuræ & emphaſi orationis longe convenientius eſt, quod dedi. Præpoſitio enim ב *in* cum בוא *venire*, *objectum* ſeu *rem* ſignare ſolet, & hoc cap. conſtanter, quam quis intrat. Senſus ergo eſt, Antiochum, regno ab invaſore omnique alia ſorde purgato, *ſpreto illo ejecto*, in tranquillam & lautam regni poſſeſſionem venturum, ab omnibus cum lætitia exceptum; uti factum eſſe nemini non ex hiſtoria conſtat. Nec ſine ratione & emphaſi dicit prophetia, *veniet* non ſimpliciter *in regnum*, vel *regni decus*, quod *ſpreto* erat negatum, ſed in *tranquillitatem* & *opimitatem*, ut indicaret 1. regnum, antea turbatum per Heliodorum exactorem, eo ejecto fore pacatiſſimum, 2. regem Antiochum ſplendide ac pronis animis eſſe recipiendum, qui in regnum, tanquam lautiſſimam conditionem, magnifice intraret, 3. *regnum*, nunc ad priſtinam rediiſſe fortunam, opibus & divitiis refertum; quas ope Heliodori, acerrimi *exactoris*, qui eas una cum regno ſibi paraverat, acquiſiverat. 4. Regni ſtatum longe ditiorem & fortunatiorem per ipſum eſſe reddendum; opibus & divitiis undiquaque corraſis, & coacervandis. Quod verſ. 24. clarius prædicitur. 5. Deníque,

[a] Orig. Heb. t. II. c. 3.

nique, cum vox שלוה in vitium declinet, & *inſolentiam*, faſtum ac luxuriam, ex opimioribus fortunis oriri ſolitam, complectatur, ut ibidem non neglexit adnotare Cl. Schultens, tacite inſinuari, haud abſurdum exiſtimaverim, Antiochum ad eandem *inſolentiam* delapſurum eſſe, cujus tot ſequente tempore dedit ſpecimina, ſuo loco proferenda. Firmat haud parum, quod eadem voce de *cornu parvo* habeatur c. VIII: 24. *in opimitate liquidiſſima fortunarum*, indeque *inſolescens*, quod ibi dicitur בשלוה, *disperdet multos*. De quo ad eum locum egi.

§. XCII. Reliqua verba, *& firmabit regnum lubricitatibus glaberrimis*, de artibus, quibus regnum Syriæ acquiſivit, minus recte exponi ſolent, cum nec illis in initio opus fuerit, populo ſponte ſua ad eum inclinato, nec hic de regni acquiſitione, ſed confirmatione manifeſte agatur; adeoque, ſi uſus vocis de *vafritie* ſit retinendus, de quo mox, ad blandimenta & vaferrimas aſtutias ac hypocriſin retulerim, quibus regnum ſuum quam firmiſſimum & potentiſſimum reddidit, & verba hoc loco poſita eo collineare, vero ſuo ſcopo, cenſuerim, ut rerum ab ipſo adminiſtratarum, & inſtitutorum, ad regnum quam potentiſſimum reddendum, generalis panderetur intellectus, viaque ad generalem regiminis ejus deſcriptionem, quæ mox ſequitur, ſterneretur. Depingit vero vox ſuperl. *gradus* חלקלקות modum agendi, quem tenuit, in *blandimentis & aſtutiis* ac fraudulentiis ſitum, quam vividiſſime. Proprietas radicis חלק eſt in *glabro*, *lævi & lubrico*; unde cum ad *blanditias*, ſive orales ſive reales, quibus alii demulcentur, tum ad hypocriſes & aſtutias, quibus irretiuntur & decipiuntur, facillimum fecit transitum. De quo conſulendus eſt Cl. Schultens [a]. Quibus artibus non tantum popularium ſibi devinciendorum reſpectu uſus eſt ad exceſſum usque, & in blanda familiarique converſatione, & in ludis ac largitionibus ſplendidis ac ſumtuoſiſſimis, quarum ſupra

[a] ad Har. conſ. 1. p. 7. v. p. 100. ad Prov. II: 16.

ſupra memini, & poſtea mentionem faciendi recurret occaſio; ſed in primis, ad *regnum confirmandum*, quod hic intenditur, Romanorum & Aegyptiorum reſpectu, quos ut circumveniret maxime neceſſe habebat. De Aegyptiorum rege ab ipſo decepto poſtea erit agendum, quare *humanitatis & clementiæ* ſpeciem, quam in exercitu Aegyptiaco, quem totum delere potuiſſet, ſervando demonſtravit, memoraſſe ſuffecerit: quia per eam *humanitatem & Peluſio*, & mox *univerſa Aegypto* potitus eſt, teſte Diodoro Siculo [a]. Qui [b] etiam, poſt Polybium [c], fraudulentiarum, plus quam regiam decebat Majeſtatem, quibus Aegyptios deluſit, meminit. Romanis egregie impoſuit & ſplendida ac adulatoria legatione apud Livium [d], & Legati Romanorum, Tiberii Gracchi, ad molimina ejus obſervanda miſſi, deceptione, qua eum humanitate & hypocriſi adeo faſcinavit, ut regis conſilia nullatenus putaverit ſuſpecta; licet ad *Romanos voluntas ejus non inclinaverit, ſed in contrariam potius partem;* ut Polybius [e] teſtatur: qui addit ſpeciminis ergo, Antiochum *aula ceſſiſſe Legatis, & ipſo etiam, prope dixerim, diademate, in ſpeciem quidem* &c. Quod idem ex Polybio habet Diodorus Siculus [f]. Hæc licet vera ſint, neſcio tamen num vox Hebr. hac forma ejuſmodi *fallacias* comprehendat, & de *lubricitatibus* regni, ſeu ſtatu regni admodum *vacillante & nutante*, ab Antiocho firmato, non rectius capiatur. De quo vocis uſu ad verſ. 32 & 34. agam. Utique in *lubrico* loco ſtabat hoc tempore regnum Syriacum, & valde attritum per Romanos, & per Heliodori factionem labefactatum, ut ex dictis conſtat.

§. XCIII. Generalis regiminis & inſtitutorum, ac geſtorum, delineationis filum, quod modo exorſus erat Propheta, ante perſequitur, quam ad ſpecialia facta & fata ordine

[a] Excerpt. Valeſ. p. 310. [b] Ib. p. 313. [c] Excerpt. p. 1446. [d] l. XLII. c. 6. [e] Excerpt. Legat. 101. p. 1292. [f] Excerpt. Valeſ. p. 322.

ordine recenſenda pergat; ſummam dicendorum his verbis exhibens, verſ. 22--24. *Et brachia inundationis inundabuntur coram ipſo, & frangentur; & etiam anteceſſor foederis. Et ex arcta adſociatione cum ipſo faciet dolum. Et adſcendet ac prævalebit brevi in gentem opimam, & pinguedines provinciæ intrabit, facietque, quod nec Patres nec Majores ejus fecerunt: prædam & ſpolium & poſſesſiones eorum disſipabit: & contra munitiones cogitabit cogitationes; & ad tempus.* Quorum ſenſum hac ratione paulo clarius & circumductius explanari poſſe, autumaverim. Summatim ut regis, cujus adventus ad regnum Syriæ, & generalis inſtituti, modo memini, actiones & facinora ob oculos, ante quam per partes eam, ſiſtam; copiis viribusque eorum, qui terras ſuas inundare ſolebant, & nunc etiam facturi erant, fractis ac ſubactis, ſummi quoque foederis *ſancti* ducis virtute intercepta, non obſtante adſociatione ſimulata, quam fraudulenter inibit, hoſtiliter magna vi in opulentiſſimam gentem, pinguemque provinciam, earumque poſſeſſiones brevi tempore intrabit, ſpoliabitque: modum præterea, a Majorum inſtitutis longe diverſum, tenebit, & in populis tractandis, & in opibus ſuis diſſipandis. Donec ad munitiones regni theſaurarias animum adpliciturus, & ad finem ſuum venturus ſit. De Antiocho Epiphane, & non de Antichriſto, quod veteres ante Hieronymum, ipſo teſte, inepte putarunt, hic ſermonem eſſe, ſaltem directe & primo ſenſu, Interpretes poſt Hieronymum & Theodoretum, quod clarius eſt & certius, quam ut demonſtravi debeat, concedunt communiter: ſed in hac pericopa exponenda, & ad Antiochum adplicanda, rem acu paſſim non tetigerunt, a vero ejus conſpectu nimium aberrantes. *Primam* enim Antiochi in Aegyptum expeditionem, qua copias Ducum Ptolemæi inter montem Caſium & Peluſium parva manu proſtraviſſe, & ulterius quam Memphin usque non penetraſſe, cenſetur, hisce verſibus repræſentari communiter autumant, duas alias

llas expeditiones, verſ. 25 &c. depingi cenſentes. Quæ hypotheſis nec verbis, nec eorum implemento, conſentit. 1. Duas ſi Epiphanes in Aegyptum ſusceperit expeditiones ante ultimam illam, qua Romanis cedere debuit, cujus verſ. 25. incipit mentio; de quo poſtea disputabo: bis tamen copias Ptolemæi Philometoris fuiſſe fuſas, antequam is ſeſe Antiocho dedidit, quod tamen ex verſ. 22 & 25. ſequeretur, ex hiſtoria non conſtat: ut mox patebit. 2. In *primam* illam expeditionem, a duabus ſequentibus diſtinctam, nullo modo quadrat nec *brachiorum inundationis confractio* verſ. 22., nec in gentem opimam ac provinciam ingreſſus, ſpoliorumque tam amplorum coacervatio, v. 24. Præterquam quod parvam tantum manum ducum Ptolemæi profligatam fuiſſe ſtatui debeat, ſi ab altero prælio, verſ. 25. memorato, diſtinguenda ſit hæc expeditio, quod phraſi, *brachia inundationis inundabuntur & confringentur*, nullo modo ſatisfacit: Antiochus tunc in Aegypti poſſeſſiones non venit, ne quidem, quod ſtatuitur, Memphin usque: quod tamen hic habetur. 3. Multo magis ab hac expeditione, quæ *prima* ſtatuitur, aliena eſt *conſociatio* Antiochi cum rege Aegypti, quæ introitum ejus in Aegypti ditiones antevertiſſe hic dicitur, verſ. 23. illa enim poſt *ſecundam* expeditionem demum poni ſolet, & cum pugna verſ. 25. memorata neutiquam conſiſtit. Rege enim Ptolemæo Philometore in ſocietatem ac amicitiam, licet maligno animo, recepto, ejus tutelám & patrocinium geſſit contra Alexandrinos; tantum abeſt, ut denuo manus cum eo conſeruiſſet Antiochus; uti nemini non notum eſt. 4. Antiochus *in pinguedines provinciæ intraſſe*, & *feciſſe*, quæ *majores in animum nunquam induxerant*, dici ante *ſecundam* expeditionem, quæ ſtatuitur, nullo ſenſu, ante *tertiam* & ultimam non niſi tenuiore, poteſt; vera ſua emphaſi demum poſtquam Romanorum juſſu Aegyptum deſerere coactus fuit; nec niſi circa finem regni *opes ſuas diſſipavit*, deque *munitionibus ſpo-*

liandis cogitavit: quæ ex ſequente tractatione facile pateſcent.

§. XCIV. Dubium mihi non eſt, ut illud poſtremo addam, quin perverſa verſio ultimi membri verſ. 23: *& adſcendet, & ſuperabit in modico populo*, præcipuum hypotheſios, adeo receptæ, fundum præbeat. Cum enim mox *magna cum potentia multisque copiis* verſ. 25. regem Aegypti dicatur invaſurus, eandem utroque verſu expeditionem intelligi, prorſus implicaret. Sed longe alium ſenſum voces illas fundere, & vertendas eſſe, *adſcendet brevi tempore in gentem*, ut feci, mox obſervabo. Cum itaque tot in hac pericopa occurrant inſtitutorum, quæ toto tempore regni tenuit, & maximam partem, imo omnia *ſecundam*, quæ ſtatuitur, expeditionem ſecuta ſunt, indicia; generale eſſe ejus argumentum, geſta & facta a principio ad finem regni complexum, clare, ni fallor, intelligitur; quod ex fini, *& ad tempus* ſc. finis, ac vitæ terminum, verſ. 24. ulterius confirmatur. Habeo ergo pro ſummaria rerum, poſt ordine recenſendarum, propoſitione, quæ geſta & facta Antiochi in genere & ſummatim exhibet. Quæ hypotheſis, ſicut Prophetiarum & Pſalmorum ſtructuræ, quæ ut plurimum ita concinnata eſt, ut *propoſitionem* generalem, ejusque *ſpecialem deductionem*, contineat, ordine admodum facili & eleganti, quem & Hiſtoria ſubinde obſervat, recte convenit, quod innumeris exemplis, ſi opus foret, demonſtrari poſſet: ita & ex eo robur acquirit, quod omnia hic occurrant generalia, nulla regis Auſtri, aut Judæorum facta mentione; deinceps vero omnia ſpecialia enarrentur, a verſ. 25 & ſeq. quæ præterea ea ratione ſpeciatim exhibentur, ut ad generalem identidem reſpiciatur propoſitionem, ut ſequentia docebunt. Cum itaque in Antiochi Epiphanis facinoribus repræſentandis longa oratione verſaretur prophetia, quod *ſcopus* hujus vaticinii poſtulabat, generalem præmiſit eorum conſpectum, quem deinceps per partes, juſto ordine,

ne, ſpeciatim declarat. Quæ facillima eſt totius prophetiæ, verſ. 22--39, quæ tota de Antiocho Epiphane agit, diviſio.

§. XCV. Hac jacta hypotheſi, ſingulas generalis pericopæ partes perluſtremus, iisque, ubique opus fuerit, luminis aliquid inſpergamus. *Prima* pars, copiarum hoſtilium oppreſſionem, totalemque ſubactionem, complexa, ita habet, verſ. 22. *& brachia inundationis inundabuntur a coram ipſo, & confringentur*, id eſt, copiæ militares ac fortiſſimæ, quæ terras vicinas invadere ac ſuperare ſolebant, & nunc idem facturæ viderentur, regis Septentrionis præſentia & virtute, omnia ſuperante, ſiſtentur non tantum & reprimentur, ſed & ſuperabuntur & ſubigentur, ita ut omnes regni Auſtri vires ſint in poſterum frangendæ. Duplex hic miſcetur metaphora, altera *brachii*, quod frangitur, altera *aquarum* violentarum & inundantium, quæ abſorbentur, ſeu ipſæ inundatæ diſparent, quæ utraque de copiis militaribus, robore regni, violenter oppreſſis & diſſipatis, & facillima & uſitata admodum eſt. Quod ab aliis abunde eſt illuſtratum *a*, nos ſupra quoque ſuis locis obſervavimus. Nec adeo remotæ ſunt duæ hæ metaphoræ, ut conjungi non poſſint. Fluviorum enim *brachia* non ſunt ignota, in ſpecie Nili, regni Aegyptiaci emblematis, quo hic reſpicitur, notiſſima, ne: fluctuum *confractio* eſt inſolita *b*. Quod verbo tetigiſſe ſuffecerit. Hisce enim, ſatis vulgatis, non eſt immorandum; ſed ad *ſenſum*, ſeu *rem* ipſam, feſtinandum eſt

§. XCVI. Heliodori factionem, ab Eumene & Attalo in gratiam Antiochi Epiphanis oppreſſam, cujus ſupra memini, hic depingi, placere potuiſſe emunctæ naris Viro, Ill. Grotio, ejusque veſtigia preſſiſſe Magnum Script. Interpretem Coccejum, mirari ſubit, cum ne probabilitatis ſpecie ſeſe commendet, in phraſes & hiſtoriam arietet.

 I. enim,

a Vid. etiam Stanleſus ad Aeſchyl. Perſ. verſ. 90. *b* Vid. Simon arc. form. p. 512.

1. enim, cum de Antiocho in regnum immiſſo, & recepto, modo dixiſſet Propheta, Heliodoro jam expulſo: caſum illum hic locum invenire non poſſe, facile adparet. 2. *Brachia inundationis*, quæ militares copias, vicinos populos invadentes, expingere ſolent, qua ratione in Heliodorum, qui non *palam*, ſed ex inſidiis Seleucum Philopatorem occidit, regnumque, dum nullus ex ſtirpe Seleucidarum adeſſet, rapuit, quadrent, plane non perſpicio. 3. *Heliodori* factionem fuiſſe bello & prælio ſuperatam, quod phraſis Hebræa exigit, hiſtoriæ quoque non convenit, quæ nil niſi de *Heliodoro* expulſo ab Eumene & Attalo habet; uti ſupra vidimus. Nec populum ſibi habuit faventem, ſed adverſantem. 4. Heliodorum *coram Antiocho* fuiſſe fractum minus recte quoque diceretur, cum nec ejus virtute, nec præſente ipſo, ſed abſente, per Pergamenos illud factum ſit. Rectius itaque ad Aegyptiorum exercitus ab Antiocho fuſos referunt Interpretes alii; in eo tantum aberrantes, quod ad *primam expeditionem*, & partem copiarum ſub ducibus Ptolemæi ab Antiocho proſtratam reſtringant, invita phraſi, & ſcopo pericopæ non permittente. Omnes enim Ptolemæi copias, viresque omnes, fuiſſe plane profligatas, & phraſis & conſpectus pericopæ, modo traditus, requirit. Quodſi rex Aegypti mox potentiſſimum & copioſiſſimum exercitum in aciem produxiſſet, ut verſ. 25. habetur; exili valde, vel nullo, ſenſu *brachia* ejus dicerentur fuiſſe *fracta*. Adplicemus itaque ad invaſionem Aegypti, eo cum ſucceſſu ab Antiocho factam, ut omnes ejus copias ſubegerit, viresque deleverit, nihilque ei ad regnum occupandum amplius reſtiterit: uti mox ſequitur. Quod in ſpeciali deductione propoſitionis clarius exponitur: uti ibi videbimus. Hic tantum obſervamus, *brachia inundationis* adpellari Aegyptios, cum quod antea id fecerint ſub Ptolemæo Euergete, qui totum fere regnum Syriacum inundaverat, de quo ad verſ. 7 & 8 egi, quod ei nunc demum

mum rependit Antiochus Epiphanes, fruſtra tentaverat Pater ejus Antiochus M., tum quod & hoc tempore illud & vellent, & poſſe viderentur præ magno adparatu, cujus verſ. 25. fit mentio. Quo ipſo digitus ad *originem* invaſionis Antiochi in Aegyptum haud obſcure intendetur. *Cum enim poſt mortem Cleopatræ Eulalius eunuchus, nutritius Philometoris, & Lenæus Aegyptum regerent*, inquit ex Porphyrio Hieronymus, *& repeterent Syriam, quam Antiochus fraude occupaverat: ortum eſt inter avunculum & puerum Ptolemæum prælium.* Quod autor ſecundi libri Maccab. *a* quoque innuit: ſed apertius tradunt Polybius *b*, Diodorus Siculus *c*, ac Livius *d*; nec res ignota, aut dubia eſt. Copias vero Philometoris plane fuiſſe peſſumdatas, viresque fractas, totumque fere regnum cum ipſo rege, animi jam deſpondente, in Antiochi poteſtatem veniſſe, de quo mox, unico Diodori Siculi *e* teſtimonio, cum res certa & nota ſit, adſeruiſſe ſuffecerit. *Antiochus rex*, hæc ejus verba ſunt, *fuſos fugatosque Aegyptios, cum ad internecionem delere omnes poſſet, equo circumvectus eos occidi vetuit, ſed potius vivos comprehendi juſſit. Cujus conſilii brevi maximum fructum retulit. Namque ob hanc maxime humanitatem & Peluſio, & paulo poſt univerſa Aegypto eſt potitus.*

§. XCVII. *Secunda* pars, hoſtilia in Judæam gentem molimina continens, pauciſſimis hisce verbis proponitur: *& etiam anteceſſor foederis*, vel *& glomeratio anteceſſoris foederis*, ſcilicet inundabitur & confringetur; ex præcedentibus. Quibus in verbis exponendis adeo fluctuarunt Interpretes, ut quicquid ſub manus modo venerit adripuiſſe videantur, & lectorem longe incertiorem, quam fuerat, relinquant. Cujus rei ante dabo conſpectum aliquem, quam verum ex mea opinione ſenſum definiam. Etſi cum præcedentibus communiter connectant, ut feci,

a c. IV: 21. *b* Legat. 71. p. 1238. *c* Excerpt. legat. 18. *d* l. XLII. c. 29. *e* Excerpt. Valeſ. p. 320.

nonnulli tamen cum ſequentibus copulant, vel ſeorſim ſtare autumant. Ad ſequentia referunt ill. Grotius & Coccejus, qui Demetrium, Seleuci Philopatoris filium, obſidem Romæ retentum, ac fraude Antiochi Epiphanis circumventum, hic ob oculos ſiſti autumant. Quibus adſenſum præbere nequeo, 1. quod titulus *ducis foederis* in *obſidem* minus recte conveniat; nec ei dari ſoleat. Pignoris inſtar eſt, & vinculum foederis, non ejus *princeps*; quare obſides *filii fidejuſſionum*, בני התערבות, adpellantur in Script. S. *a*, nusquam *duces foederis*. De *foederato principe* ſimpliciter intelligere, quod voluiſſe videntur Docti Viri, vetat quoque phraſis, quam ipſe Grotius *b* alibi rectius longe expoſuit de *principe foederis*; qualis nullo ſenſu fuit Demetrius. 2. Demetrio qua ratione impoſuerit Antiochus, difficulter quoque explicatur. Romam enim obſes miſſus eſt ab ipſo Patre, in locum Antiochi, Demetrius, & deinceps a Romanis retentus. 3. Ne dicam, de ſpeciali foedere ſeu adſociatione, cujus mox mentio fit, inter Demetrium, ſeu Seleucum fratrem ejus, & Antiochum, nihil quoque conſtare; nec erat id tanti, ut hoc ſpeciatim nomine fratrum conjunctio memorari debuerit.

§. XCVIII. Longe rectius, ni fallor, ſi verba cum ſequentibus cohæreant, vel ipſe *Antiochus*, vel populus *Romanus*, per *ducem foederis* intelligeretur; Antiochus hoc ſenſu: *& etiam dux foederis* factus, *etiam ex conſociatione ſponte facta*, *ipſi dolos ſtruet*, Philometori nimirum. *Populus* Romanus hanc in mentem: *& duci foederis*, *populo Romano*, *ac ex conſociatione cum ipſo*, ſeu cuicunque alii ipſi adſociato, Philometori in ſpecie, *fraudes faciet*. Titulus utique *ducis foederis* a neutro alienus eſt, non ab *Antiocho*, quia ipſe bello ſuperior, cum Philometore, tanquam inferiore, inæquale foedus fecit, & ejus in poſterum *patronum* agere præ ſe tulit; ſed in fraudem, nil niſi *ſervitutem* ſub

a 2 Reg. XIV: 14. 2 Chron. XXV: 24. *b* Jur. B. & P. l. 2. c. 8. §. 21.

ſub ſpecie foederis meditatus; ut ad verſ. 27. exponemus. Ipſe ergo *dux foederis* recte dolos ipſi, ſecum adſociato, ſtruere dici poſſet. Nec a *populo Romano* abhorret, quin ei univerſaliore ſenſu convenit, quia populorum quaquaverſum, in ſocietatem receptorum, & ſuperior foederatus erat, cujus *majeſtatem conſervare* debebant, & ſupremus *patronus*, Ptolemæi quoque & Aegyptiorum hoc tempore quaſi *tutor*; rectiſſime itaque & abſolute *dux foederis*, & ſuperior & patronus. Quod variis teſtimoniis & rationibus, ſi in eo pedem figerem, emunire ac illuminare poſſem. Egit quoque cum hoc *duce foederis*, quam perſonam & ipſius reſpectu, a tempore Antiochi M., geſſit populus Romanus, *ſimulate*, ut ſupra jam obſervavi, & mox ulterius firmabo. Hæc licet ſpernenda non ſint, in iis tamen acquieſcere non auſim, cum quod ſtructura orationis fiat durior, quam ut a perito linguæ forte concoqui poſſit, tum quod phraſis נגיד ברית *anteceſſoris foederis* ſit auguſtior, majoreque polleat emphaſi, in primis vox *foederis* in hoc capite, quam ut ad Antiochum, aut Populum Romanum, aut aliquem a *foedere ſancto* ac *divino* alienum, adplicari poſſit, debeatve. *Foedus* enim hic eſſe Divinum, & ad Judæum pertinere populum, partim ipſa vox abſolute poſita, partim diſtinctio ejus ab *adſociatione*, מתחברות, quæ mox ſequitur, partim conſtans in hoc cap., ut verſ. 28, 30, 32, & c. ix: 27. uſus, nos non videtur dubitare ſinere.

§. XCIX. Quæ ipſa *foederis* ſignificatio, quam recte quoque, ut poſtea vidi, obſervavit Vir Doctus, Conradus Graſerus [a], eum ipſum movit ad verba hæc ſeorſim ſumenda, &, cum aliud non ſuppeteret, de Antiocho Epiphane, tanquam hujus foederis ſancti *adverſario*, interpretanda: hoc ſenſu, *& etiam adverſarius foederis ipſe*, per ellipſin intellecta vocula הוא *ipſe*, pro *erit*: non ſine adluſione, ut putat, ad nomen *Antiochi*, quod ἀντιοχῦντος adver-

[a] In cap. IX. Dan. Exercitat. III. p. 238.

adverſantis, *renitentis*, ſignificationem habet, & ut principaliter reſpiciatur ad typum *Antichriſti*, quem geſſit, qui ἀντικείμενος adpellatur Paulo *a*. Ingenioſe profecto! at nimis ſubtile, quod de nomine *Antiochi* protulit, nec Græcis ἀντίοχος, ſed ἀντίξοος eſt ἐναντίος, ἀντίπαλος *adverſarius*, ut Heſ. habet: qui quidem ἀντιοχεῖ reddit ἐναντιοῦται; ſed ἀντίξοει eſſe reponendum, Summus in hac arte Vir, Hemſterhuiſius noſter, jam notavit *b*. Res ipſa, quantopere adblandiatur, vereor ut palato præſtanti ſapiat. Præterquam enim quod nimis abruptus fiat ſermo, & longe facilior ſit cum præcedentibus ſtructura, phraſis נגיד ברית *ſtrenuus dux foederis*, pro ejus *adverſario*, ac *oppugnatore*, nec genio linguæ, nec uſui Scripturæ conformis eſt. Proprie נגיד *eminentem* virum & *principem* ſignat, a radice, cujus proprietas eſt, *eminuit ante oculos*, ut Cl. Schultens *c* notavit, unde & נגד *coram*, & הגיד fecit ut aliquid ante oculos evidenter adpareat, unde *nunciavit*, *indicavit*, *publicavit*. In ſpecie נגיד *principem* dicit *fortitudine* ac *magnanimitate* eminentem, ſtrenuum quoque ductorem, ac animoſum invictumque bellatorem; ut Job. XXXI: 37. 1 Sam. IX: 16. Dan. IX: 26. & alibi. Sicut vero *ſtrenuus* dux & imperator æque *contra* aliquem eſt, ac *pro* eo; flecti poſſit pro vario uſu & ſtructura in malum, ut Job. XXXI: 37. *ſicut* נגיד *anteceſſor cum eo congrediar:* phraſis tamen *dux populi*, aut *foederis*, nuſquam venit, nec poteſt commode, pro *adverſario* & *oppugnatore* populi, aut foederis, ſed ſemper *propugnatore*, ac anteceſſore ſtrenuo. Sic נגיד עמי *dux populi mei* 2 Reg. XX: 5. & נגיד על עמי, 1 Sam. IX: 16. nec ipſum נגיד abſolute poſitum alio ſenſu ac bono, de duce tantum & anteceſſore, nuſquam de *hoſte* uſurpatur, ut ubi Meſſiæ *d* adplicatur, & Imperatori Romano *e*, hoc ipſo etiam in libro. Putat quidem Vir Doctus *adverſantis*

a 2 Theſſ. II: 4. *b* in noviſſ. Heſ. editione ad ἀπαντίζομαι.
c ad Harir. conſ. 3. p. 154. & clav. p. 198. *d* Dan. IX: 25. Jeſ. LV: 4. *e* Dan. IX: 26.

ſantis ac *obteſtantis* poteſtatem non eſſe ſeponendam locis citatis, ubi de Meſſia agitur; ſed ſine ratione: licet immorigeris ex populo ſeſe talem præſtiterit Chriſtus vi muneris, ut ſolet Imperator exorbitantibus militibus. Sed *adverſarii* ſignificatum plane non admittit. multo minus, in hac vel ſimili phraſi, quæ hic reperitur.

§. C. Vertamus itaque nos ad eos, qui verba noſtra cum præcedentibus jungunt, & num *ducem* hunc, coram Antiocho fractum, monſtraverint, diſpiciamus. In duas ſcinduntur partes Interpretes, quorum alii ad *foedus* inter Syros & Aegyptios, alii ad Divinum foedus cum Judæis, oculos flectunt. Priores, ne omnium luſus proferam, vel in Ptolemæum Philometorem, foedere Antiocho junctum, ſed ab eo confractum, mentem defigunt, ut Munſterus, Vatablus, Maldonatus, & alii, vel Tryphonem, neſcio quem, ex tenebris producunt, unum ex magnatibus Aegyptiis, qui autor novi foederis inter Antiochum & Philometorem fuiſſet, quo ille hujus tutor eſſet factus, mox ab Antiocho e medio ſublatus. Neutra ſententia verum tituli, *ducis foederis*, ſenſum præſtat, ut ex ſupra dictis facile conſpicitur: non enim foederatum ſimpliciter, aut foederis conciliatorem, ſed ſtrenuiſſimum principem, qui foedus tutatur & vindicat, deſignat: qualis nec Ptolemæus, qui præterea Coeleſyriam repetendo, ac bellum incipiendo, antiquum foedus, tempore Antiochi M. initum, rupit, nec Tryphon, ſi vel foederis ineundi autor fuiſſet, haberi ulla ratione poterit. Sed Tryphon, quem neſcio qua autoritate in ſcenam produxerunt, Junius, Piſcator, Launæus, Belgæ quoque noſtri, & Gejerus, alii, fictitius eſt, a nullo probatorum ſcriptorum memoratus. *Tryphonis hujus, tanquam autoris foederis, meminiſſe Appianum*, quum Gejerus dicit, fontem erroris, quem Docti Viri errarunt, nobis detegiſſe videtur. Nullus enim apud Appianum occurrit Tryphon præter illum *a*, qui Antiochum,

a Syr. p. 213.

tiochum, Alexandri Balæ filium, in regnum Syriacum introduxit, illudque ipſe *tutoris* primum nomine adminiſtravit, mox, regio diademate ſumto, ſibi rapuit, ab Antiocho Sidete dein occiſus. Cujus & hiſtorici, & I Maccab. XII. & Joſephus, meminerunt. Quæ ab hoc tempore longius remota ſunt; nec huc quadrant. Occurrit Tryphon aliquis Ptolemæo Epiphani in *deliciis*, *ad ſcommata factus*, apud Joſephum [a]: ſed cujus hic nulla poteſt haberi ratio. Meminit etiam Hieracis alicujus Antiocheni, inſignis paraſiti & adulatoris, qui apud Ptolemæos, Euergeten & Philometorem, multum potuit, & dein ab uno eorum interfectus eſt, Poſidonius apud Athenæum [b]; qui fuerit ne idem ac Tryphon Joſephi neſcio. *Hieracis* ſeu accipitris, & *Tryphonis* nomina, tanquam paraſiti & ſcurræ cognomina, non adeo diſtant: ſed tempora videntu remotiora. Regni vero Aegyptiaci adminiſtratores, Pto lemæo minorenne, Hiſtoria memorat *Eulalium* & *Leneum* nullum *Tryphonem*.

§. CI. Supereſt, qua ratione ſeſe expediant qui *foedu ſanctum* recte intelligunt, videamus. Alii, Porphyriun ſecuti, de Juda Maccabæo, alii, Theodoreti veſtigia prementes, de Onia III. a Jaſone fratre de Pontificatu ope Antiochi deturbato, eodemque Jaſone iterum a Menelao ſupplantato intelligunt. *Judam* Maccabæum, *ducis foederis* titulo digniſſimum licet, quominus admittamus, hiſtoria impedit. Tantum enim abeſt, ut coram Antiocho fractus ſit, ut res Judæorum contra ipſum ſtrenue fuerit tuitus, & ſacra inſtauraverit, ac Antiocho ſupervixerit. Onias quidem probus juſtusque vir fuit, ſed non ſtrenuus foederis Divini dux aut defenſor, quem Pontificatu quidem, autoritate Antiochi munitus, Jaſon privavit; ſed per *Andronicum*, primarium aulicum Antiochi corruptum a Menelao, abſente, & dein improbante ac vindicante hoc ſcelus, ipſo Antiocho, trucidatus eſt: uti ex 2 Maccab.

a Ant. l. XII. c. 4. b l. VI. p. 252.

cab. IV. conſtat. *Jaſon* vero intruſus Pontifex, & apoſtata proditorque foederis ſancti, qua ratione *dux foederis* dicendus ſit ignoro. Rectius itaque Mattathias, pater Maccabæorum, qui primus cauſam religionis & populi oppreſſi vindicandam ſuſcepit, & per annum tuitus eſt, in cenſum veniret, qui ἄρχων ϗ ἔνδοξος ϗ μέγας *princeps & clariſſimus & magnus in populo* adpellatur [a], jam initio perſecutionis; dein quoque ἄρχων [b], dux zelotarum legis factus; quique in medio opere, ſtante Antiocho & perſequente, *mortuus* eſt. Atenim cum nec *fractus* dici poſſet, multo minus ab Antiocho, ejusque ope, ne in eo pedem figere licet. ne dicam, tanti non fuiſſe ejus mortem, ut *ducis foederis* coram Antiocho fracti emphaſin explere poſſit.

§. CII. Majorem profecto mereretur animadverſionem, ſi tam verum, quam vulgatum eſt in ſyſtematibus nonnullis Hiſtoriæ ſacræ, Davidis poſteros poſt Serubabelem ſupremos fuiſſe Judæorum reducum Duces, usque ad Jannam II. cognomento Hyrcanum, poſtremum ex familia Davidis, ab Antiocho Epiphane debellatum: in quo celebritas & dignitas ſtirpis Davidicæ concidiſſet, & *radix Iſai* facta fuiſſet *truncus exciſus*, ſecundum Jeſ. XI: I. ut C. Gualtherus [c], Funccius [d], Gutberletus [e], & alii confidenter admodum tradunt. Quem in caſum quam apte conveniret, memoratu quoque digniſſimum, *ducem foederis* coram Antiocho *fractum* fuiſſe, in Davidica familia acciſa, in omnium oculos incurrit. Sed, quæ de ducum ſtirpis Davidicæ ſucceſſione, poſt exilium Babylonicum, mortuo *Serubabele*, referunt, quos ad 15 numero ex Chriſti genealogia apud Luc. III. recenſet inter alios Alſtedius [f], dudum a Doctis, tanquam nullo nixa fundamento, ex-

[a] I Macc. II: 17. [b] Joſ. Ant. l. XII. c. 6. & B. J. l. I. c. I. [c] Annot. in Hegeſippum, ad præfat. [d] comm. in Chron. l. III. p. 52. [e] Chron. p. 166. [f] Theſaur. Chron. p. 4.

exploſa ſunt, & Joſephus *a*, principatum in familia Davidis ad 21 generationes extendens, diſerte contradicit; ſummumque in Civitate & Eccleſia regimen fuiſſe penes Pontifices demonſtratum eſt: uti jam fecerunt inter alios Doctiſſimi Viri, Phaletranus *b* & Megerlinus *c*. Tota vero illa traditio originem ſuam debet libro Judaico, *Seder Olam* dicto, ſeu *Chronico minori* Judæorum, cui nemo fidat, & Pſeudo *Philoni*, autori fictitio Annii Viterbienſis, in *breviario* temporum. Quod vero Joſephi autoritatem ad Hyrcani ducatum & fatum corroborandum advocent, in eo vehementer falluntur. Hyrcanum quidem Joſephi filium memorat Joſephus *d*, ſed nec ex tribu Juda fuiſſe, nec ducem populi, verum exigendis tantum vectigalibus Syriæ, Phœnices ac Samariæ, præpoſitum, τελωνάρχην, nec ab Antiocho Epiphane occiſum, ſed metu ejus ſibi manus conſciviſſe, narrat. Præterea ex tribu, non Judæ, ſed Benjaminis ortum habuiſſe Tobiam, cujus filius fuit *Joſephus* iſte, haud improbabiliter ex 2 Macc. III. 4. collato cum Joſepho, colligi poteſt. De quo plura non dicam.

§. CIII. Significatu vocis *foederis* pro divina religione, a Deo per Moſen inſtituta, & verborum nexu cum præcedentibus ſervato, quod utrumque ex ſupra diſputatis faciendum eſſe patet; ex mea ſententia, ut tandem in portum veniamus, referri poſſent verba, *& etiam dux foederis* coram eo confringetur, ad ſtrenuos quoſcunque anteceſſores, legis ſtudioſos primarios, qui ſuo ſtudio & religionis patriæ autoritatem tutati ſunt, & aliis exempla imitanda præbuerunt, coram Antiocho, religionis Judaicæ oppreſſore & perſecutore acerrimo, partim occiſos, partim diſſipatos; voce *ducis* collective pro quibusvis legis ſtudioſis celebrioribus ſumta. Quales haud inepte *anteceſſores foederis* adpellari poſſent, quia in foedere tuendo *præiverunt* aliis, ſeſeque *ſtrenuos* ac invictos pro lege *bellatores* ad

a Ant. l. v. c. 9. § 4. *b* de ablatione Sceptri Judaici cap. II.
c Comm. in tabulam Mathem. Hiſt. cap. 9. *d* Ant. l. XII. c. 4.

ad mortem usque demonſtrarunt. Quam ob cauſam non *duces populi*, ſed *anteceſſores foederis* vocantur, quia in foedere defendendo præ aliis eminuerunt. Qui mox המשכילים, verſ. 33, 35. *doctores* dicuntur, *qui corruerent gladio*, *flamma & captivitate*. De quibus poſtea, ſuo loco. Sit nunc exemplo Eleazarus, *unus de primoribus Scribarum*, 2 Macc. VI: 18. ſeu *profeſſione* νομικὸς *legisperitus* Joſepho, ſeu ſcriptori Maccabaicorum, dictus; cujus martyrium ibi narratur.

§. CIV. In eo etſi acquiescere poſſum, cum perſecutio Chaſidæorum ac legis adſeclarum, hic plane ſuo loco, in ſummaria propoſitione, memoraretur, poſtea latius deſcribenda, nomen quoque ſing. num., *dux foederis*, collective pro pluribus & quibusvis nihil habeat inſoliti, aut difficilis: neſcio tamen quem ſcrupulum injiciat, cum ſplendidus *anteceſſoris*, pro *duce*, & ſummæ dignitatis ac poteſtatis viro, uſurpari ſolitus, Meſſiæ quoque, in hoc libro, c. IX: 25. tributus, titulus, tum num. ſing. non ſine ratione & emphaſi, pro more noſtri autoris, poſitus, ut videtur. Rem itaque accuratius verſanti ſuccurrit nobilior, & amplioris ſenſus, hypotheſis; quam ut ſilentio premam, non poſſum. *Dux foederis* mihi eſt Meſſias ipſe, alias *Angeli Jehovæ*, & *angeli foederis* [a], ac *ducis populi*, ſimilibusque titulis in Script. notiſſimus; qui & נגיד *dux* & alibi [b], & hoc ipſo in libro c. IX: 25., שר-שרים *princeps principum* in hac ipſa de Antiochi infeſtationibus, tanquam quæ ipſum etiam ferirent, prophetia c. VIII: 25. adpellatur. Quo titulo eo aptius hic venit, quod, ab Antiocho in vicariis ſuis ac populo ad tempus oppugnatus & fractus, virtutem ſuam qua Dux populi, & foederis fortiſſimus vindex, per Maccabæos ſingulari modo exſeruerit, ut poſtea patebit: quare mox *Michael*, *dux ille magnus*, *qui ſtat pro filiis populi Judæi*, inſignitur, c. XII: 1. eamque ob cauſam *Jehova exercituum* frequenter admo-

a Mal. III: 1. b Jeſ. LV: 4.

dum in prophetiis Zachariæ, de his ipſis temporibus agentibus. *Foedus* itaque, abſolute & κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, præſtantiſſimam, & ſingularem ac utiliſſimam ſignat adſociationem, eo nomine præ aliis quibusvis pactis digniſſimam, inter Deum & populum Israelem ſolenniter initam; mox *a* *foedus* non tantum abſolute quoque, ſed & *ſanctum* *b* denominatum. Nec abſimili ſenſu, *liber foederis* *c*, *arca foederis*, & ſimiles in Script. locutiones; ut ubi Israelis eſſe dicuntur αἱ διαθῆκαι *foedera* *d*. Quam emphaſin hoc loco quoque confirmat, quod mox, verſ. 23., & ſupra verſ. 6. de hominum conſociationibus mutuis Propheta verbo alio, התחבר, utatur, ut discrimen indicaret. Hujus *foederis*, quod & leges & promiſſa, quibus resp. & religio Judaica, utriusque proſperitas, innixa erat, quum Meſſias, qua Angelus Jehovæ ſub V. T., adpellatur נגיד *anteceſſor*, duxque & vindex ſtrenuiſſimus, & invictus, eum 1. partem eſſe ſuperiorem foederis, imperio ſimul & autoritate ſuprema præditum, quales *foederis duces* adpellari ſolent, ſignificatur, 2. ab ejus quoque cura & tutela foederis, & populi foederati, firmitatem ac durationem dependere, 3. illos denique omnes, qui populo & reip. ac Eccleſiæ adminiſtrandæ, ac conſervandæ, & proſperitati procurandæ inſerviunt, ſive duces ſint, ſive pontifices, ejus eſſe vicarios: quod luculentius conſpicitur, quum, ut hoc tempore fuit, perſonis ſacris hæc provincia eſt demandata; ſeu non *regum*, ſed *ducum* perſonam ſuſtinent ſupremi rectores: ſicut ante regnum in Israele, & poſt exilium Babylonicum res ſeſe habuit, regno licet obtinente non plane abolita. De quo alibi *e* me diſſeruiſſe memini. Forma regiminis Judaica fuit, uti conſtat, vera θεοκρατία *Theocratia*. Quod nunc verbo tetigiſſe, ſuffecerit. 4. Foederis denique executionem, in promiſſis diſpenſandis, ac minis implendis, cujus utriusque luculen-

a verſ. 32. *b* v. 28, 30. *c* 1 Macc. 1: 57. *d* Rom. IX: 4. *e* in Comm. ad Gen. XLIX: 10.

culentius, quam unquam, ſpecimen dedit hoc tempore, ipſi eſſe demandatam.

§. CV. De hujus *ducis* fractione coram Antiocho antequam agam, vocis וגם *& etiam*, vel & *glomeratio*, emphaſis eſt enucleanda. Admittit enim & particulæ *etiam*, & nominis, ſeu *glomerationis*, ſignificatum; eſt enim proprie ſubſtantiva vox ſegolata גֶּמֶם, contracta גם, a radice גמם. Quæ, cum vicinis גמה, גמי, & גמא, originem habet in *glomerando*, quo alterum alteri adjungitur, unde *accedere* numero aliorum, & in ſpecie de puteo abundante, cujus aqua continuo adfluit, unde pro vigore inexhauſto, curſu ſeſe ſemper ad majorem alacritatem animante, in genere vena ſeu virtutis, ſeu liberalitatis, ſeu alterius rei, copioſa, & continuo adfluente adhibetur: unde quoque particulæ *etiam*, quæ rei additionem, qua aliquid alteri adjungitur, continet, uſus facile derivatur. De quibus omnibus conſuli velim Cl. Schultens [a], qui ſubſtantivum גם pro *vigore currendi ſeſe animante* feliciter reſtituit Prov. XIX: 2. Quam formam & poteſtatem & hic negligendam nolim. Licet enim particula *etiam* locum tenere poſſit, ut ſenſus ſit, copias viresque Aegyptiorum non tantum coram ipſo inundandas ac frangendas eſſe, ſed *etiam* invictum alias *ducem foederis Divini*, in populi ejus ac foederis violatione ac deſtructione pro aliquo tempore; ſicut *ſtaturus* diſerte dicitur Antiochus *contra principem principum*, & *populum ſanctorum corrupturus*, cap. VIII: 24, 25. attamen majorem emphaſin, & faciliorem ſenſum adfert vox ſubſtantiva גם pro *glomeratione* ſeſe ſemper renovante: cui haud parum momenti addit conſtructio cum נגיד *anteceſſore* ſtrenuo, qui populo præit; cui glomeratio, ſeu *vigor currendi*, qui etiam Prov. XIX: 2. & Hab. I: 9. reſidet, eadem quippe metaphora ſervata, aptiſſime convenit, nec non venæ adfluentis ſignificatio

a ad florileg. ſentent. p. 174. ad Harir. conſ. VI. p. 227. ad Prov. XIX: 1.

tio præcedenti *aquarum inundantium* & *abſorptarum* figuræ.

§. CVI. Conjungamus utramque ſignificationem, vertendo, *& etiam glomeratio ducis foederis* frangetur coram ipſo, ſeu Antiocho, & ampliſſimum phraſios ſenſum, rei, de qua hic agitur, adprime congruum, in lucem edamus. Ubi α. legitima, & huc usque continua, ſummorum reip. ac Eccleſiæ Rectorum, ſeu Pontificum Judæorum, ſucceſſio, ope Antiochi Epiphanis intercepta, ſeſe offert: quam *ducis foederis*, in primis *glomerationis* ejus, quæ eſt ipſiſſima ſucceſſio, ſupremique Ducis perpetuus, ſeſeque ſemper renovans, inceſſus inter Judæos, *fractionem* recte dixeris. Cum enim ſupremus foederis dux in legitimis reip. & Eccleſiæ rectoribus, ac ductoribus, ſeſe conſpiciendum præbeat, & per eos omnia adminiſtret; *glomerare*, ſeſeque indeſinenter renovare, cenſetur, cum non interrupta viget Pontificum, qui nunc vicarii erant rectores, ſucceſſio. Qua ſerie per intruſos, pravis artibus alios ſupplantantes, rupta, dux, ejusque glomeratio recte exiſtimatur fracta. Quod cum hoc tempore ope & autoritate Antiochi Epiphanis factum fuerit, *coram ipſo* fractus commode dicitur Dux foederis: cumque illud ſingulare fuerit, nec antea contigerit, illamque ſucceſſionem, tanquam ad reip. ſalutem neceſſariam, requirat *foedus;* ejus rei interceptio digniſſima erat, quæ hic locum inveniat. De re ipſa ex hiſtoria Maccabaica ſatis conſtat, ut vix verbis opus ſit. Oniam III., legitimum Pontificem, ſimul juſtum & probum *a*, verum ducis foederis vicarium, ſub quo civitas & religio ſtatum egregie tuita eſt *b*, loco movit frater ejus *Jeſus*, mox *Jaſon* cognominatus, per Antiochum; a quo Pontificatum inſigni pecuniæ ſumma emerat: uti autor libri Maccab. *c* & Pſeudo-Joſephus *d*, qui Antiocho id diſerte tribuit, tradunt. Ipſe Joſephus *e*, Jaſo-

a 2 Macc. III: 1. IV: 37. *b* ib. III: 1. *c* ib. IV.
d de Maccab. § 4. *e* Ant. l. XII. c. 5.

Jaſonem ab Antiocho accepiſſe Pontificatum, agnoſcit quidem; ſed mortuo Onia id accidiſſe refert: in quo ipſum falſum eſſe, communiter ſtatuitur. Quo de quicquid ſit, in Jaſone, a Menelao, alias *Onia* quoque dicto, ſupplantato per Antiochum, id factum fuiſſe, præter autorem libri Maccab. *a*, diſerte tradit Joſephus *b*, qui & alibi *c*, Antiochum primum fuiſſe, qui hac parte *legem ſolvit*, teſtatur. Quod majore adhuc emphaſi feciſſet, ſi Menelaus fuerit Benjaminita, quod tradit autor libri *ſecundi* Maccab. *d*: ſed Joſepho *e*, qui eum fratrem *Jaſonis* adpellat, potius adcrediderim; maxime cum fons erroris patere videatur, in eo quærendus, quod *Simoni* & domui Tobiæ arcta neceſſitudine videatur fuiſſe conjunctus, ut ex ipſo quoque Joſepho colligas. Deinceps, hoc ipſo Menelao, juſſu Antiochi Eupatoris, occiſo, pontificatus a rege in *Alcimum*, licet lineæ non eſſet *pontificalis*, translatus eſt; ut narrat Joſephus *f*. Euſebius in Chron. itaque, eum ab ipſo *genere ſacerdotali alienum* fuiſſe, falſo tradit, niſi ἱερατικὸν & ἀρχιερατικὸν confuderit; recte ab Ill. Scaligero *g* caſtigatus.

§. CVII. β. Secundum fracti *ducis foederis*, ejusque *glomerationis*, coram Antiocho, indicium fuit in *legibus* civitatis ac religionis, quæ vinculum ducis ac populi, virtutem ac nervos regiminis, cauſamque copiæ bonorum, continuo adfluentis, conſtituebant, & Theocratiæ fundamenta erant, partim per inſtitutorum gentilium mixturam commaculatis, partim abolitis & disjectis. Quod ipſi illi intruſi & illegitimi vicarii ducis, vim ac vigorem ejus proſtituentes, Jaſon & Menelaus, inceperunt, & Joſepho, & autore librorum Maccab., locis citatis, teſtibus, ut Antiochi gratiam aucuparentur, dein ipſe Antiochus ſua infeſtatione, ac perſecutione perfecit. De quo poſtea

 pluri-

a l. c. *b* l. c. *c* Ant. l. xv. c. 3. *d* c. iv: 23. coll. iii: 4. *e* Ant. l. xii: 5. xv: 3. *f* Ant. l. xii. c. 9. *g* ad Euſ. p. 143.

pluribus agemus. Quo facit, quod *parvum cornu* ſe *extu-liſſe* dicitur contra *principem principum*, cap. VIII: 25. nec non, quod *usque ad principem exercitus illius ſeſe extulerit*, *& ab ipſo abſtulerit juge*, *& projectum ſit habitaculum ſanctitatis ejus*, c. VIII: 11. ubi videri velim Diſſ. noſtram *ſextam* [a] ad *vaticinia Danielis*. Quod ipſum verſ. 31. noſtri cap. expreſſe prædictum exſtat. Addere liceat, *ducem foederis* eo aptius dici *fractum* cum ſua *glomeratione*, quod, *theocratia* cum legibus & *libertate* populi abolita, Judæa fuerit Syriæ, inſtar provinciæ, adjecta, & imperio alieno Syriaco ejusque legibus plane ſubjecta, ut *alii Domini præter Jehovam*, ſupremum ducem, ei *imperioſe dominati ſint*, ſecundum vaticinium, ad hoc ipſum tempus pertinens, Jeſ. XXVI: 13. γ. Fractus denique eſt ſupremus foederis dux cum ſua glomeratione in toto populo miſere adflicto, occiſo, ſpoliato, & diſſipato, univerſa civitate plane ſoluta & peſſundata, aliis etiam a religione deficientibus; in primis in præclaris illis legum ſtudioſis ac zelotis, quos *anteceſſores* quoque *foederis* adpellari poſſe modo obſervavi, martyrio partim adfectis, partim patria, & poſſeſſione ſua, excuſſis. Quæ omnia, mox latius deducenda, licet phraſi, *fracti ducis foederis*, recte comprehendantur, ut ex dictis facile adparet, faciliores tamen intellectus forte haberent, ſi nomen עם *populus* ante נגיד *anteceſſorem* mente intelligatur; quod omiſſum cenſeri poſſet propter voculam ejusdem fere ſoni גם, ab ea abſorptum. Utique & ſupra c. VIII: 24. diſerte memoratur עם קרשים *populus ſanctorum*, & hoc ipſo capite v. 32. *populus agnoſcentium Deum ſuum*. Quod tamen non urſerim.

§. CVIII. *Tertia* pericopæ pars, fraudulenta ejus molimina contra expreſſam adſociationem, quin anſa inde arrepta, continens, eo tendit, ut marte non magis, quam vaferrima arte, Antiochum in Aegyptiis ac Judæis confringendis, de quibus modo egerat propheta, uſurum eſſe,

regnum-

a §. XXXI.

regnumque, quod modo etiam declaraverat, *blanditiis firmaſſe*, adpareret. Quo hæc verba, ſuperioribus recte ſubnexa, collineant, verſ. 23. *& ex conſociatione cum ipſo faciet fraudem*. Quæ huc redeunt: aperto marte non tantum cum populis vicinis aget, multo minus juſta de cauſa eos opprimet, ſed & fraudulenter contra pacta ac conventa, & ſub ſpecie amicitiæ, ac poſt adſociationes factas, ex ipſa conſociatione occaſionem nactus, ea omnia aget, ſimulatione & vafritie in omnibus pactis, cum quibuscunque initis, uſurus. Verba enim ſunt generalia, nemine expreſſe nominato, quocum ſocietatem iniret, ut de quocunque conſociato cogitaremus, nec ad hos illosve reſtringeremus: nec apertas invaſiones hoſtiles contra pacta conventa tantum proponunt, ſed & partim mendaces fraudulentasque eorum interpretationes, partim pernicioſa molimina ſpecie amicitiæ velata, & ſimulata ſociatione peracta, partim multiplices fraudes, in ipſa confoederatione patratas, ad hoſtilia ſua conſilia efficienda, conſpiciendas præbent. *Facere dolum*, ut recte Gejerus, *ſtudium exprimit ſingulare, multiplex, indefeſſum ac diuturnum;* ita ut in eo totus ſit, ei unice fere & per omne tempus incumbat. Dolum vero *ex conſociatione ad ipſum*, vel *cum ipſo*, ſcilicet Antiocho ipſo, qui hic omnino intelligendus eſt, cum nullius mentio fuerit facta, quo *relativum* referri poſſit, *facere*, ſignificat partim adſociatione facta, ſeu poſt eam, id agere; qui ſatis uſitatus eſt particulæ מן *ex* uſus, partim *eam doloſe* inſtituere, & ex ea occaſionem pravarum actionum & moliminum contra foederatos, aliosque, ſumere. Quod proprie eſt, *ex* vel *de* adſociatione facere fraudem. Ipſa vocis forma ſingularis ex Hitph. התחברות ad fictam & ſimulatam confoederationem nos ducere apta nata eſt, cum forma Hitph. *fictitiam* perſonam induere notet aliquando, uti notum eſt. Cum vero neminem exprimat Propheta, quocum ſocietatem iniret Antiochus; cum *quocunque* ita acturum eſſe vaferrimum

rimum regem, quem ſibi adſociaverit, inſinuatum voluit. Plura ad verba, recte paſſim explicita, non addo illuſtranda.

§. CIX. Inquiramus quo ſpectent, & quam exacte in Antiocho veritatem habuerint? Ad Demetrium, Seleuci Philopatoris filium, Romæ obſidem, per amicos fraudulenter retentum ab Antiocho, nollem adplicuiſſent Viri Doctiſſimi, Grotius & Coccejus, invita phraſi & hiſtoria. Nihil enim de fraudibus Antiochi & Demetrii habet Hiſtoria: nec artibus illis ad Demetrium ibi retinendum opus erat, cum non niſi poſt Antiochi obitum dimiſſionem ſuam tentaverit Demetrius, nec tunc eam a Romanis impetrare potuerit. Phraſis quoque generalior eſt, *ex adſociatione cum illo*, quam ut ad hunc illumve foederatum reſtringi ſe patiatur. Rectius de *Philometore*, in fraudulentam ſocietatem recepto, cujus verſ. 27. expreſſa occurrit mentio, reliqui cogitant Interpretes; modo nec illi intra *bujus* ambitum ſe continuiſſent, ſed ad quoscunque confoederatos extendiſſent. Omnibus, quibuscum Antiocho res fuit, Romanis, Aegyptiis & Judæis, fraudulentum ſeſe & ſimulatum præſtitit *ſocium* ac *amicum*, eaque ſub ſpecie violenta ſua molimina executus eſt, per totum fere regni ſpatium; uti ex variis eluceſcit indiciis, quorum aliqua jam ſupra ad v. 21. in medium adduxi. In principio regni cum Romanis, miſſa legatione, cum tributo non tantum ſed & muneribus, foedus paternum ſimulate & adulatorie renovavit, teſte Livio [a], iisque variis artibus impoſuit, ut ſeſe rebus Aegyptiacis non immiscerent, ipſeque occaſionem haberet regnum illud invadendi. Statim ac Ptolemæus Philometor regno eſſet admotus, ejusque πρωτοκλήσια, vel, ut Polybius [b], cujus ſtilum imitari ſolet autor *ſecundi* libri Maccab., habet, ἀνακλητήρια regis ſolennis inauguratio, & *proclamatio*, ſic enim potius legendum

[a] Lib. XLII. c. 6. [b] Hiſt. l. XVII. p. 1076. & excerpt. legat. 78. p. 1252.

dum eſſe cenſuerim, quam cum Ill. Grotio πρωτοκήρια, cum *longam comam* deponeret, agerentur, amicitiæ ſub ſpecie in regni ſtatum inſidioſe inquiſivit per Apollonium legatum [a]; indeque anſam belli cum Aegyptiis arripuit. De jure in Coeleſyriam cum diſceptaretur, pacta dotalia Antiochi M., quibus eam dotis inſtar cum Cleopatra dederat Ptolemæo Epiphani, ut ſupra vidimus, fraudulenter interpretatus eſt, adeo ut dotem illam factam fuiſſe inficiatus fuerit, & aliis perſuaſerit, uti refert Polybius [b]; qui [c] etiam tradit, per Legatum ejus Meleagrum Romæ teſtantem eum foedera imponere conatum fuiſſe Patribus conſcriptis, acſi *præter omne jus a Ptolemæo invaderetur.* Copiis Ptolemæi ad Peluſium fuſis, ϛραταγήματα, artes regia Majeſtate indignas adhibuit, quæ Polybii [d] verba ſunt; ſeſeque *tam callidum* præſtitit, teſte Hieronymo, *ut prudentes cogitationes eorum, qui duces pueri erant, ſua fraude ſubverteret.* Concinit Joſephus [e], Antiochum, *circumvento fraudibus Ptolemæo Philometore, Aegyptum occupaſſe*, tradens. De quo poſtea. Aegypto juſſu Romanorum cum ceſſiſſet, Romanis qua ratione adulatus fuerit, ſupra [f] vidimus. Hieroſolymam quoque aliquando *vi*, aliquando *dolo* cepit, uti ex locis Joſephi [g] ſecum collatis, in ſpeciem contrariis, ſed hac ratione conciliandis, de quo poſtea, colligitur. Deinde Apollonius, ab ipſo miſſus, ejusque nomine agens, *pace ſimulata, aſtu Hieroſolymam circumvenit*, ut autor [h] libri Maccab., & Joſephus [i], qui id ipſi Antiocho adtribuit, narrarunt. Quæ ſpeciminis ergo ſufficiant.

§. CX. *Quarta* pericopæ pars, quæ de hoſtili ejus invaſione in Aegyptum & Judæam, earumque ſpoliatione, agit, his continetur verbis, verſuum prava diſtinctione

 divul-

a 2 Macc. IV: 21. *b* Legat. 82. *c* Leg. 71, 72. *d* Excerpt. Valeſ. p. 133. *e* Ant. l. XII. c. 5. *f* § XCII. *g* Ant. l. XII. c. 5. B. J. l. II. c. 1. *h* 1 Macc. I. 2 Macc. V. *i* Ant. l. c.

divulſis; verſ. 23, 24. *Et invadet prævalebitque brevi gentem in opimitate, & in pinguedines provinciæ intrabit:* id eſt. Copiis Aegyptiorum fuſis, multaque vafritie uſus, brevi tempore, partim Aegyptiacam gentem ſecuram & opimam ſibi ſubjiciet totam, partim Judæam, ejusque pinguedines & opulentias, in ſuam rediget poteſtatem; ſpoliabitque utramque. Quæ paraphraſis ſicut nexum cum ſuperioribus, ita nobiliora Antiochi facinora in Aegypto & Judæa occupanda & diripienda ſummatim, ut in ſummaria propoſitione decebat, hic depingi, edocet. Primum Antiochi in Syriæ regnum ingreſſum, quo illud ope Pergamenorum, quos largitionibus ſibi devinxiſſet, facili negotio occupavit, Doctiſſimi Viri, Grotius & Coccejus, nulla cum probabilitatis ſpecie intelligunt: cum nec ſeries orationis, quæ jam antea introitum ejus in regnum Syriæ repræſentaverat, hic de moliminibus ulterioribus agit, nec phraſes, quæ in hoſtiles invaſiones & ſpoliationes aliorum populorum tendunt, admittant. Reliqui Interpretes recte quidem ad Aegypti infeſtationem adplicant, ſed, præterquam quod intra *primæ* expeditionis limites male, ut ſupra disputavi, conſtringant, Judææ dilacerationem, quæ in ſummaria propoſitione omitti non poterat, hic non detexerunt, nec in verbis exponendis rem acu tetigerunt. Verſuum enim diſtinctione, vocumque במצעם גוי conjunctione, ac verſione, *parvo aut modico cum populo*, in errorem ducti, Antiochum pauca manu, modicis tantum copiis, cinctum, Aegyptum occupaſſe, prædici autumant. Quod ſeſe tueri, rite exploratum, non poterit. 1. Quia, ſi militares vellet copias intellectas propheta, non גוי *gentem*, ſed עם *populum*, vel חיל *copias*, ut paſſim alias, dixiſſet. Nomen enim גוי *gentem*, & non exercitum deſignat. 2. Quia עלה *adſcendit* tunc nihil haberet, quocum conſtruatur, termino ad quem, ut dicitur, nullo memorato. 3. Quia vox בשלוה, particula conjunctionis &, quæ eo in caſu paſſim adeſſe ſolet, carens, non niſi cum

cum præcedente גוי *gente* connecti poterit commode. Phraſis vero גוי בשלוה pro *gente opima* & *ſecura* facilis eſt & egregia, ut mox patebit. 4. Quia *parva manu* Aegyptum ab Antiocho occupatam eſſe, probabile non tantum non eſt, ſed nec prophetiæ nec hiſtoriæ convenit. Antiochum *magnis* cum *copiis* regnum Aegypti invaſurum eſſe, Propheta ipſis verbis verſ. 25, ubi propoſitionis deductio incipit, declarat. *Modico* cum *populo* ipſum ſubjugaſſe Aegyptum, tanquam ex Porphyrio narrat Hieronymus, ſed non hiſtoriæ, verum propheticæ phraſi, male explicitæ, narrationem adcommodans. Hiſtoria enim omnia contraria habet. Aegyptum intraſſe Antiochum ἐν ὄχλῳ βαρεῖ *gravi cum multitudine* autor *primi* libri Maccab. [a], μετὰ πολλῆς δυνάμεως *cum multis copiis* Joſephus [b] diſerte habet.

§. CXI. Verſuum itaque diſtinctione ſublata, primum verſus membrum eſſe ſtatuamus, *& adſcendet & prævalebit brevi in gentem opimam*; & ad Aegyptiaci regni, poſt copias Ptolemæi Philometoris proſtratas ad Peluſium, ipſumque Ptolemæum fraude circumventum, de quo modo egerat prophetia, verſ. 23, 24. occupationem, fraudulenter, & ſimulata humanitate ac amicitia, breviſſimo tempore ſine bello aut pugna factam, referamus. Quod & phraſibus, & hiſtoriæ exacte reſpondet. In phraſibus, ita intellectis, parum aut nihil difficultatis reſidet, quod noſtra cura indiget. Verba, ועלה ועצם *& adſcendet & prævalebit*, ita cohærent, ut poſterius prioris *modum* & *effectum* exponat, idemque ſit, ac *adſcendet* prævalido exercitu, & ſuperior votorumque compos evaſurus. Quo nihil eſt facilius. Verbum vero עצם, proprie *compactus*, *ſtipatus* fuit, & magnum numeroſumque exercitum, & ingens robur, omnia ſuperans, exprimere ſolet in Scriptura; adeoque illud, ſuperiori, *adſcendere*, additum, eum non parva, ſed copioſa, nec imbecilla, ſed præpotente manu

a c. 1: 17. b Ant. l. XII. c. 5.

manu adſcenſurum ac prævaliturum eſſe, indicat ſenſu facillimo. Vox vero כמעט *in parvo* ſeorſim ſtat, ſeu cum ſuperiore verbo cohæret, *breveque tempus* exprimit; uti מעט haud infrequenter: hic autem potius plene dixit כמעט pro מעט propter litteram מ præcedentem, ne duo מ concurrerent: quod & aliis caſibus vitari nonnunquam ſolet, etiam cum unius omiſſione, uti alibi *a* demonſtravi. Senſus ergo eſt, Antiochum brevi tempore potiturum eſſe Aegypto, & ſine multo labore. Quod tanquam mirabile & dignum memoratu hic recte locum invenit, nec hiſtoria notare neglexit. ταχὺ *brevi*, ϗ καθάπερ ἀκονιτὶ *& fere ſine certamine* in manus Antiochi veniſſe *regnum maximum ac opulentiſſimum* Aegypti, tradit & admiratur Diodorus Siculus *a*.

§. CXII. *Maximum* & *opulentiſſimum* illud regnum Prophetæ in oculis fuit, ubi addit גוי בשלוה *gentem opimam*, proprie *in opimitate*, ſcilicet poſitam; quas voces conjungendas eſſe modo demonſtravi. Quod eſt facillimum. Voce שלוה & *opimitatem* & *ſecuritatem* depingi, ſupra *c* obſervavi. Erat utique regnum, quod nemini non conſtat, opulentiſſimum & ſub Romanorum tutela ſecure videbatur degere; rex quoque Philometor ἐκτὸς γενόμενος τῶν δεινῶν *ab omni remotus periculo*, ut Diodori *d* verba habent, ab Antiocho fraude, ac ſimulata amicitia, circumventus, & præ animi mollitie ſeſe tradidit Antiocho. Conſtructio vero verbi עלה *adſcendit*, cum גוי, pro בגוי *in gentem opimam*, facilior & uſitatior eſt, quam ut moras injiciat. Tantum de orationis ſerie, qua verbum & nomen conſtructum dividuntur, inſertis vocibus *prævalebit brevi*, ne quem offendat, eam nihil habere inſoliti, nonnullis exemplis adſeram; quod me facturum eſſe ſupra *e* promiſi, ubi ſimilis erat ſtructura; qualis etiam occurrit cap. VIII: 12. ut alibi *f* obſervavi. Addamus alia. Gen. XXX: 33. *Et loquetur*

a Diſſ. VI. ad Gen. XLIX. § 261. *b* Excerpt. Valeſ. p. 310.
c ad verſ. 21. *d* l. c. *e* ad verſ. 20. *f* Diſſ. VI. ad Dan. § 24.

quetur pro me juſtitia mea die craſtino, *cum veneris ſuper mercedem meam*, לפניך *coram te:* quæ vox ad primum membrum pertinet. 2 Sam. V: 17. *Et adſcenderunt omnes Philiſtæi ad quærendum Davidem*, *& audit David & deſcendit*, אל המצודה *ad arcem:* quæ voces ultimæ cum verbo *adſcenderunt* omnino cohærent, & non cum proximo *deſcendere;* ut ipſa verba evincunt. Pſ. XLII: 5. *pertranſibo* בסך אדדם *ad domum Dei*, id eſt *glomerato curſu*, ſeu *alacer* (id enim eſt בסך a rad. בסך, quæ *greſſum glomeratum & alacriter textum* continet, quod a Cl. Schultens alibi obſervatum puto.) *ad domum Dei*, & *ubera eorum*, ſc. *vultuum* verſ. 3., *bauriam*, אדדם enim eſt Niph. radicis דדד, unde דד pro *ubere.* Voces itaque *tranſire* cum *alacritate* & *ad domum Dei* ſunt ſejunctæ per אדדם. Jeſ. XXIII: 12. *ad Chittæos ſurge tranſi*, pro *ſurge tranſi ad Chittæos*, ut recte Cl. Commentator, qui ad alium quoque Jeſ. XLVII: 13. locum, ubi eadem conſtructio ſe offert, conſulendus eſt. Am. V: 6. *& conſumet* ignis, *& nemo exſtinguet*, לבית-אל *Bethelem*, ſcilicet conſumet. Alia, quæ facilia ſunt, nonnulla ex multis infra [a] citaſſe ſuffecerit. Poſſem etiam ex auctoribus exoticis ſimilia adferre exempla, ſi neceſſe foret. Sic Herodotus [b], ὐδεὶς γὰρ δὴ ἐπὶ τῦτον τὸν θρόνον ἀνθρώπων ἀναβαίνει *banc enim ſellam nemo mortalium inſcendit.* Sic & alibi [c]. Ex quo alium Herodoti locum [d], ubi Pelasgi aliqui incoluiſſe dicuntur ὑπὲρ Τυρσηνῶν κρηςῶνα πολὶν *ſupra Tyrbenorum Creſtonem*, Cortonam, *urbem*, recte expoſuit Ill., & Eruditione præclarus, Maffei [e], voce *Tyrbenorum* cum *urbe* conjuncta, ut ſit, *ſupra Cortonam urbem Tuſcorum.* Addo unum alterumve ex Platone exemplum. Ita [f] *Protagoras* ἔφη, ἥκει ςὰς παρ' ἐμοὶ *dixit*, *venit ſtans apud me*, pro, mihi adſtans dixit, venit Protagoras; ςὰς cum ἔφη jungi debet; ut ibi recte Stephanus. Sic & ibidem [g]. *Vera*

Aaaa ἔφη,

[a] Deut. XII. 2. 1 Chron. XVII: 21. Pſ. L: 2, 4. Mal. III: 17. Jer. XXXI: 4. Jer. LII: 12. [b] l. VII. p. 397. [c] ib. p. 401. l. ult. [d] l. 1, p. 21. [e] de priſcis Italiæ incolis cap. 13. [f] in Protagora p. 310. [g] p. 354. litt. E.

ἔφη, λέγεις ὁ πρωταγόρας *inquit dicis Protagoras*, pro *vera dicis inquit Protagoras*. Nihil reſtat, quam ut verbo obſervem, Aegyptios Gentis *opimæ* titulo propterea inſigniri, ut præcipuus invaſionis Antiochi in hanc gentem ſcopus & effectus detegeretur, in *ſpoliatione* Aegypti ſitus. Cujus etiam in reditu ejus *cum multa poſſeſſione*, verſ. 28. expreſſa mentio ideo facta eſt. *Diſſipaſſe* quoque eum *divitias eorum* Hieronymus, *ſpolia terræ Aegypti cepiſſe* autor [a] *primi* Maccab. tradit. Plura de expeditionibus ejus in Aegyptum poſtea dicam.

§. CXIII. Subjungit Propheta, *& in pinguedines provinciæ veniet*, Judææ ſcilicet, & Palæſtinæ, ut opinor. nec ſine ratione, cum ne idem repetitum cenſeatur, tum quia phraſes eo tendunt; ne dicam, ſpoliationes Judæorum in ſummaria propoſitione vix omitti potuiſſe; maxime cum eo in primis ſcopo Judæam invaſerit, & id præcipue egerit. Cujus plurima ad manus ſunt indicia, quorum aliqua proferam. Hyrcanus, Joſephi filius, tributis colligendis præfectus, cum ſeſe trans Jordanem contra Arabes aliquandiu eſſet tuitus, ſtatim ac Antiochus ad clavum regni ſedere coepit, ſibi manus intulit, & Antiochus *omnes ejus facultates occupavit*, teſte Joſepho [b]. Opes Judæorum quantopere per impios Pontifices, qui muneribus & donis Pontificatum ab ipſo mercati ſunt, *Jaſonem & Menelaum*, rapuerit, ex ſupra dictis patet. Hieroſolymam vero & Templum qua ratione ſpoliaverit, poſtea videbimus. Hic in rem eſt, Antiochum *avaritia ductum, ut Templum expilaret, foedus cum Judæis violaſſe*, ut verba Joſephi [c] habent, qui & alibi [d] diſerte tradit, *multos & fide dignos* hiſtoricos, quos & citat, teſtari, Antiochum, *pecuniis indigentem, transgreſſum foedera Judæorum, & ſpoliaſſe templum auro & argento plenum.*

§. CXIV. Hoc ipſum eſt, quod prædixit propheta, *& in*

a 1 Macc. 1: 19. b Ant. l. XII. c. 4. fin. c ib. cap. 5. d contra Ap. l. II. § 7.

in pinguedines provinciæ veniet. Provinciæ nomine non ſine ratione utitur Propheta, ut de ſola Judæa, ſub Antiocho in provinciæ formam demum redacta, cogitaremus. Antea quidem fuerat regibus vel Aegypti vel Syriæ vectigalis, & aliqua ratione ſubjecta, attamen *ſociorum* ſub ſpecie, non inſtar *provinciæ*, cum ſuis legibus & a propriis rectoribus, ſecundam domeſticam regiminis formam, gubernaretur. Antiochus vero primus, *duce foederis fracto*, ut ſupra explanavi, Judæam Syriæ coepit tanquam *provinciam* adnectere, ut ad ejus leges adminiſtraretur. Voluit, enim, ut omnes eſſent *unus populus* cum Syria *a*. Miſit quoque *ſeniorem Antiochenum, qui Judæos cogeret a patriis legibus deſciſcere, divinarumque legum uſum* omittere, 2 Maccab. VI: 1. Sed quare משמני *pinguedines provinciæ* expreſſe memoravit? cum, ni fallor, ut *Judææ* characterem figeret, tum ut ſcopum Antiochi, ejusque facinora, depingeret: de quo modo dixi. Judæam vero tanquam optimam & opimam in Script. ubique deſcribi, notum eſt: ſolet quoque hæc ipſa vox *pinguedinis* Cananææ tanquam propria adtribui in Scriptura *b*. Ceterum *pinguia* provinciæ ſunt partim optimi terræ proventus, partim opes & divitiæ, partim denique præſtantiſſimi & ditiſſimi quique in populo *c*. Quæ facilia ſunt.

§. CXV. *Quinta* pericopæ pars, quæ ſingularem plane, & ab inſtitutis majorum longe degenerantem, agendi modum, quem rex teneret, comprehendit, ita habet: *& faciet, quod non fecerunt Patres ejus, & patres patrum ejus, prædam & ſpolium, & poſſeſſionem eorum diſſipabit.* Erroneæ Interpretum de vero pericopæ ſcopo & conſpectu hypotheſes ab horum etiam verborum genuino intellectu eos abſtraxerunt. Ill. Grotius & Coccejus, pericopam ad Syriæ regnum acquiſitum referentes, *largitiones* Antiochi, quibus ſibi milites & ſocios, Attalum & Eumenem, devinxit,

a 1 Macc. I: 41. *b* Gen. XXVII: 28. Jeſ. XVII: 4. Neh. VIII: 10. IX: 35. *c* Jeſ. X: 17. Pſ. LXXVIII: 31. Jud. III: 29.

vinxit, hic depingi autumant. Quod ſicut a ſerie & ſcopo orationis nimium, ut ex ſupra dictis patet, deflectit, ita, ne de hiſtoriæ veritate, quæ tales largitiones ignorat, quid dicam, in ipſas phraſes haud una ratione impingit. Quid enim ejusmodi largitiones habent, quare in ſpecie memorari mereantur? quid in iis ſingulare eſt, quod Antiochum inter & majores diſtinxit, ipſumque ab horum inſtitutis deviaſſe, demonſtrat? Denique phraſis non *largitiones* ad aliorum opem impetrandam, ſed *disſipationes* prodigales ob oculos ſiſtit; ut mox obſervabo. Reliqui, qua Veteres, qua Recentiores, ad Aegyptum ab eo occupatam & ſpoliatam, quod majores ejus vel adgredi non ſunt auſi, vel fruſtra tentarunt, oculos vertunt. Quæ interpretatio graviſſimis premitur difficultatibus. 1. Series ſermonis de Aegypto direpta cogitare vetat, quia verba præcedentia eo etiam ſpectarunt. Hic itaque aliud quid conſignatum exſtet, neceſſe eſt. Quod 2. ipſa phraſis, *facere quod non fecerunt majores*, quoque requirit. Etſi enim Aegyptum ſibi non ſubjecerit aliquis eorum ante Antiochum Epiphanem, cum tamen ſimilia, etiam majora alibi terrarum, fecerint; de Antiocho non poterat generali phraſi, quæ facinora in genere exhibet, dici, *eum feciſſe, quæ non fecerunt deceſſores ejus.* Phraſis præterea non ad heroica & bellica facinora, in populis ſubjugandis, ſed ſingularia & extraordinaria plane inſtituta, a majoribus aliena, quibus ſe proſtituit Antiochus, & degenerem præſtit filium, nos manifeſte ducit: ut facile perſpicitur. 3. Sequentia denique verba, *prædam, ſpolium & poſſeſſionem eorum disſipabit*, quæ ſingularis ejus inſtituti, modo memorati, ſpecimen continent, præcedentia ad Aegypti vaſtationem & deprædationem referre prohibent, cum de propriarum poſſeſſionum, partim ex aliorum ſpoliis, partim ex hæreditate paterna acquiſitarum, temeraria dilapidatione clariſſime agant: ut mox patebit.

§. CXVI. Repræſentant itaque verba, ex mea opinione,

ne, inſolitum plane & inauditum agendi modum, quo ſeſe degenerem plane ſtirpis Seleucidarum ſobolem demonſtravit Antiochus, cum in familiari vitæ converſatione, prorſus extraordinaria & ridicula, cujus ſupra memini, tum in factis & geſtis, poſt Aegyptum & Judæam violatam, de quo modo egerat propheta; quare hæc ordine & loco ſuo apte ſequuntur. Quæ facinora non ſunt longe quærenda, ſed hiſtoriæ non prorſus imperito mox in oculos incurrunt. Quem enim Judæorum religionis cauſa perſecutio, ab ipſo tanto impetu inſtituta? quem quæſo profuſiſſimæ ejus opum ſuarum diſſipationes, cum per inſanas & temerarias largitiones, tum per *ludos & ſpectacula*, prorſus ſingularia, latent? In quibus plane a majorum tramite deſcivit, neminemque, quem imitari potuit, habuit. Quibus addere licet ſuperbam regis impietatem, qua in quævis Numina, & verum & falſa, inſurrexit, ſeſeque ſupra ea extulit. Quæ omnia in ſequentibus explicatius traduntur. Quo noſtra hypotheſis haud parum corroboratur; cum ſequentia hujus pericopæ *generalis* ſpecialem comprehendant deductionem. Ceterum inſanæ ejus opum profuſiones, quæ ſingularem hunc regem fecerunt, ne nobis exciderent, propheta expreſſe addit, *eum prædam, ſpolia, & poſſeſſionem Patrum dilapidaturum* eſſe. Memorat diſtincte *prædam, ſpolia & poſſeſſionem paternam*, ut ad fontes, ex quibus opes ejus fluxerunt, digitum intenderet: quod novum rurſus accurationis noſtri vatis indicium eſt. *Prædam*, בזה a rad. בז proprie *humi traxit*, dein *diripuit*, cui Gr. συλᾶν perfecte reſpondet, ſecundum uſum, quem in Script. habet, uti recte Gejerus notavit, ad omne illud referre licet, quod hoſtibus ſubjugatis, & proſtratis, eripitur, ſive *veſtes* ſint, ſive arma, ſive ſuppellex, ſive nummi, aut quicquid pretioſum eſt. *Spolium*, שלל, vero ad quaſcunque alias deprædationes, expilationes, ac rapinas, ſive ſacras ſive profanas, ſeſe extendit. Proprietas eſt in *extrahendo*,

 ſeu

ſeu ſtringendo manum, enſem, veſtem, unde *ſpoliationis* fluxit notatio, uti verbo notavit Cl. Schultens [a], & ex Arab. lingua illuſtravit Rev. Lette [b]. Cum vero *ſtringere manum* Arabibus dicatur, qui temere quid adgreditur, & præceps eſt, de temeritate ſacrilega uſurpatur, etiam in ipſis reliquiis Biblicis: ut 2 Sam. VI: 7. ubi Uza legitur divinitus percuſſus על השל, a שלל, & non שלה, adeoque non *propter errorem* ſimpliciter, ſed ſacrilegiam quandam temeritatem, qua manus in *arcam* inmiſit, uti in loco parallelo I Chron. XIII: 9. Quaſcunque itaque *ſpoliationes*, etiam *ſacrilegas*, hic intelligamus, quas Antiochum temere inſtituiſſe novimus. Additur *poſſesſio eorum*, ſcilicet Patrum & majorum, ſenſu facillimo, qui tamen fugit Interpretes: qui pronomen להם vel *ipſis* vertunt, & cum verba בזר *diſpergere* conſtruunt, acſi eſſet *ſpolium & poſſeſſionem diſtribuet ipſis*, vel militibus vel ſociis, vel *eorum* reddunt, & cum *poſſeſſione* connectunt. Quod poſterius omnino verum eſt, & ſtilo Hebr. recte congruum, ut bene Gejerus. Prius enim ferri nequit, cum quod relativum, להם *ipſis*, nihil habeat, quo referri poſſit, tum quod בזר non ſit *diſtribuere*, ſed *disſipare*, ut mox dicam. Sed quo pertinet *poſſeſſio eorum*? Interpretibus hic aquam hæſiſſe, & ad *pinguia provinciæ*, aut alio, reſpexiſſe mirari ſubit; cum nihil propinquius, aut facilius, ſit, quam ad *Patres & majores* adplicuiſſe, & de poſſeſſione ab illis derivata intellexiſſe. Quæ ſuperioribus addita ſenſum egregium abſolvit, quo tres diſtincti fontes, ex quibus opes & divitias hauſit Antiochus, ob oculos ponuntur. Nec verbis fere opus eſt ad illud ex hiſtoria demonſtrandum: cum Aegypti deprædationes, & Judæorum ſpoliationes, locorum quoque ſacrorum violationes, quibus Epiphanes nomen ſuum nobilitavit, in vulgus notæ ſint. Sufficiant itaque verba Polybii [c], in rem aptiſſima, quibus inmenſorum

a ad Prov. I: 13. b ad Jud. V: 30. c apud Athen. L. V. p. 195.

ſorum ſumtuum, quos profuſiſſime fecit, ibi recenſitorum, originem pandit, in hæc verba, quæ latine tantum proferam. *Omnia vero hæc ſic abſoluta & exculta ſunt partim iis, quibus in Aegypto, perfide violato foederis pacto, regem Ptolemæum Philometora, adhuc puerulum, defraudaverat, partim iis, quæ amici utenda congeſſerant, partim rapinis & ſpoliis plurimorum Templorum, quæ expilaverat.*

§. CXVII. Hiſce cum opibus & divitiis quid egerit? verbum יבזר *ſparget* eleganter depingit. Verbum proprie dicit, ut ex Arab. بزر colligo, *manu traxit*, inde *ſparſit* cum ventilatione, ut Gr. σπείρειν a σπέω, σπάω, *trabo*. *Spargere* vero divitias non eſt *diſtribuere*, ſed temere & promiſcue quaquaverſum effundere, profundere larga & liberaliſſima manu, & diſſipare; ut nihil ſuperſit. Qua ratione male ejus parta male dilapſa ſunt, cum per temerarias plane & inſanas largitiones, quarum verſ. 39. exactior occurrit deſcriptio, tum per ludos & ſpectacula ſumtuoſiſſima, ut prope Antiochiam edidit, quibus nihil ſplendidius, nihil ſumtuoſius illis in regionibus factum erat, tum per regias donationes in urbibus ſublevandis vel Templis exſtruendis ac ornandis: de quo ad verſ. 38. dicemus. De quibus omnibus ex Philarcho [a], Polybio [b], Diodoro Siculo [c], Livio [d], aliiſque [e] abunde conſtat. Qui etiam, ipſum *omnes ſuperiores principes* hac parte ſuperaſſe, diſerte tradiderunt. Quam ob cauſam μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος *ſplendidus ac liberalis donator* adpellatur Joſepho [f]; forte ex Polybio [g], qui μεγαλοψυχίαν, *magnum & liberalem animum, Græcis omnibus notum*, ipſi adtribuit. Ceterum μεγαλόψυχος eſt idem ac μεγαλοπρεπής *ſplendidus*, & δαψιλέστατος & ἐπιδαψιλευόμενος, ut Heſychius [h] exponit, qui ſplendidiſſime agit, & in aliqua re luxuriatur: de quo ſum-

[a] apud Athen. l. x. p. 438. [b] Ibid. l. v. p. 193. [c] Excerpt. Valeſ. p. 318, 321. [d] l. XLI: 20. [e] 1 Macc. III: 30. [f] Ant. l. XII. c. 7. [g] exc. leg. 89. p. 1271. [h] in δαψιλ & ἐπιδαψιλ.

ſummus noſter T. Hemſterhuis [a] videndus eſt, nec non μεγαλόφρων *magnanimus* & *magnificus*; de quo legendus eſt Salmaſius [b]. Sic χρηστὸς καὶ μεγαλόψυχος pro *benigno* & *liberali* junguntur apud Achillem Tatium [c]; & μεγαλοψυχία Tomæ magiſtro eſt, καὶ ἡ γενναιότης, καὶ ἡ ἐν ταῖς μεταδόσεσιν ἑτοιμος δαψίλεια. Sic μικρόφρων & μικρόψυχος adpellatur *parciſſimus*, quem vocamus, inquit Seneca de Benef. II: 24. *puſilli animi & contracti*. Sed modum longe exceſſit Antiochus, *prodigus* rectius quam *liberalis* dicendus, bonorum ſuorum vana cum oſtentatione *diſſipator* egregius, adeo ut *theſauros ſuos* omnes, teſte autore primi Maccab. [d], *exhauſerit tandem*: qui præterea & in eo ſeſe degenerem ſtitit ſobolem, quod, cum cæteri reges, qui & copiis & pecunia pro virili regnum confirmare ſtudent, potentiam & theſauros, metu populi Romani, occultare ſoleant, ipſe *cunctas imperii opes in unum locum congesſerit, & quaſi ſpectandas in ſcena propoſuerit, id adſecutus, ut ex rebus ſuis nihil eſſet, quod Romanos lateret*. Quod eſt Diodori Siculi [e] obſervatum, a re non alienum.

§. CXVIII. *Sexta* denique, & ultima pars pericopæ generalis, ultimos ejus conatus, ex pecuniæ diſſipatæ inopia ortos, & cum vitæ exitu conjunctos, exhibens, ita habet: *& contra munitiones cogitabit cogitationes, & usque ad tempus*. Quorum hic mihi eſſe videtur ſenſus. Quod ſæpius, ad opes coacervandas, toto regni ſpatio egit, arces theſaurarias ſacras & profanas ſpoliando; illud ſub vitæ finem quoque molietur; ſed dignas multiplici ſacrilegio poenas luet, mala tunc morte mulctandus. Inſinuaverat modo propheta, loca ſacra ab ipſo eſſe ſpolianda, & inde divitias corradendas eſſe, quas diſſiparet: quod nunc explicatius tradit, & ultimo loco, ut ſpoliationem illam vitæ finem ipſi adlaturam eſſe indicaret. Pertinent itaque in genere quidem verba ad quascunque theſaurariarum arcium

a ad Lucian. Dialog. p. 39.
b ad J. Capitol. p. 90.
c l. VII. p. 578.
d I Macc. III: 29.
e Exc. Valeſ. p. 318.

cium deprædationes, ſive in Aegypto, ſive Judæa, ſive alibi terrarum, in ſpecie *ſacrarum* arcium, *plurima* enim *Templa eum ſpoliaſſe* narrat Polybius *a*; ſed ultimam ſpoliationem Templi Dianæ, vel Veneris, in Elymaide directe intendunt, quatenus ultimum fuit ejus facinus, in quo fatum invenit. De quo mox agam, poſteaquam verborum intellectum, noſtræque interpretationis rationem, dederim. Interpretes, hypotheſi, quam de vero pericopæ intellectu formaverant, inhærentes, oculos ad munita quævis loca, vel Syriæ, vel Aegypti, ab Antiocho invadenda, & ad certum breveque tempus retinenda, vertunt. Quod nec ſeries orationis, nec phraſes admittunt. Syriæ vel Aegypti occupationem, ſupra jam deſcriptam, quis hic repeti, loco plane alieno, ferat? facinora Antiochi in Aegyptios, ne de *Syris*, quod plane abhorret, cum hoſtilia conſilia intelligantur, dicam, *cogitationum* nomine inſigniri, cui non, qui, Aegyptum ab eo occupatam & ſpoliatam fuiſſe, ad animum retulerit, mirum accidat? Expeditionem in Aegyptum ſi ſub vitæ finem tentaſſet, & eo ultima capitis pars, v. 40-45., referri poſſet, de quo ſuo loco diſputabo, eam hic depingi non abnuerim: quod egregia ſpecie exornare poſſem. Sed cum id pro incerto, vel falſo potius, habeam, animum defigo in improba ejus molimina, antea ſæpe effectui data, quibus loca ſacra ſpoliavit, nunc infelici cum exitu tentata ſub vitæ finem. In quæ phraſes optime conveniunt, & ad quæ ultimæ voces omnino tendunt.

§. CXIX. Vox מבצרים, a radice בצר, cujus proprietas eſt in *præcidendo*, *præſecando*, vi originis *cautes abſciſſas*, *rupes præciſas*, inde quævis loca *munita*, ad ſcandendum & ſuperandum *ardua*, denotat. Sed ad *aurum*, *argentumve* ſignificandum ſeſe quoque extendit vox ejuſdem originis בצר, ſive quod in arduis deliteſcat, adſervarique ſoleat, locis, quare *argentum caligationum* adpellatur Job. XXII: 25.

a apud Athen. l. v. p. 198.

25. ſive potius quod in origine ſit *gleba* terræ *durior* & *acuminata*, ſimul *ſplendeſcens;* qualem lapidem albicantem vel rubram Arabes hoc ipſo nomine, notante Cl. Schultens *a*, adpellitant. Quicquid ſit, pretioſiſſimum hocce metallum eo venire nomine, dubio caret, etiam ex clariſſimo loco Job. XII: 24, 25. *& ponere pro pulvere aurum*, בצר, *& pro ſilice fluminum* aurum *Ophyrium. Et eſto omnipotens omne aurum tuum*, בצרך, *& argentum vertiginum tibi.* Recte itaque alta & ardua loca, auro & argento plena, quæ nec facilia ſunt aditu, nec etiam licita, מבצרים dixeris, & hoc loco admiſeris, maxime quod verſ. 15. in עיר מבצרות *urbe munitionum* eo adluſum fuerit, & v. 36. מבצרי מעזים *munitiones arcium* eo pertineant; ut ſuo loco patebit. Accedit, arces ejuſmodi theſaurarias, & ſacras, in primis fuiſſe vel temeratas, vel petitas ab Antiocho, & eo in facinore vitam eum finiviſſe. Gravius addit opinioni noſtræ pondus, quod Antiochus M., quem hac parte imitatus eſt Epiphanes, filius ejus, *vultum vertiſſe* dicatur, verſ. 15. למעזי *ad munitiones terræ ſuæ*, ſeu arces theſaurarias, & *ſacras*, ut vidimus ſupra. Contra illas non ſine ratione *cogitationes cogitaſſe* dicitur, quod ſacrilegia & improba intra molimina res ſub vitæ finem præcipue ſteterit. Plurimis enim Templis ſpoliatis, quod & hic inſinuari modo obſervavi, impegit tandem ad Dianæ vel Veneris Templum; poenasque ſacrilegii, in primis Templi Hieroſolymitani, luit ſeveras. Ultimæ enim ſpoliationis Templi in Elymaide expreſſa & directa fit mentio, quia in ea ſuperiores omnes, quæ hic includuntur, terminatæ ſunt. Ceterum *cogitationes cogitare*, ſeu, quæ vis vocis & phraſios eſt, *machinari* ſubtiliſſime per rationes acute ſubductas, proprie enim חשב eſt *ſecare*, *ſecando purgare*, inde *expolire*, *perpolire*, *poliendo lævigare*, de quo videatur Cl. Schultens *b*, uſu ſuo, *perniciosa conſilia* & molimina *concipere*, comprehendere, tralaticium eſt, & hoc ipſo cap. v. 15. reperitur, ne

a ad Job. XXII: 24. *b* ad Prov. XVI: 9.

ne alia loca, ſatis obvia *, memorem. *Cogitationes* itaque inire *contra munitiones* ſacrilega conſilia & molimina, ad opes, ibi congeſtas, diripiendas, di-recte complectitur.

§. CXX. Sed quid ſibi illud, עד־עת *ad tempus*, vult? certum enim & *definitum* tempus, non ergo *perpetuum*, in genere tantum ſignificari, a ſtilo prophetæ noſtri, nihil ſine ratione & emphaſi exprimentis, abhorrere videtur. Mihi itaque abrupta & elliptica eſt oratio, quæ *tempus* tunc ante fores eſſe, quo finis imponetur facinoribus & moliminibus ejus, & ipſe graviſſima obruetur calamitate, indicat. Idem fere eſt, ac, *& ad tempus veniet*, tempus ſcilicet *finis*, ut verſ. 35 & 40., vel tempus *opportunum*, quod proprie eſt עת, quo ſummam expleverint menſuram commiſſa ejus, & *adverſa* ejus ipſum ferient. Quod *temporis*, עת, nomine venire, ſupra ad v. 6., vidimus. Idem itaque manifeſte eſt, quod v. 45. habetur, *& veniet* עד־קצו *ad finem ſuum.* Ex quo, quam apte hoc addiderit Propheta, haud difficulter cernitur; cum eo ipſo tempore, & ipſe tragica morte occubuerit, & Judæorum oppreſſio, ſeu *iræ* divinæ in eos accenſæ tempus, exſpiraverit, quod verſ. 36. dicitur, *proſpere aget usque ad excandeſcentiæ finem.*

§. CXXI. Conferamus nunc ſingularem illum caſum, ab Hiſtoricis relatum, quo fatum invenit Antiochus Epiphanes. Opum, temere diſſipatarum, penuria preſſus, ad ſolitas ſuas artes Templorum ſpoliandorum ſeſe recepit, & cum exercitu in Perſidem ſeu Elymaida contulit, Templum Dianæ vel Veneris, divitiis refertiſſimum, ſpoliaturus. Sed a ſacerdotibus ac civibus fortiter repulſus, cum ignominia ac clade pedem retulit, ac in itinere plaga teterrima, divinitus inflicta, adfectus, multos inter cruciatus infelicem exſpiravit animam; poſteaquam feliciſſimum Maccabæorum ſucceſſum, & ſacra a Juda inſtaurata, audiviſſet. Quam hiſtoriam Judæi non tantum, ſed & Gentiles referunt autores, non niſi in parvi momenti

* Jer. XVIII: 11. Ez. XXXVIII: 10. Eſth. VIII: 3, 5. Gen. L: 20.

circumſtantiis diſcrepantes; libri Maccab. [a], Joſephus [b], Polybius [c], Diodorus [d], & Appianus [e]. Locum alii *Elymaida* regionem, alii urbem cognominem, fuiſſe tradunt, *Perſepolin* unus autor, in rebus, quas privus narrat, non adeo magnæ fidei, *ſecundi* Macc. IX. erronee ſine dubio, cum inde remotior ſit, nec poſt Alex. M., qui regiam ejus incendio delevit, celebris. Videatur Bochartus [f] & Cellarius [g]. Niſi forte autor ad nomen עילם in *Elymaid.*, quo Perſia cenſetur in Script. S. deſignari, reſpexerit, & propterea *Perſepolin* reddiderit. Templum fuit ſecundum alios *Dianæ*, ſecundum alios *Veneri* dicatum, quæ non pugnant: cum *Diana* & *Venus* coeleſtis unius Numinis, ſeu *Lunæ*, fuerint diverſa nomina: ut recte Cl. Relandus; de quo ad v. 37. plura proferam. Templum intraſſe, & ſignis ac oſtentis a Numine fuiſſe perterrefactum, ac in rabiem actum, a nonnullis tradi dicit Polybius, ex quo hiſtoriolam ſuam ſumſiſſe videtur autor ſecundi Maccab. [h]; de quo alii ſilent, eum a cuſtodibus Templi & civibus fuiſſe ignominioſe repulſum narrantes. Nec tam ob hoc ſacrilegium, quod Polybius inſinuatum voluit, & Joſephus refutavit, quam ob veri Dei & Templum violatum, & populum adflictum, ut rectius Joſephus, has poenas tulit: connectitur autem in hac prophetia cum ultimo ſacrilegio, quia cum eo ratione temporis cohæret.

§. CXXII. *Generalem* propoſitionem, quæ nos aliquandiu tenuit occupatos, excipit *ſpecialis* præcipuarum partium deductio, per varios articulos ordine juſto inſtituta: quæ א. duas in Aegyptum expeditiones, easque continuo ſingulas ſecutam Judæorum adflictionem, continet, v. 25--35. ב. ſingulare & ſuperbiæ pleniſſimum Antiochi inſtitutum, quod Numinum reſpectu tenuit, repræſentat, v. 39--36. א. Expeditionum in Aegyptum, quæ in Judæorum

[a] 1 Macc. VI. 2 Macc. I & IX. [b] Ant. l. XII. c. 9.
[c] Exc. Valeſ. p. 145. & apud Joſeph. l. c. [d] apud Hieron. ad Dan. XI: 36. [e] Syr. p. 212. [f] Geogr. S. l. II. c. 2.
[g] Geogr. l. III. c. 19. [h] c. 1.

rum infeſtationes exierunt ſingulæ, quarum in generali propoſitione facta fuerat mentio, *prior* verſ. 25-28. *poſterior* verſ. 29-35. deſcripta exſtat. *Prior*, cum ſuo conſequente reſpectu Judæorum, per ſequentes *articulos*, ordine rerum exacte ſervato, repræſentatur. *Primus* Ptolemæi Philometoris debellationem & ſubjectionem, qua, copiis ſuis ad Peluſium fuſis, ſeſe cum regno in Antiochi Epiphanis manus tradidit, anno Seleucidarum 142*do*, his verbis conſignat, verſ. 25. *Et excitabit vim ſuam, ſuumque cor in regem Auſtri cum robore valido: ſeſeque rex Auſtri adglutinabit bello valido cum robore & admodum copioſo; & non ſtabit.* id eſt. Quod de *brachiis inundationis inundandis & confringendis* coram rege Septentrionis ſupra, in generali propoſitione, dixi, illud ad copias regis Auſtri, a rege Aquilonis proſternendas, ipſiusque regis ſubjectionem, ſpectat. Rex enim Septentrionis omnes ſuas vires, totamque ſuam iram, concitabit in regem Auſtri, ab eo irritatus, eo cum ſucceſſu, ut eum pleniſſime ſit devicturus: prælium quidem cum ipſo habebit rex Auſtri, valido & numeroſiſſimo exercitu collecto, ſed nihil minus quam conſiſtet; magna enim clade adfectus ſtationem ſuam ne quidem retinebit amplius, ſed ſeſe regi Septentrionis dedet cum regno. Quæ paraphraſis ſicut ad primum membrum generalis propoſitionis, verſ. 22., hanc partem ſpecialis deſcriptionis pertinere docet, ita Ptolemæi Philometoris proſtrationem ac ſubjectionem, per Antiochum Epiphanem ad Peluſium factam, depingit. Antiochus enim ab Aegyptiis, qui Coeleſyriam repetere, & manu vindicare voluerunt, exacerbatus, nulla mora facta in ipſam Aegyptum validis cum copiis irruit, exercitum Aegyptiacum validum ſimul, ſimul copioſum, ad Peluſium proſtravit, tantumque Philometori, regi ignavo, incuſſit metum, ut ſeſe Antiocho cum regno tradiderit. Quam hiſtoriam, ex Polybio [a], Diodoro Siculo [b], Livio [c], Porphyrio

[a] Exc. Legat. 71, 72. 81-83. [b] Exc. Valeſ. p. 310. [c] l. XLIV. 29.

phyrio *a*, libris Maccab. *b* & Joſepho *c* facile repetendam, tetigiſſe ſuffecerit. Accidiſſe vero anno Seleucidarum 142*do*, recte advertit Jungmannus *d*.

§. CXXIII Percurramus, hac jacta hypotheſi, verba, eorumque ſenſum & emphaſin, ubi opus eſt, demonſtremus. De Antiocho Epiphane in præcedente locutus, eum non adpellat, quod neceſſe non habebat, ſed de eo ita pergit: *& excitabit vim ſuam, & cor ſuum contra regem Auſtri cum valido robore.* Quibus verbis, Antiochum quidem primum impetum facturum eſſe in Ptolemæum Philometorem, quem hic indicari omnes norunt, attamen autorem belli non futurum, ſed laceſſitum id adgreſſurum eſſe, ſignificatur. Ipſe enim adorturus regem Aegypti introducitur, ſed ad æmulationem & iram provocatus. Quo verbum יעד *excitabit*, & mentio *cordis*, in phraſi, *excitabit cor ſuum*, clare tendit. Verbum de eo adhibetur, qui ad arduum opus *ſuſcitatur*, in ſpecie, qui ad iram concitatus & æmulationem hoſtiliter alium adgreditur: de quo alibi *e* me memini egiſſe. Excitare vero *vim* & *cor ſuum* dicit, ut facile adparet, omnibus viribus, ſummo ſtudio, iratoque animo aliquid adgredi. Quæ ex hiſtoria lucem mutuantur. Cauſam enim belli præbuerunt Ptolemæi minorennis tutores, regnique adminiſtratores, Eulalius & Leneus, Coeleſyriam ab Antiocho, quem malæ fidei poſſeſſorem dicebant, repetentes: ut ex citatis autoribus ſatis conſtat. Nec invaſionem Coeleſyriæ ab Aegyptiis exſpectavit, ſed prævenit, armaque mox in ipſam Aegyptum transtulit, ad Peluſium usque movens; ubi obviam habuit Philometoris exercitum. De numeroſo, & valido, Antiochi exercitu non opus eſt dicam, cum ad verſ. 23. illud jam occupaverim Vocem vero חיל de *exercitu* ſumi, ut Gr. δύναμιν apud Græcos, tralaticium eſt, ϗ γὰρ

παὶ

a apud Hieron. ad h. l. *b* 1 Macc. I: 18. &c. & 2 Macc. V: 1. &c. *c* Ant. l. XII. c. 5. *d* ad Dan. l. 1. ſect. 2. p. 400.
e Diſſ. III. ad Dan. § 32.

παρ' ἐκείνοις τὰ ϛρατιώτικα τάγματα δυνάμεις καλῦνται, *apud Græcos enim ordines militares potentiæ adpellantur*, inquit alibi Theodoretus *a*.

§. CXXIV. Antiocho, fines Aegypti adſecuto, occurrit Ptolemæi Philometoris exercitus, validus & ipſe, & valde numeroſus; præliumque acerrimum habitum eſt ad Peluſium, ac decretorium. Quod his verbis prædixit propheta: *& rex Auſtri ſeſe adglutinabit prælio cum robore valido, ac valde copioſo.* Voces enim גדול & עצום ita recte diſtinguuntur, ut prior ad *robur* & *vigorem*, poſterior ad *numerum* & *multitudinem*, referatur; גדול quippe, proprie *multis filis* implicitum, *denſisque* intortum, indeque compactionem, & interiorem nervorum firmitatem, de quo videndus eſt Cl. Schultens *b*, continet: & עצום, origine ab *oſſibus*, quæ in ſummis computandis adhibebantur, petita, numerum ſolidatum ac plenum, indeque *copioſitatem* ac *multitudinem*, ſignificat. Utique *copioſitatis* uſum longe frequentius quam *roboris* præfert, ut recte adſtruxit Bootius *c*. *Valde magnum* ubi adjungit propheta, Philometoris exercitum fore numeroſiorem copiis Antiochi indicat quidem, nec tamen *has* paucas numero, verum, cum *numeroſus valde* foret exercitus Philometoris, pauciores ſimpliciter fore declarat; ut illuſtrior adpareret Antiochi victoria. Antiochi exercitus erat גדול & *validus* & *magnus*, utrumque enim dicit vox, ſed Ptolemetoris numero major, quare *valde multus* additur. Numeroſus hicce exercitus ſeſe *adglutinaret prælio*, proprie manus tenaciter conſereret, ut verba requirunt. De יתגרה *adglutinabit ſe* ſupra *d* diſſerui: vocem מלחמה *prælium*, & non *bellum* tantum, hic notare, quæ propria ejus poteſtas eſt, obſervaſſe ſuffecerit. Radix in origine dicit *ſerere*, *conſerere*, unde cum *veſcendi* tum *pugnandi* notio manavit, facili ſatis fluxu. Ipſum *veſci* Lat. eſt ab ἔω, ἐσχω, ut ſit, mo immit-

a Hær. fab. l. v. c. 3. *b* Defect. § 202. *c* Anim. S. L IV. c. 11. *d* ad verſ. 10.

immitto, *inſero;* & pugna eſt *conſertio*, qua homines colliduntur; ſicut *conſerere manus* pro pugnare.

§. CXXV. Funeſtum exercitui Aegyptiaco prælii eventum uno quidem verbo, *& non conſiſtet*, ſed ditiſſimi ſenſus, repræſentat; cujus elegantiam & amplitudinem, quam neſcio an penetrarint Interpretes, ut luci exponam, non de *exercitu* regis Auſtri ſimpliciter & directe, ſed de ipſo rege, qui prælio, teſte hiſtoria, non interfuit, hoc dici, ante omnia adverti velim. In generali propoſitione *brachia inundationis*, verſ. 22., tantum memorata erant, hic ipſe *rex Auſtri* manus conſerturus habetur, licet per exercitum id fecerit abſens; quia eventus prælii, *non ſtabit*, ad ipſum ſpeciatim referendus eſt. Senſus ergo eſt, *rex Auſtri* per validum ſuum & copioſum exercitum præliabitur cum rege Septentrionis, ſed *ipſe* non *ſtabit;* quatenus non tantum profligabitur exercitus ejus, ſed & ipſe *ſtationem* ſuam perdet. Quod utrumque verbum *ſtare* uſu ſuo involvit. Solet enim cum de *perſtante*, omnia ſuperante impetu, tum de gubernandi ſtatione, adhiberi. De quo ſæpe in Diſſ. ad Dan., & ſupra etiam ad v. 6. egi. *Rex* itaque *non ſtabit* eſt, nec per exercitum obtinebit, & ſuperior conſiſtet, nec *ipſe* ſtatum ſuum firmiter tenebit, ſed uterque *cadet* & confringetur: quod negans loquendi forma facile & emphatice continet, & in hoc ipſo verbo ad v. 6 & 15 obſervavi. Rex Philometor, hoc infeliciſſimo habito prælio, *non ſtetit partim* quod ſeſe Antiocho in manus cum regno tradiderit ipſe, ſtationem ſuam, quam facile tueri potuiſſet, præ mentis ignavia deſerens, uti Diodorus Siculus *a* non ſine admiratione adnotavit, *partim* quod ab Alexandrinis, regnique principibus, fuerit eam ipſam ob rationem ſtatione regia deturbatus, & ejus in locum frater ejus *Ptolemæus Euergetes* II., ſeu Phyſcon, ſuffectus.

§. CXXVI. Quod utrumque, involutius modo per *non ſtare*

a Exc. Valeſ. p. 310.

ſtare inſinuatum, mox expreſſius tradit, additis utriusque mirabilis iſtius eventus rationibus, Propheta, qui *ſecundus* eſt pericopæ articulus, verſ. 25, 26. his verbis, quæ per verſuum diſtinctionem non debuiſſent ſeparata eſſe; *quia cogitabunt contra ipſum cogitationes, & qui delicatam ejus farturam comedunt ipſum confringent.* Quæ verba, quibus rationem infelicis prælii, quam in proditione Ptolemæi per proceres, & familiares ejus, quæſiverunt, reddi putarunt Interpretes, crucem ipſis fixerunt, nec ſeſe expedire potuerunt, niſi ad conjecturas, nullo fundamento nixas, nec probabiles, confugiendo; Ptolemæum ſcilicet a ſuis fuiſſe in prælio proditum. Cui cum nihil ſimile exhibeat hiſtoria, nec probabilitatis ſpecies inſit, Porphyrius apud Hieronymum ad ipſum Antiochum, Ptolemæo ſub ſpecie amicitiæ, & panem cum eo edentem, impoſiturum, regnoque eum privaturum, oculos flectere coactus fuit: ſatis coacte, nec phraſibus, nec ſeriei orationis congruenter: uti facile cernitur. De utriusque regis, Antiochi & Ptolemæi, fraudulenta confoederatione poſtea demum agitur; Antiochus quoque *comedens cibum Ptolemæi* dici, aut iis adnumerari, nequit. Anſam erroris ſuppeditavit, & in difficultates conjecit, quod *rationem*, non infauſtæ pugnæ, ſed *amiſſi* regni, ſeu *ſtationis* a rege non obſervatæ, quod *non ſtare* dixit propheta, uti modo expoſui, hic dari, non animadverſum ſit. Ex noſtra hypotheſi cuncta ſunt facilia, & apte cohærent, hiſtoriæ, & ordini factorum, adprime congrua. Quod paucis explanabo.

§. CXXVII. Ptolemæum Philometorem, exercitu proſtrato, duplici ſenſu *non ſtetiſſe* obſervavi, *altero*, quod ſeſe Antiocho dediderit, *altero*, quod regno ab Alexandrinis fuerit privatus. Quod utrumque hic cum *rationibus* ſuis explicatius traditur. Quod ad *prius* adtinet, ſive ignominioſam ſui traditionem; ejus ratio & cauſa in pravis eorum conſiliis & machinationibus, qui educationi ejus,

& rerum adminiſtrationi, præfuerunt, quibus ipſum mollem & effeminatum reddiderunt, quærenda eſt. Quam non fingo cauſam, ſed a Diodoro Siculo *a* ſubminiſtratam accipio. Ipſe enim rationem tam *ignavæ & meticuloſæ* indolis, ex qua illa traditio orta eſt, transferendam eſſe adſerit, ἐις τὸν σπάδωνα, ϗ τὴν ἐκείνȣ συςροφίαν. ὃς ἐκ παιδὸς τὸ μειράκιον ἐν τρυφῇ ϗ γυναικείοις ἐπιτηδεύμασι συνέχον, διέφθειρεν αὐτȣ̃ τὴν ψυχὴν; *in ſpadonem ejusque educationem* (rectius *factionem*, συςροφὴν, vel potius, συντροφίαν *familiarem uſum*, ut Weſſelingius meus, Vir maximus;) *qui Ptolemæum in deliciis ac muliebribus inſtitutis a puero cum habuiſſet, vim mentis ejus enervavit A.* Quem Eulæum fuiſſe, autorem omnium infortuniorum, quæ ipſi evenerunt, teſte Polybio *b*, recte vidit Valeſius *c*. Hunc hominem, ejusque ſocios, vero ſuo epitheto inſigniri, ubi *comedentes panem ejus delicatum* adpellantur, cui dubium? eos quoque hoc ipſo male conſultum voluiſſe regi, & ipſum recte dici *confregiſſe*, cum quod *mentem* enervarint, quod *frangere* quoque dicitur Prov. xv: 4. & alibi, tum quod infortuniorum autores fuerint, ut modo obſervavi, nullo negotio perſpicitur.

§. CXXVIII. Quod ad *poſterius*, ſeu regni privationem, novo rege Ptolemæo Euergete, fratre, conſtituto ab Alexan-

a p. 580.

A Concinunt Juſtini verba l. XXXIV: 2. quæ dabo, ut levi menda purgem, quam nondum animadverſam miror. *Dum hæc aguntur, rex Syriæ, Antiochus Ptolemæo,* MAJORIS *ſororis ſuæ filio, regi Aegypti, bellum infert, ſegni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti, ut non ſolum regiæ Majeſtatis officia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret.* Ubi pro *majoris* manifeſte legi debet *majori*, & cum Ptolemæo jungi; qui *major* oppoſite ad fratrem, *minorem* adpellatum in hac ipſa textus ſequentis ſerie, paſſim Diodoro Sic. ut excerpt. leg. 23 & fragment. 28. ac Livio l. XLV: 11. & in epitome, l. XLVI. inſigniri ſolet. *Majoris* etiam *ſororis* filius plane abhorret. Poſtea vidi illud dudum fuiſſe occupatum *d*.

b Legat. 82. p. 1259. *c* ad Excerpt. Diodori. *d* Vid. A. Gronovius ad Juſt. l. c.

Alexandrinis, adtinet; *machinationum* contra regem, ejuſque *confractionis*, quaſi per obortam gravem tempeſtatem, quem uſum verbo שבר vindicavit Cl. Schultens *a*, conſpectum ab eo non abhorrere, facile intelligitur, maxime ſi a plebe ſeditioſa, a primariis viris concitata, originem repetierit. Quod per ſe non tantum probabile ſit, ſed & a Polybio *b* haud obſcure innuitur; ubi *juniorem Ptolemaeum* ὑπὸ τῶν ὄχλων ἀναδεδεῖχθαι βασιλέα διὰ τὴν περίστασιν *a multitudine regem fuiſſe renunciatum propter rerum temporumque conditionem*, tradit. Nec ad breve tempus Euergeten ſuffecerunt, nec ut fratri adjungerent, ſed Philometore plane deturbato ipſe ſolus in poſterum regnaret: uti vel ex eo liquet, quod mox inde bellum inter Alexandrinos & Antiochum, prætextu Philometorem in regno, ipſi ablato, reſtituendi, natum ſit. De quo mox agitur. Meminit quoque ejus caſus Porphyrius in Græcis Euſebianis *c* Scaligeri. Sed qui autores ejus fuerunt? illi ipſi, dicit Propheta, qui regis Philometoris erant *familiares*; Alexandrinos id feciſſe tradit in genere hiſtoria: viros primarios fuiſſe, qui populum Alexandrinum concitarunt, facile præſumitur. Comanum & Cineam novi regis conſiliarios, quos Polybius *d* memorat, cum ipſo fratre Euergete, mox rege facto, præcipuas in eo habuiſſe partes, ſtatuere liceat. Sed quales etiam fuerint, fuiſſe antea Regis amicos, & ipſius uſos fuiſſe ſubſidiis, quod hic in tanto Veteris hiſtoriæ defectu ſufficit, facile colligitur.

§. CXXIX. Nihil ſupereſt, quam ut uno alterove obſervato verba illuſtremus. 1. Voces, *cogitabunt cogitationes*, & *comedentes panem ejus frangent ipſum*, ita cohærent, ut quod primum indefinite, non nominatis *qui* id facerent, & in genere, dictum erat, mox accuratius definiretur, & explicatius traderetur, perſonis expreſſis, &, quid molirentur, addito: acſi haberetur, *machinabuntur*

 ipſi

a ad Prov. XV: 4. *b* Leg. 89. p. 1268. *c* p. 60, 68.
d Legat. 81. p. 1258.

ipſi mala, ipſi ſcilicet *comedentes panem* ejus ipſum *confringent*. Quem *explicandi* uſum particula conjunctiva ו *&* haud raro præfert: uti ex Noldio ſatis conſtat. 2. Epitheton, אכלי פתבגו *comedentes farturam ejus delicatam*, quod voces proprie ſignificant, in ſpadones, paraſitos, & familiares, interiorisque admiſſionis viros, qui de menſa regis quaſi vivunt, vel familiarius cum rege colunt commercium, recte convenire, non eſt ignotum, & ex Pſ. XLI: 10. jam illuſtratum. Quare de voce פתבג, quam *farturam delicatam* reddidi, verbo dixiſſe ſuffecerit. Compoſita poteſt cenſeri vel ex פתת *fregit in fruſtra minora*, & בג *cibo* vel pane, quo venter *farcitur*, a radice בגג, vel בגי, aut בגו, quæ omnes formæ Arabibus ſuperſunt, habentque proprietatem in *rumpendo*, unde pro *farcire*, *diſtendere ventrem*, ad *rupturam* usque, ſumitur. Hinc בג *farcturam* denotat, ut Ez. XXV: 7. *in farturam ventris Gentibus*: ſignificabit itaque פתבג *fruſtum farturæ*: vel ex פתה & בג; ut *delicatam* farturam, quæ *allicit* & *blanditur*, & deceptrix eſt, *cupedias* & *bellaria* exprimat; לחם חמודות Dan. X: 3. Quæ eſt Cl. Simonis *a* ſententia.

§. CXXX. Ptolemæo Philometore ſtatione ſua ab Alexandrinis, qui in ipſum conſpirantes novum regem Ptolemæum Euergeten elegerant, dejecto, nova nata eſt Antiocho, qui Philometorem in clientelam ſusceperat, regnum ei relinquendum eſſe promiſerat, occaſio, regnum Aegypti totum, prætextu Philometorem reſtituendi in regnum, inundandi & occupandi. Qua arrepta, copias Alexandrinorum navales fudit, & Memphi ſedes fixit, ſeſeque Aegypti dominum geſſit, regnum totum pervaſit & expilavit, Alexandriam, quæ ſola obſtabat, obſedit: ſed re infecta diſcedere, ac foedere fraudulento pacto cum Philometore, & rebus Aegypti diſpoſitis, contentus hac vice eſſe debuit; nec votorum compos fuit in poſterum, Philometore a foedere pacto cum Antiocho deficiente,

as

a in *arcano* form. p. 664.

ac cum fratre & Alexandrinis reconciliato. Quo ipſo Aegyptum ſibi ſubjiciendi omni excidit ſpe. Quam hiſtoriam, ex Polybio [a], Livio [b], Juſtino [c], & Porphyrio [d] petendam, his verbis, quæ *tertium* pericopæ articulum abſolvunt, prænunciavit Propheta, verſ. 26, 27. *Et exercitus ejus inundabit, cadentque confoſſi multi. Et duo illi reges cor adſerent ad unguenta linenda, & ad unam menſam loquentur mendacia, ſed non ſuccedet; quia adhuc finis ad tempus praeſtitutum.* Verba, *& exercitus ejus inundabit, cadentque confoſſi multi*, de Antiochi copiis Aegyptios inundantibus, & profligantibus, recte paſſim ceperunt Interpretes, a paucis ſi diſceſſeris, qui de Ptolemæi exercitu intellexerunt, & vel *opprimetur*, ut Vulg., contra formam verbi ישטוף activam, non paſſivam, vel *exundabit* pro diffluet, ut Junius, contra verbi poteſtatem & uſum, reddiderunt. Pertinet omnino *relativum ejus*, in voce *exercitus ejus*, ad Antiochum Epiphanem, ſeu regem Septentrionis, in principio verſ. 25 memoratum, de quo, poſteaquam regis Auſtri, Ptolemæi Philometoris, cladem & fata uno tenore pertexuiſſet, ſermonem reſumit. *Relativum* vero ad remotius ſubjectum referre, nihil habet, uti exempla, vel ex Glaſſio [e] nota, comprobant, inſoliti. Verbum quoque שטף *inundare*, de victore, & omnia proſternente ac occupante, exercitu adhiberi ſolitum, non niſi in Antiochi copias quadrat. In eo tamen cum Interpretibus diſſentio, quod verba non, ut illi, ad prælium cum Ptolemæo Philometore, ſed ad bellum Antiochi cum Ptolemæo Euergete, alias Phyſcone, poſt Philometorem regno pulſum, cujus modo memini, adplicem; per ipſam orationis & geſtorum ſeriem adductus. Philometoris enim & cladem, & deturbationem de ſede regia, cum jam memoraſſet Propheta, ut ex ſuperioribus patet; *inundatio*

 nova

[a] Leg. 81 &c. [b] l. XLIV: 19. XLV: 11. [c] l. XXXIV: 2.
[d] apud Hieron. ad verſ. 22. & in Græcis Euſeb. Scaligeri p. 60.
[e] Gr. S. l. XII. tr. 2. can. 10.

nova Antiochi, quæ novam adferret cladem, alio ac ad bellum cum Phyſcone, novo rege, & Alexandrinis, quod modo ex hiſtoria in lucem protuli, ſpectare non poterit; convenit vero in eam, teſte hiſtoria, exacte. Audiamus modo Livium [a], cujus hæc ſunt verba. *Antiochus Syriæ rex, qui obſes Romæ fuerat, per honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, & ad Peluſium navali prælio victor fuerat, & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgreſſus cum exercitu, obſidione ipſam Alexandriam terrebat: nec procul abeſſe, quin potiretur regno opulentiſſimo, videbatur.* Addamus verba Hieronymi ex Porphyrio, quibus, facta poſt prælium cum Philometore omnia ſummatim complexus, narrat. *Porro Antiochus parcens puero,* (Philometori, jam dedito ipſi,) *& amicitias ſimulans, adſcendit Memphin, & ibi ex more Aegypti regnum accipiens, puerique rebus ſe providere dicens, cum modico populo omnem Aegyptum ſubjugavit ſibi, & abundantes ac uberrimas ingreſſus eſt civitates.* Quibus non poſſum quin hæc Joſephi verba ſubnectam. *Igitur, ad Peluſium cum magnis copiis profectus, & circumvento fraudibus Ptolemæo Philometore, Aegyptum occupat: cumque loca Memphi vicina adiiſſet, eamque teneret, Alexandriam contendit, ut eam obſidione caperet, & regnantem ibi Ptolemæum in ſuam poteſtatem redigeret.* Pluribus ad verborum ſenſum & implementum opus non eſſe putem, cum omnia nunc plana ſint. *Exercitus ejus,* Antiochi, *inundabit,* ſcilicet quaquaverſum, omnia loca per totam Aegyptum, de quo hic agitur. Nulla enim hominum aut locorum certorum, quæ inundarentur, facta mentione, omnia quaquaverſum eſſe occupanda indicatur: *& cadent confoſſi multi;* ſicut, in *prælio navali* ex parte factum eſſe, modo ex Livio vidimus. Sed poſſunt verba generalia ad omnes, in expeditione hac Antiochi occiſos, & antea ſub Philometore, & nunc

[a] l. XLIV: 19.

nunc in bello cum Alexandrinis, extendi; ut pro dictorum de prælio cum Philometore, & illud inſecuta inundatione Aegypti, clauſula habeantur. Quando ſenſus fit plenior.

§. CXXXI. Ecquis Aegypti occupatæ & novi belli cum Alexandrinis prætextus; ecquis eventus fuit? Cauſam prætenſam, quam Livius *honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum* adpellat, Hieronymus, *ut pueri rebus ſe providere* ſimularet, Propheta his verbis effert, Verſ. 27. *& duo illi reges cor habebunt ad unguenta linenda, & ad unam menſam mendacia loquentur.* Quæ, ſimulatum fœdus inter Philometorem & Antiochum complexa, hic ſuo plane loco, ubi de Aegypto occupata & Alexandrinorum invaſione modo actum erat, occurrunt, ut *ratio*, utique prætenſa, in eo pacto quærenda, deſignaretur. Cavit quoque accuratiſſima prophetia, ne pro vera cauſa hoc pactum haberetur, addens propterea ſimulatam fuiſſe amicitiam regum illorum, qui aliud ore promtum, aliud corde clauſum habebant. Antiochus enim honeſta illa ſpecie ipſum Aegypti regnum ſibi, non Philometori, ut videri volebat, quærebat: quod Hiſtorici laudati diſerte adfirmant. Ptolemæus vero Philometor animo jam tum habebat ſeſe cum Alexandrinis reconciliare, & Antiochi manibus eripere: uti docuit eventus. Quæ cum evidentia ſatis ſint & teſtata; phraſibus lumen inſperſiſſe ſuffecerit. De fucatæ amicitiæ pacto inter Antiochum & Ptolemæum Philometorem hic agi, Interpretes quidem plurimos non latuit; ſed, præterquam quod nexum ſermonis, quem modo explicui, non recte perceperint, in phraſibus exponendis, & difficultatibus, quas Hieronymus & Sanctius, aliique, contra eam hypotheſin nectunt, ſolvendis minus feliciter paſſim verſati ſunt. *Philometorem* fuiſſe ætatis nimis puerilis, quam ut technas & dolos nectere potuerit; de *convivio* regum ad unam menſam nihil memoriæ ab Hiſtoricis exſtare proditum, objiciunt. Faciam

itaque,

itaque, ut clariore in luce res collocentur; ſingulas phraſes illuſtrando. *Et duo illi reges*, dicit Propheta, Antiochus nimirum & Ptolemæus Philometor, licet hic junior, attamen ſedecim jam vel ſeptendecim annorum, cum ἀνακλητήρια ſeu proclamatio & inauguratio ejus, quæ anno ætatis 14*to* fieri ſolebat, jam aliquandiu ante fuerit celebrata; ut ſupra ſuo loco obſervavi: præterea regi ſolet adtribui, quod ejus nomine fit, & a primariis agitur miniſtris, ſive rex autor ſit nec ne. Quo nihil eſt notius. Vana ergo nimis eſt difficultas, quam movit, ut modo dixi, Hieronymus. De hiſce regibus duobus prænunciat Propheta, *cor eorum fore* למרע, *non ad male faciendum*, vel ad *malum*, uti Interpretes vertunt, ſed, ex noſtra mente, ad *unguentum linendum*, id eſt, *fucum faciendum*, a radice מרע *fricuit*, *terſit*, *multo oleo confricuit;* unde ad fucum fraudeſque, nitida ſpecie illitas, facili flexu tranſiit; uti egregie nos docuit Cl. Schultens *a*, hic adeundus, qui, noſtrum quoque locum alium non admittere ſenſum, præclare evicit; quare nihil addo. Fucato huic animo, hypocriſin foventi, & amicitiam ſimulanti, convenienter foedus pangerent mendaciter: quod Propheta his verbis, quæ ſequuntur, eleganter repræſentat, *& ſuper una menſa mendacium loquentur*, id eſt, foedus amicitiæ & intimæ adſociationis, inimico animo & ſcopo, pangent. Phraſis enim, *ſuper una menſa loqui*, figurata eſt vel proverbialis, pro foedus amicitiæ pangere, ducta Veterum a conſuetudine, qua foedus ſolebat *convivio* confirmari, a Viris Doctis, Stuckio *b*, Cudwortho *c* & aliis abunde comprobata. Quo elegans verbi דבר *loqui* uſus, quo *pacem & amicitiam* ambire denotat, etiam tendit; quem variis in locis, quorum aliqua infra *d* citabo, præfert: quod alias דבר *pacem loqui* *e* plenius effertur. Perinde

a ad Prov. xv: 4. *b* Antiq. conviv. l. 1. c. 30.
c Diſſ. de coena Domini ad calcem ſyſtem. Intellect. edit. Moshemii. *d* Jeſ. xix: 18. Pſ. cxx: 7. Job. xl: 27. *e* Gen. xxxvii: 4. Pſ. cxxii: 8.

inde itaque eſt, ſive ad *unam menſam* ſederint duo reges, quod tamen fieri potuit, nec ne: modo amicitiam & pacem ſtipulati fuerint ambo. Quod hiſtoriæ adprime eſſe conſentaneum, ex locis, modo citatis, clare conſtat. Quibus luculentum addo Polybii [a] locum, quo Rhodiis legatis reſpondet ipſe Antiochus, ſeſe πρὸς τοῦτον διαλέλυσθαι πάλαι, καὶ φίλον ὑπάρχειν *cum iſto*, Ptolemæo majore, *pacem dudum feciſſe, & amicum eſſe.* Nullius ergo eſt objectio Sanctii, ex autorum ſilentio de tali *convivio* nata.

§. CXXXII. Simulatam vero pacem feciſſe & mendacem, ſcopo plane hoſtili, Antiochum Epiphanem, ſub hac ſpecie regno Aegypti inhiantem, ſicut Hiſtorici, modo laudati, diſerte teſtati ſunt, ita ipſe Antiochus haud diu poſt, animo denudato, patefecit. *Fruſtra* enim *tentatis mœnibus Alexandriæ abſcedens ſeſe mox ſuſpectum fecit, quod cætera Aegypti tradita Ptolemæo, Peluſii validum relictum erat* (rectius, notante Gronovio, *reliquerat*,) *præſidium, apparebat clauſtra Aegypti teneri, ut, quum vellet, rurſus exercitum induceret. Bello inteſtino cum fratre eum exitum fore, ut victor feſſus certamine nequaquam par Antiocho futurus eſſet.* Quæ Livii [b] verba rem luculenter declarant. De Ptolemæi Philometoris fraudulento animo, in pacto ineundo, nihil quidem retulerunt Hiſtorici, ſed fieri tamen potuit, ut prudentiores aulici, fictam Antiochi amicitiam perſpicientes, jam tunc eo ſcopo foedus pepigerint, ut Antiochum circumvenirent, & primam occaſionem fratres reconciliandi, regemque Alexandriam reducendi, arriperent. Quod eventus comprobavit. Obſtat tamen, fateor, cum quod pactum Antiochi eam ipſam reſtitutionem pro ſcopo habuerit, ut modo vidimus, adeoque ſimulate agendi ratio non fuerit Philometori, tum quod pactum cum Antiocho non fregerit, niſi poſtquam eum habuerit *ſuſpectum*; quodque nihil ſiniſtri de Antiocho ſuſpicatus fuerit, niſi quum, Alexandriæ obſidione

[a] Leg. 84. p. 1262. [b] l. XLV: 11.

relicta, inde diſceſſerit, teſte Livio *a*. Ad quod ſi quis obhæreſcat, alterutram regulam in ſubſidium vocet, vel, qua de duobus pluribusve quid dicitur, quod unus eorum tantum fecit, quam Glaſſius *b*, Hammondus, & alii *c* exemplis adſtruxerunt, vel, qua de animo alicujus ex eventu judicatur, aut alicui quid adſcribitur, quod, rei gnarus ſi fuiſſet, omnino feciſſet. Ptolemæus pactum iniiſſet animo illud non obſervandi, ſi Antiochi ſiniſtrum animum jam tunc perſpexiſſet, ut paulo poſt penetravit, quando pactum etiam e veſtigio rupit. Qualia ſimilia in ſtilo prophetico non deſunt exempla. Locum demus utrique regulæ, & Prophetam duobus fucatum pactum tribuiſſe ſtatuamus, quia unus eorum eo tunc animo fuit, alter fuiſſet, ſi ipſi ſuboluiſſet, & fecit ſtatim ac id detexit. Quæ omnem tollunt ſcrupulum.

§. CXXXIII. Eventum totius hujus inſtituti, ſcopo non reſpondentem, his verbis ſubjungit, *& non ſuccedet, quia adhuc finis tempore ſtatuto.* Verbum תצלח foemin. gignit ſenſum neutralem, per ellipſin זאת, aut היא, ut Num. XIV: 41, quod Gejerus recte notavit. Generalis itaque eſt phraſis, ex præcedentibus reſtringenda, adeoque ad pactum, ejusque cauſam, vel veram vel fictam & prætenſam, referri poteſt. *Non ſuccedet hoc* itaque *a*. de pacti eventu, longe alio futuro, capiendum eſt, quod Alexandriam non caperet, nec minorem Ptolemæum ſuperaret, majoremque reſtitueret: quod ſeſe facturum eſſe promiſerat in pacto Antiochus, & exſpectabat vi pacti Ptolemæus major. Antiochus enim fruſtra *tentatis mœnibus Alexandriae diſcedere debuit;* ut modo ex Livio vidimus. *b*. de pacti *duratione* intelligi poteſt; ut ſenſus ſit, illud rumpendum eſſe; uti poſt Antiochi diſceſſum mox factum eſſe, fratribus reconciliatis, & una regnantibus Alexandriæ, ex Polybio *d* & Livio *e* conſtat. *c*. Denique *non ſucce-*

a l. c. *b* Gr. S. l. III. tr. I. can. 27. *c* ad Matt. XXVII: 44. *d* Leg. 89. *e* XLV: 11.

ſuccedet reſpicere autumaverim ad verum Antiochi ſcopum, ſpecie amicitiæ, cum Ptolemæo initæ, velatum, quo Aegypti regnum ſibi voluit vindicare; ut modo obſervavi. Nec hoc ſucceſſum nanciseeretur, ſed ſpe votisque plane excideret Antiochus; ut eventus comprobavit, & ad verſ. 29. demonſtrabimus. Quorum omnium ſucceſſus non ſecuturi *ratio* inde repetitur, quod *finis* omnium Antiochi moliminum contra Aegyptum *propediem*, *ſtatuto tempore*, a Deo ſit definitus, his, quæ ſequuntur, verbis, *quia adhuc finis tempore ſtatuto*, ſcilicet, a Deo fixus & determinatus, vel ex decreto ſupremi Numinis certo futurus eſt. Quod per ſe patet intelligi debere, & ipſa vox מועד, quæ *intenſius conſtitutum* ac *firmatum*, vera ſua emphaſi, denotat, requirit. *Finis* vero ſeſe ad omnia Antiochi conamina contra Aegyptios, de quibus hac pericopa agitur, facile porrigit, adeoque ea in nihilum caſura indicat. Nec illud longius remotum foret, ſed propediem, tempore ſtatuto, contingeret. Quo voces, *adhuc* & *ſtatuto tempore*, tendunt. Vocula עוד *adhuc* ſubinde ſignificat in *poſterum*, quod proxime inſtat, & quaſi *praeſens* eſt, ut exempla apud Noldium *a* facile docent. Quæ omnia ex verſ. 35., ubi ſimilis phraſis occurrit, ulterius confirmantur: ut ſuo loco patebit. Qua ratione vero id effectui dandum ſit, Propheta verſ. 29, 30. exponit. De quo mox.

§. CXXXIV. Primæ hujus expeditionis Antiochi Epiphanis in Aegyptum, ſive continua fuerit, ſive repetita, de quo mox diſputabo, *conſequens*, ad Judæos ſpectans, qui *quartus* eſt pericopæ articulus, his verbis verſ. 28. exprimitur. *Et revertetur in terram ſuam cum magna poſſeſſione, & cor ejus contra foedus ſanctum, & faciet & redibit in terram ſuam*: id eſt. Rebus in Aegypto ita diſpoſitis, ut, foedere cum Philometore contra Alexandrinos, novumque regem Ptolemæum minorem, pacto, fratres ſeſe mutuo bello adtererent, de quo modo actum eſt: Syriam

a de Partic. in voce.

repetet Antiochus, multis ditatus ſpoliis; ſed in itinere per Judæam, maligno & avaro animo litans, Hieroſolymam, ejusque cives, foederis divini & ſedem & populum, invadet, multisque malis adficiet, ſpoliabitque; quo facto, novis cumulatus ſpoliis in terram ſuam demum redibit. Verba & ſua luce, & paraphraſi data, adeo fulgent, ut Interpretum obſervationibus nihil neceſſit ſit addere. De *foedere ſancto*. ejusque amplitudine, qua ſedem & populum foederis Divini complectitur, ſupra *a* quoque quædam monui, & monebo infra *b*. *Cor ejus erit contra foedus ſanctum, & faciet*, eum ſuperbo ac maligno ſuo animo, in Judæos Hieroſolymitanos *accenſo*, cujus ſimilem phraſin verſ. 25. habuimus, ſatisfacturum eſſe, adeoque & populum adflicturum, & opes ſpoliaturum, denotat. Quod non eſt difficile. Cum vero *poſſeſſionum*, quas ſecum domum adferret, expreſſa fiat mentio, *ſpoliationum* putem præcipuam hic habendam eſſe rationem; quod a verbo עשה *facere*, de *acquiſitione* & *lucratione* quoque adhiberi ſolito, quoque non abhorret.

§. CXXXV. Antiochum, mœnibus Alexandriæ fruſtra tentatis, & bello cum Alexandrinis relicto Ptolemæo majori, quocum foedus pepigerat, Syriam repetiiſſe, antequam a Romanis coactus fuerit diſcedere, de quo verſ. 30. agitur, ex hiſtoria clare & certo conſtat. *Quum haec gererentur*, inquit Livius *c*, *Antiochus fruſtra tentatis mœnibus Alexandriae* (vel, ut Gronovius legit, *Alexandria*) *abſceſſerat, caeteraque Aegypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemaeo, cui regnum quaeri ſuis viribus ſimulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit*. Cujus in Syriam reditus, & adflictionis Judæorum tunc factæ, meminit quoque *primus* Maccab. liber *d*, qui epocham figit in ann. ær. Seleucidarum 143., cui conſentit Joſephus *e*. Quid vero occaſionem præbuerit violentæ hujus

a ad verſ. 22. *b* ad verſ. 30. *c* l. XLV: 11. *d* 1 Macc. 1: 20. *e* Ant. l. XII: c. 5. § 3.

hujus invaſionis in Hieroſolymitanos, quæve ibi patraverit facinora Antiochus? éx unico Joſephi loco, modo citato, eruendum eſſe opinor. Solet quidem hiſtoria, quam *primus* & *ſecundus* liber Maccab., 1 Macc. I: 21—28. & 2 Macc. V: 1- refert, ad primum hunc Antiochi impetum referri, & ad noſtrum hunc *verſum* illuſtrandum adplicari, indeque & *cauſa* infeſtationis, in prætenſa defectione Judæorum ab Antiocho ſita, cujus anſam cum ſeditio per impios Pontifices, Jaſonem & Menelaum, ſecum Hieroſolymis pugnantes, mota, tum lætitia ſuper rumore mortis Antiochi, præbuiſſet, & cædes civium, ac Templi ſpoliatio ac profanatio, tum peracta, erui. Sed quæ non hoc tempore, verum *biennio* poſt, *ſecunda* Antiochi in Aegyptum expeditione infeliciter finita, contigiſſe, hæ mihi perſuadent rationes. 1. Quia cum *ſecunda* expeditione Antiochi diſerte connectuntur, 2 Macc. V: 1. quæ alia non eſt, ac qua Romanorum metu compulſus Aegyptum in perpetuum miſſam fecit; ut mox videbimus. 2. Quia commiſſa illa, ibi narrata, anno Seleuc. 145., & non 143, quo prima cœpit infeſtatio, ipſis verbis adligat Joſephus *a*. 3. Quia Hieroſolymam hac prima vice ἀμαχητὶ *ſine pugna* fuiſſe ab Antiocho, a factione ejus in urbem admiſſo, occupatam, expreſſe tradit Joſephus *b*; cum ſecundus liber Macc. *c* urbem fuiſſe δοριάλωτον *armis captam* habeat. Cui ipſe Joſephus alibi *d* concinit, & Diodorus Siculus *e*. Quæ alia ratione conciliari nequeunt, niſi duas diverſas ſtatuendo occupationes. De quo mox plura dicam. 4. Denique, quæ Joſephus ann. 143. narrat ab Antiocho patrata Hieroſolymis, in noſtrum verſum rectius quadrant, quæ vero in libris Maccab., & a Joſepho, a. 145. habentur facta, melius in verſ. 30 &c. conveniunt: ut ſuo loco patebit. Noſtro enim verſu *cor* ejus contra *foedus ſanctum* ſimpliciter dicitur futurum, & *ſpoliatio*

a l. c. § 4. *b* l. c. § 3. *c* c. V: 11. *d* B. J. l. 1. c. 1 & V: 9. § 4. *e* Eclog. l. XXXIV.

liationes præcipue intenduntur: ſed verſ. 30. longe *infeſtior* ejus animus depingitur, & *defectionis* Judæorum, ab ipſo requiſitæ, mentio injicitur. Joſephus [a] vero, prima illa invaſione, urbe ſine pugna capta, *aliquos* contrariæ factionis tantum fuiſſe occiſos, Antiochum, *magnae pecuniae vi direpta*, *Antiochiam rediiſſe*, tradit. Quid vero ad id incitaverit regem, non quidem addit; ſed *factionem* ejus inter Hieroſolymitanos regem excitaſſe, quod & alias factum fuiſſe diſerte refert alibi [a] Joſephus, haud obſcure indicat. Antiochum enim a ſuæ factionis viris fuiſſe admiſſum, & contrariæ partis trucidatos, memorat. *Avaritia* quoque, qua divitias Hieroſolymitanas concupivit, quin regi incitando ſuffecerit, dubium non eſt. Quo noſtra verba præcipue collineant, *ſpoliatio* quoque, Joſepho memorata, nos ducit. Hypotheſi noſtræ quid admodum obſtet, non video, niſi illud unum, quod Templi profanatio, & multiplex ſpoliatio, cum multa cæde alia, invaſioni Antiochi, quæ ann. 143. contigit, ſubjungatur 1 Macc. 1: 21. quam poſtea demum perpetratam fuiſſe, ann. 145., noſtra requirit hypotheſis. Quæ difficultas facile e medio tolletur, duas invaſiones Antiochi ſtatuendo confuſas, & in unam conflatas, eſſe ab hoc Scriptore; quod optimis ſubinde contingit hiſtoricis, & ſacris & profanis: ut multa docent exempla. Cujus in eo etiam eſt indicium, quod ann. 145. ſolius principis tributorum ab Antiocho in Judæam miſſi fiat 1 Macc. 1: 29. mentio, cum tamen ipſe Antiochus tunc etiam irruerit in Hieroſolymitanos, ut mox clareſcet: quam Antiochi ipſius invaſionem oportet noſter autor ſimul complexus fuerit pericopa præcedente. Exſtat quoque apud Joſephum & *ſecundi* libri Maccab. autorem ſimilis confuſionis in hac ipſa infeſtationum Antiochi hiſtoria exemplum, mox in lucem proferendum.

§. CXXXVI. Priore Antiochi in Aegyptum expeditione,

a Antiq. l. XII. c. 5. b B. J. l. 1. c. 1.

ne, eamque ſecuta Hieroſolymæ infeſtatione, depicta, *poſteriorem* & ultimam, longe infeliciorem, prænunciat Propheta verſ. 29, 30: novam, longeque infeſtiorem Judæorum oppugnationem, indeque natum cum Maccabæis bellum, fuſius delineat verſ. 30--35. Ad expeditionem ejus ultimam in Aegyptum quod adtinet: Antiochum, audito fratres, Ptolemæum Philometorem & Euergeten, ſeu Physconem, ſecum reconciliatos eſſe, & una regnare Alexandriæ, ſpe, quam de fratribus ſe invicem attrituris conceperat, fruſtratum, denuo in Aegyptum moviſſe, ut Ptolemæos jam ambo oppugnaret, & regnum Aegypti armis ſibi vindicaret, eique legatos Romanorum, quorum primus erat Popillus Lænas, ad Leuſinem, quatuor millia Alexandria diſtantem, occurriſſe, utque discederet nomine populi Romani juſſiſſe, cumque reſponſum differendum vellet, circulo a Popilio circumſcriptum, intra quem maneret, donec quid vellet reſpondiſſet, animo fractum, ſe obſequium juſſis præſtiturum, dixiſſe, & e veſtigio Aegypto ducesſiſſe, ad quam hiſtoriam hic reſpicitur; notum ex Polybio *a*, Livio *b*, Appiano *c*, Juſtino *d*, Porphyrio ſeu Græca & Romana hiſtoria *e*, ne Joſephum *f*, Vellejum Paterculum *g*, Valerium Maximum *h* ad partes vocem, lectoribus meis eſſe velim: id utique ſatis vulgatum, hic enarraſſe nihil adtinet. Quod ann. Seleucid. 144. accidiſſe, recte demonſtravit Jungmannus *i*. Verba prophetæ, eo ſpectantia, ita habent, verſ. 29, 30. *Definito tempore redibit & hoſtiliter intrabit Auſtrum;* (regnum Auſtri) *ſed non erit ſicut prius & ſicut poſterius. Et venient contra ipſum navibus Chittaei & conteretur.* Quorum & ſenſus in genere, & implementum, ex modo narrata hiſtoria, in omnium oculos incurrit, & Interpretum, qui de Antiocho, & non de Antichriſto, intelligunt, conſenſum

a Leg. 90, 92. *b* l. XLV: 11, 12. *c* Syr. p. 212.
d l. XXXIV: 3. *e* apud Hieron. ad h. l. *f* Ant. l. XII. c. 5.
g l. I: 10. *h* l. VI. c. 4, *i* ad Dan. l. I. ſect. 2. p. 409.

ſenſum retulit: adeo ut, niſi in verbis & phraſibus, nihil noſtræ ſit relictum curæ.

§. CXXXVII. Verba, *non erit ſicut prius & ſicut poſterius*, ita a plurimis capi ſolent, ut *duas* præcesſiſſe in Aegyptum expeditiones, hancque ultimam fuiſſe *tertiam*, cui Romanorum legati finem impoſuerunt, ſignificent. *Tres* enim vulgo ſtatuuntur, ne de Uſſerio, qui *quatuor* voluit, dicam. *Prima* foret, qua, Philometore profligato, ac adſociato ſibi, Aegyptum, excepta Alexandria, ſubjugaſſet, domumque, intacta Judæa, repetiiſſet. *Secunda* Philometori, ab Alexandrinis, rejecto fratre, ſuffecto, reſtituendo, & Alexandriæ occupandæ, fuiſſet impenſa. Quæ, fruſtra ſuscepta, in Judæos prima vice adfligendos exiiſſet. *Tertia* hæc ipſa foret, qua de hic agitur. Quæ hypotheſis neſcio an ex male intellecto Daniele originem non habeat? Nusquam utique *duplicis* expeditionis, *alterius* ad Aegyptum devincendam, *alterius* ad Philometorem ſedi ſuæ reddendum, mentio occurrit, quantum novi, apud probatum aliquem hiſtoricum. Una eademque ſerie omnia, quæ ante ultimam hanc noſtram expeditionem egit in Aegypto, narrantur, poſſuntque etiam in unam eandemque omnia recte conferri; ut bene Viri Doctisſimi, Valeſius [a] & Jungmannus [b], obſervarunt. Quid? quod 1 Macc. 1: 20. prima Judæorum per ipſum vexatio ſubnectatur haud obſcure. *Secundam* quidem expeditionem diſerte adpellat autor *ſecundi* Maccab. c. v: 1. quem locum minus feliciter expedivit, & ad ſuam hypotheſin adcommodavit Doctus in primis Vir Jungmannus [c]: ſed noſtram, & ultimam, omnino in oculis habuit iſte autor; ut ex Judæorum calamitate, eum immediate ſecuta, quam ibi narrat, manifeſtum eſſe reor. Eadem quidem mala ſunt, quæ *primus* Macc. liber *primae* expeditioni ſubjungit, ſed *duas* diverſas infeſtationes ab hoc autore permis-

a ad Excerpr. Diodori p. 49, *b* ad Dan. l. 1. Sect. 11. cap. 15. *c* l. c. p. 401.

permiſceri, ſupra obſervavi. Tantum itaque abeſt, ut nobis obeſſet *ſecundus* Maccab., ut proſit cum maxime; quia *duas* tantum memorat Antiochi expeditiones; & ea narrat uno tenore, omnium conſenſu, verſ. 24. &c. quæ *ultimam* expeditionem exceperunt. Magis forte ad id quis obhæreſcat, licet illud ab aliquo non meminerim objectum, quod inter victum Philometorem, & conamina Antiochi de ipſo in regiam ſedem reſtituendo, longius videatur temporis ſpatium requiri, quam in unam conveniat expeditionem, quia Antiochus apud Polybium *a* dicit, ſe *πάλαι dudum* cum Philometore *pacem* feciſſe, adeoque ſe, ut reſtituatur, omnino velle. Sed, præterquam quod Rex rem exaggerare potuerit, nec ejusmodi locutiones ad vivum ſint reſecandæ, juſtum, quippe totius *anni*, ſpatium & longius etiam inter primam invaſionem Antiochi, quæ certo definiri nequit, & hoc tempus, quo illa fatus eſt, interfuit; cum ab Alexandria oppugnanda jam tunc deſtitiſſet, uti ex præcedente *b* liquet: nec *πάλαι* ſemper longum adeo tempus exigit, cum de eo, quod proxime contigit, ſubinde uſurpetur, obſervante Budæo, & Euſtathio adfirmante, *Ἴσμεν γὰρ*, inquit *c*, *ὅτι ἡ Ἀνθις παλαι οἶδε λέγειν ȣ̓ μόνον τὸ ἀφ' ἱκανȣ̃ χρόνȣ, ἀλλὰ καὶ τὸ πρὸ ὥρας ἢ καὶ στιγμῆς*: quem locum debeo Cl. Wetſtenio *d*: quo utique ſenſu venit Marc. xv: 44. & apud Græcos autores, ut ex. gr. Polybium *e* & Joſephum *f*.

§. CXXXVIII. Tantum vero abeſt, ut *trium* expeditionum meminiſſet, aut hic, aut in præcedentibus, *duarum* aliarum Daniel, quod unicum eſt receptæ ſententiæ fundamentum, ut *duarum* in univerſum manifeſta reperiantur indicia. Pericopam, verſ. 22.-24., ſummariam omnium geſtorum & factorum, & non *primam* expeditionem, continere, ſupra adſirmavi. *Primam*, eamque continuam

 expe-

a Legat. 84. p. 1262. *b* Leg. 83. p. 1261. *c* in Il. κ. p. 677. *d* ad Matt. xi: 21. *e* H. l. 1. p. 41. l. 17. & l. v. p. 548. l. 25. l. xv. p. 975. l. 26 ac p. 995. l. 31 & alibi. *f* B. J. l. 1. c. 1. § 1.

expeditionem, repræſentari verſ. 25-27. quoque vidimus. Noſtri denique verſus phraſis, *non ſicut prius*, & *ſicut poſterius*, non duas conſpiciendas præbet, *priorem & poſteriorem*, feliciter peractas, ut putatur; ſed *priore* longe infeliciorem fore *poſteriorem*, *hanc* multo diverſum habituram ab *illa* effectum, ſtilo Hebræo, uſu confirmato, denotat. Senſus eſt, recte notante Coccejo, *non ſimilis futurus eſt ſucceſſus priori:* uti loca, infra *a* ſignata, ſatis evincunt. *Prius* itaque præcedentem expeditionem, modo conſignatam, *poſterius* hanc ipſam alteram ſignat, & ſenſus eſt, *hanc poſteriorem* longe fore infortunatiſſimam. Quam emphaſin habet לא תהיה *non erit* pro *nihil minus* erit, ſed longe aliter, contumelioſiſſime, & fataliter cadet. Quæ ſatis uſitata eſt voculæ לא *non* poteſtas. Reliqua ſunt facilia; & recte expedita ab Interpretibus: tantum negligenda non erat emphaſis vocis למועד *ſtatuto tempore*, quæ, ut opinor, manifeſte nos ad verſ. 27., *quia adhuc finis* למועד *ſtatuto tempore*, ducit, ut illud ipſum tempus *finis* nunc præſto eſſe adverteremus. *Statutum* igitur *tempus* non eſt *fixum & præfinitum* ſimpliciter, ſed illud in ſpecie, quo *finem* haberent Antiochi in Aegyptum molimina.

§. CXXXIX. Infelicem hunc exitum, ejusque modum, hæc verba verſ. 30. ſiſtunt: *& venient contra ipſum navibus Chittæi & conteretur*, is nimirum ipſe, *qui in* regnum Auſtri ſtatuto illo tempore irrueret: ut facile adparet. Sed qui ſunt *Chittæi*, כתים? & quid ציים *naves*? Chittæorum nomine *Cyprios* venire in fragmentis Menandri *b*, *Macedones* vero in *primo* Maccab. libro *c*, adeoque utriusque fuiſſe antiquitus hoc nomen adplicitum, dubium licet mihi non ſit, *Italos* tamen, & Italiæ *inſulas*, Siciliam, Corſicam, Sardiniam, & alias maris Mediterranei vicinas, eo unice

a Gen. XVIII: 25. Joſ. XIV: 11. 1 Reg. XXII: 4. Jeſ. XXIV: 2. Ezech. XVIII: 4. Hoſ. IV: 9. Eccleſ. IX: 2. Vid. etiam Nold. *de particulis*. *b* apud Joſ. Ant. l. IX: 14. *c* C. I: 1, VIII: 5.

unice inſigniri nomine in Scriptura, ex variis locis *a* manifeſtum mihi adeo feciſſe videntur Viri Doctiſsimi, Bochartus *b* & Vitringa *c*, quicquid contra disputet Clericus *d*, qui pro *Macedonibus* pugnat, ut nihil neceſſe fuerit addere. Ne tamen quis ad Num. XXIV: 24. offendat, in quo ſeſe inprimis fundat Clericus, & ex quo forte id hauſit autor primi Maccab.; ejus ſenſum, nondum recte perceptum, paucis dabo, qui Macedonas intelligi poſſe negabit. Verba ita habent in ultima parte vaticiniorum Bileami, וצים מיד כתים *& deſerticolæ ad latus Cittæorum*, ut verba vertenda ſunt, & non, *& naves e regione Cittaeorum*, ut ſolent, *& ſubigent Aſſurem*, *& ſubigent* עבר non, ut ſolet, *Heberum* ſeu Hebræos, verum *transfluviales*, aut *transeuphratenſes*; quod Doctiſſimo Hyde *e* quoque placuiſſe poſtea vidi. Reſpicitur ad *Macedones*, qui ſub Alexandro M. regiones illas Aſianas Orientales occuparunt: quod alias latius exſequar. Hi vero non adpellantur, quod notari velim, כתים *Chitthaei*, ſed צים *deſerticolae ad latus Citthaeorum*. *Navium* vero ſignificatio, quæ communem abſtulit calculum, huc nullo modo quadrat, nec ſenſum aut veritatem habet in Macedonibus, Aſiam ſub Alexandro inundantibus. *Deſerticolae* vero, quem uſum vox Hebr. quoque habet, de quo mox, *Macedones* recte & characteriſtice, ſi ad originem & ſitum eorum ante Philippum, Alexandri Patrem, reſpicias, adpellantur. *Philippus vos nactus*, verba ſunt Alexandri ad Macedones apud Arrianum *f*, *incertis ſedibus vagantes ac inopes*, *exiguosque ovium greges in montibus paſcentes --- ex montibus in planitiem deduxit*, *urbes vobis habitandas dedit*, *optimisque legibus & inſtitutis ornavit*. Cum vero & alii populi hunc titulum ferre queant, Chaldæi gerant Jeſ. XXIII: 13., hinc, ut magis definirentur, eremicolæ *ad latus Cittaeorum* vocantur:

a Gen. X: 4. Num. XXIV: 24. Jeſ. XXIII: 1. Ez. XXVII: 6.
b Geogr. S. l. III: c. 5. *c* ad Jeſ. l. c. *d* ad Gen. X: 4.
e de relig. vet. Perſ. c. II. p. 52. *f* Hiſt. Alex. l. VII: p. 284.

cantur: qui ergo alii ac Italiæ incolæ, quorum lateri adhærent Græci & Macedones, eſſe nequeunt.

§. CXL. Pugnat & noſter locus pro *Italis* fortiter, cum Romanorum, & non Macedonum aut Græcorum, legati in Aegyptum venerint, & Antiochum repreſſerint. Cogitant quidem de *navibus Macedonum*, quibus e Macedonia vel Græcia veniſſent Legati; ſed *a.* quid quæſo emphaſios haberet, *Macedonicas* naves in ſpecie memoraſſe? quid ad rem naves, ſive e Macedonia, ſive aliunde, faciunt? *b. populi*, qui venirent, ſilentio penitus involverentur, navibus tantum memoratis. Quod cui non abſurdum videatur? *c.* Naves denique, quæ legatos transvexerunt, non ex *Macedonia* venerunt, ſed ad Delum ſteterunt, erantque tantum præſidio navibus Macedoniam, ubi tunc bellabant Romani, petentibus; uti ex Livio *a* patet, qui addit, Popilium, ſtatim ac in *Macedonia* debellatum eſſet, *& ſtatione ſummoti hoſtium lembi, dimiſiſſe naves Atticas, & Aegyptum navigaſſe.* Sint itaque *Chittaei* Italiæ incolæ, in ſpecie *Romani*, & cum verbo *venient* conſtruantur; omnia facile fluent, & hiſtoriæ accuratiſſime reſpondebunt. Ceterum, licet nomen illud ſit Italis, eorumque inſulis, proprium, alio itaque nomine Propheta vix commodius ad Romanos deſignandos uti poterit; vix tamen dubitaverim, quin ad ſignificationem *nominis* כתים *Cittim* digitum ſimul intenderit; ſive inde derivandum ſit nomen, quod non adfirmaverim, ſive ad eum ſignificatum, quod prætulerim, ſimpliciter adluſerit; cujus moris non deſunt apud Prophetas exempla, cuivis obvia: ut Jeſ. XIII: 6. & alibi, apud unum Micham plura cap. I. Quod ſeſe & eo commendat, quod mox adliteratio, ſtilo Prophetico uſitata admodum, captetur in verbo ובאו & nomine כתים. Reſpicitur nempe ad radicem כתת, unde כת, & plur. כתים quoque derivavit Doctiſſ. Simon *b.* Significat

a l. XLV: c. 10.
b Onom, p. 215.

cat proprie, uti docuit Cl. Schultens *a*, *tundere*, *contundere*, & vim habet in tali tuſione, quæ cum leni & obſcuro fit ſtrepitu, ut ferri ſub incude, cum ſubtiliora fiunt inſtrumenta; & eſſe mihi videtur a ſono fictum. Hinc figurate ad *ſubactionem* transfertur, qua hoſtes lentis & multis ictibus contuduntur, & ſubiguntur *b*. Quod quam apte in Romanos, orbem terrarum lentis ictibus contundentes, & ſibi ſubjicientes, conveniat, huic etiam loco, ubi Antiochum contriverunt, ut mox additur, conſentaneum ſit, cuivis in promtu eſt.

§. CXLI. Difficilius forte expeditur vox ציים, quam *naves* communiter reddunt, ſolus Græcus Interpretes οἱ ἐκπορευόμενοι *egreſſi Cittaei* habet, Syrus vero *caſtra*, *exercitus*, qui rem ex ſua opinione, non vocem, expreſſit, Græcus vero ad יצא *exire* reſpexiſſe videtur, & pro מציים legiſſe יצאים; quod non diſplicet Doctiſſimo Hyde *c*, ſed nec illud aliquid emphaſios habet, nec ratio eſt, receptam lectionem, quæ utique illam non fert interpretationem, migrandi. Retinebimusne itaque *naves*? & vertemus, *venient contra eum naves Cittaeorum*? Sed nec illud difficultate caret 1. quia *naves* non ציים, ſed צים, cum ſimplici י, adpellantur in Scriptura; ציים vero *deſercicolas* notat. 2. *Navium* mentio quid huc multum faciat, difficulter cernitur, cum per *naves* ſeu claſſem non adtritus ſit Antiochus, ſed *legatos* Romanorum. 3. Vox ציים cum in ſtatu conſtructo non ſit, *naves Cittaeorum* reddi non poſſe videtur. Quid itaque? lectionem hodiernam levi menda, incuria librariorum, eſſe adfectam, qua צרים in ציים transiit, quæ ſeſe tuita eſt per Num. XXIV: 24. quocum hic locus videtur comparari poſſe; adeoque veram lectionem eſſe צרים, mihi aliquando incidiſſe, nec diſplicuiſſe, fateor, cum quod levis & facilis ſit litterarum, ductu vicinarum, ר & י, mutatio, nec ſine exemplo,

a Clav. p. 315. & ad Job. IV: 20. *b* Pſ. LXXXIX: 24. 2 Chron. XV: 6. *c* Relig. vet. Perſ. c. 2. p. 54.

plo, peperit enim ea confuſio diverſam ſcripturam עיר & עי Joſ. VIII: 12, 16. nec non diverſa nomina עזריה & עזיה 2 Reg. XV: 13, 17. ne plura ſimilia proferam, tum quod צרים pro צירים, prima littera י non expreſſa, ut haud infrequenter in aliis vocibus, quæ vox *legatos* denotat, huc egregie quadret. *Legati* enim ubique in hiſtoria adpellantur, qui contriverunt Antiochum, uti notum eſt. Vertenda ex hac opinione ſunt verba, *& venient contra ipſum legati Cittaei*, vel *ex Cittim*, per ellipſin מ in voce כתים, ſatis uſitatam, & hic facilius admittendam, quod littera מ per ſuperiorem vocem, in eandem litteram deſinentem, fuerit abſorpta, ne bis occurreret. Cujus rei exempla alibi *a* produxi plura.

§. CXLII. Sed cum ad criſin, facillimam licet & leviſſimam, non niſi in deſperatis, tanquam ad ſacram anchoram, utique in Scripturis ſacris, confugiendum ſit: alia via num receptam lectionem expedire liceat, experiamur. *Navium* ſignificatus ſi retinendum ſit, 1. vocem eo ſenſu quidem uſitate צים ſcribi, ſed analogice quoque ציים poſſe, obſervandum eſt, cum צי, a ציה, in plur. æque ציים ac צים admittat, ut a עי eſt עים & עיים *tumuli*, ab אי איי & אים inſulæ, &c. *b*. 2. verba verterim, *& venient in ipſum navibus*, (cum navibus,) *Chittæi*; præp. ב in ציים per ellipſin, ſatis uſitatam, intellecta; quæ Ez. XXX: 9. additur, hic omiſſa videtur euphoniæ cauſa, quia præceſſerat ב in בו. 3. *Navium* denique expreſſam fieri mentionem ſtatuerim *a.* quia per *mare*, & non *terram* venirent Romani, ut eos veniſſe Hiſtorici quoque diſerte adnotarunt. *b.* quia non claſſe & cum exercitu, multiſque copiis, ſed *navibus* ſimpliciter, inſtar *legatorum*, adpellerent in Aegyptum. Sic Jeſ. XVIII: 2. de Aegypto, *tu, qui mittis per mare legatos, & vaſis ſcirpeis ſuper aquas!* clarius Ez. XXX: 9. *illo tempore legati egredientur navibus ad Cuſchæos perterrefaciendos.*

a Diſſ. VI. ad Gen. XLIX: § 261. *b* Vid. Schult. Gr. reg. 82.

dos. *c*. Quia *citiſſime* & improviſo ſupervenirent: ſicut mox loco Jeſ. additur: *ite nuncii celeres*, & in loco Ez. quoque adtenditur. *d*. Quia tempore Prophetæ, & aliquandiu poſt, mari ſeſe committere non ſolebant Romani, niſi commercii cauſa hoc vero tempore, quo impleretur prophetia, rei maritimæ non tantum periti & adſueti, ſed & *maris Domini*, οἱ θαλαττοκρατοῦντες, forent. Quod bello Punico finito incepit, uti notum eſt. In rem Florus *a*, de primo bello Punico agens, *igitur ſpecie quidem ſocios juvandi, re autem ſollicitante præda, quanquam territaret novitas rei, (tanta tamen in virtute fiducia eſt) ille rudis, ille paſtorius populus, vereque terreſter, oſtendit nihil intereſſe virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur. Appio Claudio Conſule primum fretum ingreſſus eſt*, &c. Legi etiam hac de re meretur Polybius *b*. Memoratu itaque dignum erat, Citthæos illos *navibus*, tanquam *maris* jam *dominos*, adventuros in Aegyptum.

§. CXLIII. In hisce etſi acquieſcere licet, cum tamen vox ציים, cum duplice י pro *navibus* ſumi non ſolita, ſcrupulum injicere non deſinat; ad alium circumſpiciamus vocis intellectum, quo fortes, duros, eremicolas vel ſcenitas & latrocinales, ſignat, eumque ad locum præſentem adplicare inſtituamus. Radix ציה, Arab. صوى in origine dicit *complicationem contortam*, qualis eſt *funiculi*, unde cum *robuſtum*, q. d. contortum, intortum, viribusque compactum, & trucem torvumque, tum *aridum*, q. contortum & complicatum præ ariditate, & ſic deſertum, ſeu terræ partem altiorem dnrioremque, exprimit; quod de rad. قوى, per quam noſtra exprimitur, obſervavit Cl. Schultens *c*, & de noſtra ad ejus exemplum Rev. Kuypers *h*. Hinc etiam *navium*, ſeu *ratium*, quippe ex trabibus connexis compactarum, ſignificatus fluxit, ut arbitror. In S. Scriptura ציים ſive *deſerticolæ* ſunt, in aridis & petro-

a l. II. c. 2. *b* Hiſt. l. I. c. 20. p. 27. &c. *c* ad Har. conſ. III. p. 135. *d* Diſſ. Acad. ad V. T. loca p. 18.

petroſis locis degentes, homines & feræ, *feles agreſtes*, uti Bochartus *a* demonſtravit, ſive in genere homines truces, fortes, ac latrocinalem vitam agentes; ut loca in Lexicis obvia evincunt. Quemadmodum itaque Chaldæi *b*, Macedones *c* aliique populi barbari *d*, hoc epitheto ob dictas rationes inſigniuntur; ita, quare *Romani*, *ferox e* in origine, rudis, & *paſtorius*, *vereque terreſter populus f*, cui diu adfuit *quædam adhuc ex paſtoribus feritas*, quæ *quiddam ſpirabat indomitum g*, *genus hominum agreſte h*, *ferox* & *rudis* populus *i*, ἐξ ἀγρίων καὶ βοτήρων *ex agreſtibus & paſtoribus* conflatus, ut Plutarchus *k* ait; cujus conditores, Romus & Romulus, *ita educati*, *quum primum adolevit ætas*, *nec in ſtabulis*, *nec ad pecora ſegnes*, *venando peragrare circa ſaltus l*, ſocietas in principio *paſtorum*, *ſervorum*, *homicidarum*, & *obæratorum Romam* tanquam in *aſylum confluentium*, teſte hiſtoria, *paſtorum convenarumque plebs transfuga ex ſuis populis*, ut Livius *m* loquitur, eodem titulo venire non potuerint? non video; maxime cum tempore prophetæ noſtri tales omni ſua emphaſi adhuc fuerint. Solent autem prophetæ epitheta ſuis temporibus, aut rebus ipſis, congrua eligere, quibus populos aut homines inſigniunt. Sed nec a re alienum eſt, ferocem hanc populi Romani indolem in Popilio, qui Antiocho diſcedere juſſit, hoc tempore eluxiſſe. Ipſe enim, teſte Livio *n*, *vir aſper ingenio*, *augebat atrocitatem eorum*, *quæ dicerentur*, *vultu truci*, *& accuſatoria voce*; Antiochum quoque terribili, autoritatisque ſeveræ plena, voce adlocutus eſt, *prius*, *quam hoc circulo excedas*, *da reſponſum*, *quod ſenatui referam*. *Non legatum locutum*, *ſed ipſam curiam ante oculos poſitam crederes*, inquit Valerius M. *o*. Feciſſe quoque ipſum πρᾶγμα βαρὺ μὲν δοκεῖν εἶναι, καὶ

a Hieroz. p. I. l. III. c. 14. *b* Jeſ. XXIII: 13. *c* Num. XXIV: 24. *d* Pſ. LXXII: 9. LXXIV: 14. *e* Flor. l. I: 2. *f* l. II. c. 2. *g* l. I. c. 22. *h* Liv. l. I. c. 8. *i* Id. ib. c. 19. 32. *k* de fort. Rom. p. 321. *l* Liv. l. I. c. 4. *m* l. II. c. I. *n* l. XLV. c. 10. *o* L. VI. cap. 4.

ϗ τελέως ὑπερήφανον, *rem in ſpeciem aſperam & omnino ſuperbam*, fatetur Polybius [a]. Poſſem de ferino more, quo cum populis egerunt Romani, plura proferre, ſi res dubia aut ignota eſſet. De *fortitudine* eorum, quam vox צים comprehendit, res quoque eſt teſtatiſſima. Cum feris, & libertatis bonorumque aliorum raptoribus, etiam comparantur. Teleſini, ducis Samnitium, dictum fuit apud Vellejum Paterculum [b], *nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos; niſi ſylva, in quam refugere ſolent, eſſet exciſa*. Sic & Mithridates apud Juſtinum [c]. Præſtiterunt utique Romani ſeſe, ſi non fabulam, ſed rem ſpectes, *Martigenas*, & *lupino lacte* nutritos, qui *vulturum* augurio urbem condiderunt, & *aquilarum* ſigno uſi ſunt, urbem in parricidio, & ejus propagationem in raptu mulierum fundarunt. Præterea, qui eorum character fuit, Polybio [d] in elegante excurſu notatus, καθόλȣ πρὸς πάντα χρώμενοι τῇ βίᾳ *in univerſum ad omnia violentia uſi*, per omnia *projecta audacia perrumpere* ſolebant. Quid itaque impedit, quominus צים כתים ſint *fortes*, *feroces*, & origine ſua *ſcenitæ* ac latrocinales, *Cittæi*, aut *ex Cittæis*, qui Italos in genere ſignant?

§. CXLIV. Quocunque modo ſumatur, quod cujusque arbitrio relictum velim, *Romanos* hic aptiſſime deſignari adparet, quod mihi nunc ſufficit. Sed quem effectum haberet eorum adventus in Aegyptum in Antiocho Epiphane? *& bebetabitur*, inquit prophetia, emphatice profecto, & accuratiſſime! Radices, כאה, כהה & קהה, vicinæ & ejusdem originis, *hebeſcendi*, uti recte Coccejus, ſignificatum habent, ſed, quod obſervo ex comparatione cum Arab. & vicinis linguis, qui a *tundendo*, *retundendo*, quæ propria poteſtas eſt, fluxit Hinc cum *reprimere*, vim & impetum frangere, tum *obſtupefacere*, moerore adfligere, & ſimilia, uſu ſuo, quod facillimum eſt, denotat.

a Leg. 92. b l. II. c. 27. c l. XXXVIII: c. 6.
d Hiſt. l. I. p. 53.

tat. *Stupore* itaque & *dolore* adfectum, ac repreſſum fuiſſe Antiochum, eaque ratione abſcedere juſſum, indicatur. Quod & hiſtoriæ, & phraſibus, apud Hiſtoricos obviis, adprime convenit: ὁ μὲν δὴ καταπλαγεὶς ἀνέζευξε *ille vero perculſus & territus diſceſſit*, inquit Appianus *a*, ξενισθεὶς τὸ γινόμενον καὶ τὴν ὑπεροχὴν *obſtupefactus iſto adeo inſolito ac imperioſo facto -- faciam, ait, quicquid populus Romanus jubet*, & ſic βαρυνόμενος καὶ στένων *gravatus ac gemens copias abduxit*, inquit Polybius *b*. Cui verba Livii *c* conſentanea ſunt, *obſtupefactus tam violento imperio --- faciam, inquit, quod cenſet Senatus.* Nec diſſimilia ſunt Juſtini *d* verba: *adeoque hæc asperitas animum regis fregit, ut pariturum ſe ſenatui reponderet.* Sed non poſſum, quin & aliam orationis emphaſin, qua *citiſſimus* effectus ob oculos ponitur, obſervem. Littera enim ו *&* repetita haud infrequenter vim ſententias conjungendi habet, ut uno eodemque tempore contigiſſe adſerat. Sic hoc loco; *& venient,* —— *& bebetabitur*, idem eſt ac, *ſtatim ac venerint bebetabitur;* ſive, *cum venerint bebetabitur.* Exempla ubique ſeſe adtendenti offerent; aliqua infra *e* ſignabo. Quam ſermonis elegantiam hiſtoria adtendere jubet. Statim enim, ac in conſpectum regis venerunt Legati, juſſis Romanorum eum ſe obſequioſum futurum profiteri coegerunt, nec ullam deliberandi moram, circulo circa eum facto, quem non ante reſponſum tranſiliret, tulerunt. *Senatus conſulti quoque mens erat, ut* ἐξαυτῆς *ſtatim finiret bellum adverſus Ptolemæum. Itaque*, ſic pergit Polybius *f*, *paucorum dierum, ac numero certo definitorum, ſpatio conceſſo, Antiochus copias abduxit.*

§. CXLV. Vertit ſeſe nunc prophetia ad triſtiſſima Judæorum fata, quæ Antiochi ignominioſum ex Aegypto diſceſſum, modo deſcriptum, ſecuta ſunt, partim ab ipſo

a Syr. p. 212. *b* leg. 92. p. 1274. *c* l. XLV. c. 12. *d* l. XXXIV: 3. *e* 1 Sam. XVII: 42. 2 Reg. IV: 22. IX: 2. XI: 1. Nah. III: 12. *f* Leg. 92. p. 1274.

ſo Antiocho in reditu in Syriam, partim a ducibus & copiis ejus, ipſo in Syriam reverſo, patrata, ab anno Seleucidarum 145, quo hæc mala, teſtibus Joſepho [a] & *primo* [b] Maccab., inceperunt. Ipſius Antiochi impetum in Hieroſolymitanos his verbis comprehendi autumem verſ. 30. *& revertetur & efferveſcet contra foedus ſanctum, & faciet.* Quibus ſimilis plane infeſtatio ei, quæ verſ. 28. depicta eſt, ab ipſo rege præſente inſtituenda, exhibetur, hoc tantum cum discrimine, quod violentior foret & gravior. Verbis enim nihil differt utraque adflictio, niſi quod verbum זעם de majore ira regis, ſeſe nunc exertura, teſtetur. Cum enim verſ. 18. *cor regis contra foedus ſanctum* ſimpliciter memoretur, hic *æſtuans indignatio* ipſi adtribuitur. Verbum זעם non qualemcunque, ſed *ebullientem* & *efferveſcentem*, quæ ſpumas agit, cum *iram*, tum *inſolentiam* & arrogantiam, verbis vel factis demonſtratam, vera ſua vi, in *ſpumando* ſita, & uſu ſuo, depingit. De quo conſulendus eſt Cl. Schultens [c]. Senſus itaque eſt, Antiochum 1. ejusdem generis inſectationem, quam priore ſuo reditu in patriam inſtituerat verſ. 18., nunc in *poſteriore* reditu *reſumturum*. Quo illud ושב *& redibit* manifeſte pertinet. Reſpicit enim ad priorem impetum, ſupra delineatum, nunc repetendum in reditu quoque ad terram ſuam: adeoque 2. ipſum Antiochum præſentem Hieroſolymas occupaturum, ſpoliaturum & cæde polluturum; uti & antea fecerat: ſed 3. longe ſeverius & arrogantius nunc acturum, ira & indignatione aeſtuante incitatum.

§ CXLVI. Hiſtoriam ſi conſulamus, hanc prophetiæ partem exacte reperiemus impletam in violenta Hieroſolymæ oppugnatione & occupatione, cujus meminit Joſephus [d], & *ſecundus* Maccab. [b], ejusque non tantum, ſed & Templi totali ſpoliatione, multorumque civium cæde, quam alibi quo-

[a] Ant. l. XII. c. 5. [b] c. 1: 39. [c] ad Prov. XXII: 14. XXIV: 24. [d] B. J. l. 1. c. 1. [e] c. V: 11.

quoque Joſephus [a], & *primus* Maccab. [b], deſcribit; Diodorus quoque Siculus [c] adtigit: ſed *ſecundus* Maccab. [d] diſtinctius tradidit. In adflictionis Epiphanicæ, ut adpellatur, narratione Joſephus ſibi non conſtare, nec *duo* Maccab. libri ſecum conſentire videntur. Joſephus alio in loco [e] Hieroſolymam *dolo* fuiſſe, ſeu ſimulata amicitia ac pace, captam, alio vere loco [f] vi expugnatam & armis, poſt obſidionem violentam, refert. *Primus* vero Maccab. *doloſam* confirmat occupationem, ſed non Antiocho, verum *præfecto tributorum*, ab ipſo miſſo, adtribuit: *ſecundus* autem Macc. violentam expugnationem habet, & ipſi Antiocho vindicat. Quæ ut ſecum in concordiam redeant, notandum eſt. 1. Joſephum utroque in loco duplicem infeſtationem, alteram a rege, alteram a Duce factam, permiſcuiſſe, & 2. *primum* Maccab. ſolius Ducis infeſtationem, poſt ſecutam, memorare: hac Antiochi ipſius, nunc facta, cum priore, ante *biennium* inſtituta, confuſa, & in præcedente pericopa [g] narrata; ut ſupra [h] obſervavi. *Secundus* Maccab. liber, priore impetu, ann. 143 Seleucid. facto poſt priorem Antiochi expeditionem in Aegyptum, omiſſo, *poſteriorem* infeſtationem diſtincte & ordine narravit, nobisque viam, modo apertam, ad diverſas prima ſpecie narrationes in ordinem redigendas, ſtravit facillimam, noſtræ quoque Prophetiæ apte congruam. Poſt hanc enim adflictionem. quam verba noſtra exhibent, mox memorat aliam, a copiis Antiochi, non ipſo rege, inſtitutam, ubi pergit: *& revertetur & adtendet ad deſertores foederis* &c.

§ CXLVII. Hac jacta hypotheſi, irruptionis Antiochi in Hieroſolymitanos, ordine *ſecundæ*, ſed poſt ultimam expeditionem in Aegyptum *primae*, & *occaſio*, & *modus* ac effecta faciles habent explicatus, prophetiæ *verbis*, quæ nos nunc exer-

[a] Ant. l. XII. c. 5. § 4. [b] c. 1: 21. [c] Eclog. lib. XXXIV. [d] c. V: 11--21. [e] Ant. l. c. [f] B. J. l. c. & l. V. c. 9. § 4. [g] 1 Macc. 1: 20--28. [h] § 133.

exercent, conſentaneos. *Anſam* præbuerunt inteſtini motus Hieroſolymitanorum a Jaſone & Menelao, de ſummo ſacerdotio decertantibus, ſuſcitati, Menelai factione partim *arce* incluſa, partim fugata, quæ Antiochum excitavit ad hunc impetum: uti ex *ſecundo a* Maccab. & Joſepho *b* ſecum collatis mihi colligere poſſe videor. Jaſonem, rumore de morte Antiochi in Aegypto ſparſo, Hieroſolymam invaſiſſe, & Menelaum, ab Antiocho Pontificem factum, oppugnaſſe, ac in arcem compuliſſe, uterque tradit autor; modo apud Joſephum pro Ονίας *Onias* legatur, quod a Doctis jam eſt obſervatum, Ιάσων *Jaſon.* Cui robur addit ipſe Joſephus *c*, qui & alibi Jaſonis ac Menelai, ſe invicem oppugnantium, meminit, & *Tobiæ* filios a Menelai partibus ſtetiſſe, utroque in loco *d* memorat. Menelai partis nonnullos fuiſſe urbe expulſos, & ad Antiochum ſe recepiſſe, eumque ad Hieroſolymam in ordinem redigendam, cum multitudo faveret Jaſoni, excitaſſe, unus memoriæ prodidit Joſephus. Hoc prætextu avide arrepto, cum jam antea aliquandiu hoc ipſum animo habuiſſet, teſte Joſepho *e*, movit Antiochus Hieroſolymam verſus, eamque, obſeſſam & oppugnatam, armata manu expugnavit. Quod Joſephus & *ſecundus* Maccab. diſerte tradunt, Diodorus Siculus quoque inſinuat. Ex quo de alia infeſtatione ibi agi, ac cujus Joſephus alibi *f*, & primus Maccab. *g*, meminerunt, qui pace ſimulata copias Antiochi fuiſſe in urbem admiſſas referunt, manifeſtum eſt; niſi autores ſibi ſine neceſſitate aperte contradixiſſe quis velit. Tradidit autem urbem militibus diripiendam, multos neci dedit, maxime qui Ptolemæi, regis Aegypti, partibus nimium addicti erant. Templum quoque ingreſſus eſt, & ipſum Sanctum Sanctorum, omnia vaſa ſacra alicujus pretii abſtulit, & theſauros reconditos rapuit. Quæ ex

 monu-

a c. v: 5 &c. *b* B. J. l. 1. c. 1. *c* Ant. l. XII: c. 5. § 1. *d* Ant. & B. J. l. c. *e* B. J. l. c. *f* Ant. l. XII: c. 5. *g* c. 1: 29.

monumentis citatis clare conſtant, & de *irato* ac *arrogante* regis animo, longe majore, quam in prima invaſione, ſupra depicta, clare teſtantur. Dicitur quoque Antiochus τεθηριωμένος τῇ ψυχῇ *efferatus animo* in Hieroſolymam irruiſſe 2 Macc. v: 11., & mox ἐμετεωρίζετο τὴν διάνοιαν *mente elatus*, & in ſuperbiam actus. Quæ verbo נוי modo obſervavi involuta eſſe.

§. CXLVIII. Hoc facinore, & impio, & ſuperbo, patrato, Antiochiam quidem reverſus [a], ſed animo nondum placatus eſt; verum eodem mox anno mittit Apollonium [b], ſeu *præfectum tributis* [c], ingente cum manu; qui, pacificum præ ſe ferens animum, Hieroſolymam ſine oppoſitione intravit, promiſcuam inſtituit lanienam, Templum quoque omni religionis exercitio privavit, urbem multis partibus vaſtavit, arcem præſidiariam Templo imminentem exſtruxit & munivit, aliaque horrenda commiſit. Nec multo poſt Templum Jovi Olympio conſecravit, & idololatrico cultu profanavit, omnesque ad religioni patriæ renunciandum, & Syriacam amplectendam, edicto publicato compellere, religionisque veræ ſtudioſos eo ſolum nomine *perſequi*, inſtituit. Quæ ex Joſepho [d] & libris [e] Maccabæorum, Diodoro Siculo [f], aliisque monumentis [g] teſtatiſſima ſunt. Luctuoſiſſimum hunc Judææ gentis caſum Propheta א. in genere proponit, verſ. 30. ב. in ſpecie per varios articulos accuratius exponit, verſ. 31--35. א. Generalis propoſitio his paucis verbis verſ. 30 fit: *& redibit & aciem mentis admovebit ad deſertores foederis ſancti*, id eſt: commiſſis in Hieroſolymitanos, quorum mentio facta eſt, non contentus, eo omnem mentis aciem in poſterum vertet, ut religionis Judaicæ deſertores partim omni favore proſequatur & adjuvet, partim omnes eo compellat,

[a] 2 Macc. v: 21. [b] Ib. verſ. 24. [c] 1 Macc. 1: 29.
[d] Ant. l. XII. c. 5: B. J. l. 1. c. 1. [e] 1 Macc. 1: 30. 2 Macc. v: 24. [f] Eclog. l. XXXIV. [g] Tacit. Hiſt. l. v. c. 8. Porphyr. de abſtin. l. IV. § 1. Vid. & Joſ. contra Ap. l. II. § 7.

pellat, qua arte qua marte, ut religioni patriæ renunciënt, eaque ratione eam penitus deſtruat. *Deſertores foederis ſancti* ſunt Judæi, ſancto foedere Deo addicti, qui legem & religionem, foederis vinculum, nihil curant amplius, ſed miſſam faciunt, ſive allecti promiſſis & bonis eam faſtidiant, & reſpuant, ſive graviſſimis malis propter eam preſſi, eam, tanquam grave onus, excutiant. Quæ omnia ambitu ſuo complectitur verbum עזב, quod cum de grege uſurpatur neglecto & ſibi relicto, quo adtenditur Job. x: 1., ut Cl. Commentator obſervavit, tum *faſtidii* ſignificatum adfert, & *exſpuere*, *abhorrere* denotat, ut Job. xx: 13. eodem notante; tum etiam *deponendi* habet poteſtatem, & in *onere* gravi, quod abjicitur, & alteri committitur, teritur; ut Pſ. x: 14. Job. xxxix: 1. Gen. xxxix: 6. & alibi. Quæ omnia cum huc recte quadrent, variasque rationes, quæ ad legem abnegandam moverunt hoc tempore Judæos, quorum alii ſponte præ faſtidio, vel aliarum rerum deſiderio, alii metu & malis coacti, teſte etiam Joſepho *a*, religionem patriam miſſam fecerunt, recte exponant; ea hic admittere, nihil vetat. Ad hos *apoſtatas adtendere*, proprie intenta, & omnia *ſecante*, mentis acie, quæ propria eſt verbi בין poteſtas, in *fiſſione*, inde *diviſione* ſita, de quo poſtea, adeoque omni ſtudio, omnique niſu, dicit in eo totum eſſe, id omni modo agere, ut *deſertores* vel confirmentur, vel, ſi nondum ſint, fiant. Quod non tantum faceret Antiochus, ſed *reverteretur* & *faceret*, ſive iterum & nova vice, quod *redire* & *facere* haud infrequenter denotat, uti notum eſt, ſive poſt hoſtilem invaſionem, proxime memoratam, *reverſus* in Judæam; ſicut modo habuimus, *& revertetur & æſtuabit*, ſic & hic eodem ſenſu, poſtquam illud præſtiterit, repetet denuo. Utrumque hic locum reperit commodum, & rei congruum. Antea jam ad eos, quos religionis patriæ tædium ceperat, Jaſonem, Menelaum, & eorum adſe-

a B. J. l. 1. c. 1.

adſeclas, animum adverterat rex, iisque omni modo faverat, uti ex hiſtoria in vulgus notum eſt, nunc *iterum*, ſed majore ſtudio, & amplius, faceret, eos, qui religioni adhuc adhærebant, alliciendo, vel abſterrendo. Quod etiam poſt impetum, modo explicitum, adgreſſus eſt. Quæ non ſunt in difficili, vel ex monumentis, ſupra citatis, facile eruenda. Illlud non abs re fuerit in memoriam revocaſſe, *impios* Judæorum Antiocho & occaſionem præbuiſſe, & animum addidiſſe, ad hæc molimina, quibus religionem Judaicam deſtructum ivit. Petentibus inſtituta gentilium jam ante permiſerat Antiochus *a*; deinceps ab improbis populi inſtigatus altera vice irruit in Hieroſolymitanos; tandem per illos ipſos ſæpe ad legis ſtudioſos deſtruendos excitatus eſt *c*, ut poſtea adhuc Antiochus Eupator *d*, & deinceps Demetrius *e*.

CXLIX. ב. Specialis deductio, quæ per varios decurrit *articulos*, *α* copias in Judæam miſſas, per quas cogitata effecit, continet, his verbis, verſ. 31. *Et brachia ex ipſo ſtabunt:* id eſt. Deſtructionem Judaismi, & verorum ejus cultorum, modo in genere memoratam, non ipſe præſens, ut antea in Hieroſolymitanos irruit, efficiet, ſed per exercitus ejus, ducesque, ab ipſo miſſos fortiſſimos, qui inter Judæos conſiſtent firmiter, & impetum facient inſuperabilem; ſtabile quoque præſidium conſtituent Hieroſolymis. Antiochum *iterum* Judæos infeſtaturum, & religioni bellum indicturum, modo cum dixiſſet; ne quis, ipſum regem, ut antea, id præſentem præſtiturum eſſe opinaretur, neque modus violentus, quo id fieret, lateret: *copias* ejus firmam in Judæa ſtationem habituras, & ſuperiores ibi futuras eſſe, his verbis ob oculos ponit. *Brachia* pingere *exercitus ducesque* robuſtos, ad arduum quodvis opus efficiendum aptos, tralaticium eſt, & ſupra *f* habui-

a 1 Macc. I: 11. *b* 2 Macc. IV: 50. B. J. l. 1. c. 1.
c Id. Ant. l. XII. c. 9. § 7. *d* 1 Macc. VI: 21. *e* Ib. VII: 5. & ſæpe alibi. *f* verſ. 22.

habuimus. Brachia *ex ipſo*, ממנו, ſunt ipſius regis, modo memorati, Antiochi Epiphanis, ab ipſo pendentia & extenſa, adeoqe copiæ ejus & ab ipſo miſſæ, ejusque opus exſequentes, & juſſu ac autoritate agentes. Quod quoque difficile non eſt. Sed quid eſt יעמדו *ſtabunt*? quod pedibus, non brachiis, convenire videtur; adeoque catachreſtica videtur locutio; uti putatur. Sed *ſtare* hic eſt *erectum* perdurare, ac rigidum & immotum, vim facere & perſtante impetu agere, nec non imperioſe ac minaciter; adeoque *brachia* hic *deſtricta* & porrecta intelliguntur, quæ propria eſt verbi זרע poteſtas, ut ex Arab. ذرع & ذرّع colligitur. Primaria ſignificatio eſt *ſtrinxit*, *deſtrinxit*, unde *brachii* ſignificatus, quod deſtringitur & depromitur ad opus; nec non *ſerendi* notio, quia brachio jacto ſpargitur. *Brachia* itaque *deſtricta* recte dicuntur *ſtare*, cum firma ſunt & rigida, opusque irreſiſtibiliter faciunt, & conſtanter. De uſu vero verbi עמד in *præfecturis*, nec non *impetu perſtante*, ſupra quoque egimus; haud una vice. Senſus ergo eſt, fortiſſimos Antiochi exercitus inter Judæos, & Hieroſolymis, de quibus hic agitur, 1. firmam habituros & durabilem ſtationem, 2. vim facturos inſuperabilem, 3. imperioſe plane acturos. Quod nemo non novit veritatem exactiſſime fuiſſe nactum. Initium factum eſt ab Apollonio, a rege miſſo ἐν ὄχλῳ βαρεῖ *gravi & ingente cum exercitu* [a], qui cædem promiſcuam circumtulit, & omnia diruit, populum diſſipavit, *arcemque* [b] Hieroſolymis, Templo imminentem, exſtruxit, cui milites præſidiarios impoſuit, qui Judæos a ſacris arcerent, ibique diu admodum præſtiterunt, a Simone Ethnarcha demum expulſi & ſuperati [c], A. Aer. Sel. 171.

§. CL. Hæc cum clara & facilia ſint, verbis, nexui, & hiſtoriæ exacte conſentanea, Interpretum quoque communi conſenſu comprobata: ad *Romanos*, immani ſaltu

 facto,

a 1 Macc. 1: 29. b Ib. verſ. 33. Joſ. Ant. l. XII. c. 5.
c 1 Macc. XIII: 49.

facto, ſubito tranſire prophetiam, eosque per *brachia* intelligendos, & voces vertendas eſſe, *ſtabunt brachia poſt eum*, ſcilicet Antiochum; Judæis nonnullis, ut jam tempore Hieronymi, & deinceps Abarbaneli, Jacchiadæ, & aliis, quos recte caſtigavit Cl. Hulſius [a], non tantum placere, cum illi quidvis ex quovis extundere norint, ſed & Neutoni [b], ſummo Philoſopho, & ſeverioribus ratiocinandi legibus adſueto, arridere potuiſſe, miror cum maxime; cum nihil, quod vel probabilitatis ſpeciem præferat, eam opinionem commendet; cuncta ei adverſentur. 1. *Brachia*, ſic abſolute poſita, nullo addito epitheto, nemo, niſi pro arbitrio, ad *Romanos* adplicare poterit. 2. De Antiocho, Judæos adflicturo, cum in proxime præcedente actum eſſet: quis de *ejus brachiis* non cogitare debuerit? 3. Vocem ממנו *ex ipſo* reddi *poſt ipſum*, conſtans refutat uſus. Rectius *præ ipſo*, & *ſupra ipſum* vertiſſent; ſed tunc poſt verbum, *ſtabunt*, & non ante, locum debuiſſet habere; cum nunc ad vocem *brachia* pertineat, & cum ea cohæreat. 4. Romanos tam abrupte in ſcenam prodire, nihilque ab iis patrandum dici, ac quod longiſſime ab hoc tempore remotum eſt, & ad Hieroſolymæ deſtructionem unice ſpectat, quis ferat? 5. Nec polluerunt tantum ſanctuarium, & *abominabile vaſtans* ibi collocarunt, ſed & Hieroſolymam ac Templum ſolo æquarunt, totamque remp. Judaicam in perpetuum deleverunt. Cujus nihil ſimile hic reperitur. Epiphanicæ itaque adflictionis, & non Romanæ deſolationis, criteria hic ducuntur. Prophetiam Danielis de *abominabili vaſtante* ad excidium Romanum quidem adplicat Dominus Matt. XXIV. ſed non hanc prophetiam, verum Dan. IX. 27. ipſi ante oculos fuiſſe, ſatis conſtat. 6. Sequentes hujus vaticinii partes verſ. 32 &c. ad Romanos transferri ſe non patiuntur, niſi, quod Neutono placet, de *Chriſtianis* capias; quæ deſulto-

[a] Theolog. Jud. p. 1. p. 563. [b] ad Dan. vaticinia cap. 12.

ſultoria plane eſt & arbitraria prophetias interpretandi methodus. 7. Denique omnia in Antiochi Epiphanis facinora & inſtituta tam accurate quadrant, & geſtis *parvi cornu* c. VIII., de iisdem, ut in Diſſert. ad Danielem evici, intelligendis, tam exacte reſpondent; ut alio flectendi oculos nulla ſit ratio, cuncta nos eo ducant.

§. CLI. β. *Primum* copiarum, ibi conſtitutarum ac dominantium, effectum, longe triſtisſimum, qui *ſecundus* eſt pericopæ articulus, in Templi profanatione, cultus ſacri abolitione, ac idololatriæ introductione ſitum, hæc verba, verſ. 31., repræſentant. *Et profanabunt ſanctuarium, arcem illam; & removebunt juge* ſacrificium, *& dabunt abominabile vaſtans.* Quæ geſtis *parvi cornu*, c. VIII: 11, 12. plane conveniunt, & alibi [a] in luce collocavimus; nec ſenſum fundunt difficilem: quare paucis defungar. *Primum* membrum *Templi* & *urbis profanationem* complectitur; ut putem. *Sanctuarii*, ſeu loci ſancti, nomine venire Templum Hieroſolymitanum, dubio caret; nec indiget expoſitione. Sed quid מעוז *arx*, *munimentum*, deſignet, & quare Templo addatur? non ita liquidum eſt. Vox מעוז *arx*, ſeu *munitiſſimus* quisque locus, ſitne a præcedente מקדש *ſanctuario* ſeparanda, & ſeorſim capienda pro loco, a Templo diſtincto; an per appoſitionem cum ea connectenda, ut pro Templi epitheto habeatur, anceps hæreo? Utrique enim locus eſſe poteſt. Priore ſenſu המעוז, per ellipſin ſive ו *&*, ſive ב *in*, Templo adjuncta, *Hieroſolymam*, munitiſſimam urbem, ὀχυρωτάτην πασῶν, ex ipſius Agatharcidis [b] teſtimonio, μεγίστην καὶ ἁγιωτάτην *maximam & ſanctiſſimam* Appiano [c] dictam, ſignificabit, & Templo addetur tanquam ejus ſedes, & totius populi metropolis. Quemadmodum ea vox in hoc capite paſſim pro *urbibus* munitis uſurpari ſolet. *Urbis* vero profanatio non ſine ratione & emphaſi expreſſe memorare-

 tur,

[a] Diſſ. ad Dan. VI. § 22. [b] apud Joſ. Ant. XII. c. 1. & contra Ap. l. 1. § 22. [c] Syr. p. 191.

tur, cum quod *igni* fuerit magnam partem tradita, *domus* ſint deſtructæ, & muris ſuis orbata *a*, tum quod *arcem* profanam, a gentilibus & apoſtatis Judæorum inſeſſam, Templo & ſacris inimicam & moleſtiſſimam, in ea conſtruxerint Syro-Macedones, diuque retinuerint, ut modo obſervavi, tum quod, civibus diſſipatis, facta fuerit κατοικία ἀλλοτρίων *habitaculum peregrinorum b*, quam ne *proſelytis inquilinis* alias præ ſanctitate ſua incolere licebat, & ipſa urbs deſierit eſſe *ſacra*, omnique ſuo decore ac privilegio fuerit privata, ἡ τιμὴ αὐτῆς εἰς ἐξουδένωσιν *bonos ejus in contentum converſus ſit c*.

§. CLII. Poſteriore ſenſu *Templum* epitheto *munitæ arcis* ornabitur, 1. ut, *ſanctuarium* Dei, quod tempore Danielis adhuc deſolatum jacebat, antiquum ſuum ſplendorem, quo munitiſſimum Templum, *arcis* inſtar, fuerat, recuperaturum eſſe, indicaretur. Quod Gejero jam vidi obſervatum. 2. ut de loco *inviolabili*, quem attingere nefas erat, cogitaremus, eaque ratione profanationis crimen adgravaretur. Etſi enim מעוז *locus munitus*, a עזז, eſſe ſoleat, poteſt tamen pro *aſylo* etiam ſumi, a עוז, proprie *confugit ad aſylum:* quæ radix originem ſuam debet formulæ Orientali ſolenni מעוז אלוה *robur Dei*, *refugium Dei*, qua utuntur in averruncationibus malorum, & refugio ad aſyla *d*, 3. ut arcis *theſaurariæ*, opibus & divitiis, *ibi reponi* ſecuritatis ergo ſolitis, conſervandis deſtinatæ, cogitatio ſuſcitaretur; & earum ad violationem ac ſpoliationem, quæ Antiochum maxime movit, teſte etiam Joſepho *e*, digitus intenderetur. Quo ſenſu מעזים habuimus verſ. 19. *Profanatio* vero *ſanctuarii muniti* & *inviolabilis*, qua & communi uſui exponitur, & quibusvis violationibus aliis traditur, omni *ſacro* vinculo, quo Deo & ſacris adligatum erat, ſoluto, quæ vis eſt, & uſus amplitudo, verbi

a 1 Macc. 1: 31. Joſ. Ant. l. XII. c. 5. *b* 1 Macc. 1: verſ. 38. *c* Ib. verſ. 39, 40. *d* Vid. Cl. Schultens ad Har. conſ. III. p. 171. & IV. p. 67. *e* Ant. l. XII. c. 5.

bi חלל, cujus primarla poteſtas eſt in *ſolvendo*, unde & *profanare*, ac promiſcui juris facere, & omnibus calamitatibus exponere, quod jam obſervavit Cl. Schultens [a]; *profanatio*, inquam, illa continet 1. promiſcuum introitum omnibus, etiam gentilibus, & improbis quibusvis hominibus, conceſſum. Sicut antea ipſe Antiochus εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ θεοῦ σηκὸν *inacceſſum Dei fanum ingreſſus erat, quo tantum ſacerdoti penetrare lege permiſſum* erat; ut ipſe Diodorus Siculus [b] tradit. 2. Templi ſpoliationem, ab ipſo etiam Antiocho ante factam, nunc perfectam; uti notum eſt. 3. Sanguinis innocui, *circa ipſum ſacrarium*, κύκλῳ τοῦ ἁγιάσματος, fuſionem, qua Templum fuiſſe *pollutum*, autor primi Maccab. [c] teſtatur. 4. Sacri cultus, in Templo exercendi, abolitionem, qua *locus* ſacer eſſe ceſſavit, & 5. idololatrici cultus in Templum introductionem. Quæ duo poſtrema, tanquam profanationis præcipua ſigna, Propheta ipſis verbis mox memorat.

§. CLIII. Subjungit enim, *& abolebunt juge, & dabunt abominabile vaſtans.* Quorum *prius* quotidiani ſacrificii, quod תמיד *juge* & *continuum* adpellari ſolet, nomine totius religionis abolitionem conſpiciendam præbet; uti alibi [d] obſervavi, & ex hiſtoria comprobavi. Quare nihil aliud addo, ac *copiis* Antiochi id recte tribui, partim quod Judæos Templo & urbe expulerint, partim quod, *arce* juxta Templum exſtructa, & præſidiis ei impoſitis, omnem cultum inhibuerint, partim denique quod idololatriæ illud addixerint, ut mox additur. Hac ratione *ſacrarium in vaſtitatem* eſt *redactum*, quæ verba ſunt 1 Macc. 1: 39., *feſta in luctum converſa*, *ſabbata in probrum*, *honos in contemtum*. *Poſterius*, *& dabunt abominabile vaſtans*, cum ad idololatriam, tum ad improborum eam *arcem*, cultus veri vaſtatricem, pertinere mihi videtur. Quod utrumque c. VIII. 12. his verbis conſignatum eſt, & *ſtationem dabit con-*

[a] ad Har. conſ. II. p. 46. & ad Prov. XXVI: 10. [b] Eclog. l. XXXIV. [c] c. I: 37. [d] Diſſ. VI. ad Dan. § 22.

tra juge, vel loco ejus, *in defectione*: quæ ſuo loco expoſui: imo, quod hic dicitur, *abominabile vaſtans*, illud c. VIII: 13. *defectio vaſtans* adpellatur; argumento, *abominabile* & *defectionem* eodem tendere, & *idoli* collocationem in Templo, ac idololatriæ exercitium hac voce deſignari. Quo manifeſte tenditur 1 Macc. I: 54. *Anno autem centeſimo quadrageſimo quinto* (æræ Seleucid.) *die menſis Casleu quintodecimo extructum eſt in ara nefarium vaſtitatis ſimulacrum*, βδέλυγμα ἐρημώσεως, cum clara ad noſtrum locum adluſione: licet Gr. Interpres hic habeat βδελ. ἠφανισμένον, & Dan. IX: 27. ἐρημώσεων; cum mox c. XII: 11. βδελ. ἐρημώσεως reddat. Vox השקוץ, quæ in genere quicquid deteſtabile eſt & abominabile comprehendit, in ſpecie ſtilo Script. de *idolis*, & cultu idololatrico, eo titulo, ut facile adparet, digniſſimis, uſurpari ſolet; ut loca, vel ex Lexicis petenda, quorum aliqua infra [a] ſubjungam, ſatis evincunt. Sed ſolet quoque, quicquid *immundum* & nefandum eſt, in ſpecie animalia immunda [b], & ſpecialiſſime *porcus* [c] eo nomine inſigniri. Quam emphaſin ut hic advertamus, facit non tantum Jeſaiæ prophetia Jeſ. LXV & LXVI. de his iisdem temporibus, utique primo ſenſu, agens: ſed in primis hiſtoria, quæ diſerte tradit, Antiochi juſſu *ſues* fuiſſe in altari Templi mactatas & oblatas; teſtibus Joſepho [d] & Diodoro Siculo [e]. Coegit etiam Judæos immolare *carnes ſuillas*, *& communia*, ſeu *impura*, *jumenta*, *animasque coinquinare omni impuro & abominando*, 1 Macc. I: 47, 48. Quod μιαροφαγίαν frequenter adpellat autor *quarti* Maccab.

§. CLIV. Sed quid ſibi vult epitheton משמם *vaſtans*, quod *abominabili* additur? ut effectus, ni fallor, quem *abominabile* illud inter Judæos produceret, ſignificaretur; quem duplicem fuiſſe ex hiſtoria novimus, mentem ſtupore

a 1 Reg. XI: 5. 2 Reg. XXIII: 24. Jeſ. XLIV: 19. XLI: 24. Ezech. XX: 7. *b* Lev. XI: 10 &c. VII: 21. *c* Jeſ. LXVI: 3, 17. *d* Ant. l. XII: c. 5. *e* Eclog. L. XXXIV.

pore & horrore demerſam, & multiplicem vaſtationem, & reip. & religionis, ac plurimorum civium, ſive idololatriæ ſeſe tradiderint, ſive ab ea conſtanter abhorruerint. Hinc enim nata eſt partim multorum defectio a lege, quæ ipſis perniciem adtulit, ut mox verſ. 32. dicitur, partim legis ſtudioſorum perſecutio, quæ tormenta, neces, ſpoliationes, exilia, & innumera mala circumtulit quaquaverſum, partim *bellum* grave & diuturnum inter Maccabæos & hoſtes, ex quo terra vaſtata eſt, & variæ aliæ miſeriæ ortæ ſunt [a]. Quæ, & quorum ſimilia, ex hiſtoria vulgatiſſima, ex *abominando* illo, inter Judæos omnibus artibus viribusque introducto, nata, quin *ſtupefacientis* ac *vaſtantis* nomine recte veniant, cui non patet? *Abominabile ſtupefaciens* & *vaſtans*, vera & propria ſua emphaſi, itaque eſt, quod populum in mentis attonitæ horrorem defixit, & multiplicem vaſtitatem Templi, urbis, reip., Eccleſiæ & civium produxit, partim quod ab apoſtatis admiſſum iram Divinam deſolantem produxerit, partim quod rejectum & repulſum a legis ſtudioſis eos multis calamitatibus graviſſimis expoſuerit, & tradiderit: omni itaque parte *vaſtans*, ſeu *ſiderans* proprie, *abominabile*. Proprie שמם *ſiderationem* tanquam *urente* & *peſtifero* adflatu adfert; unde cum ad *obſtupefactionem*, tum ad *vaſtationem*, inſtar eorum, quæ uredine jacent deſolata, transiit [b]. *Abominabile ſiderans* ergo eſt peſtifero ſuo & urente adflatu, inſtar venti venenati & æſtu præditi, omnes vel in attonitæ mentis horrorem defigens, vel necans & vaſtans: quod in *perſecutionem* religionis cauſa, etiam Epiphanicam cum igni & æſtu comparari, ſtilo prophetico [c], ſolitam, aptiſſime quadrat. Tanta vero, tamque inſolita & hucusque inaudita, calamitas, religionis cauſa ingruens, tam vehemens perſecutio, quin *ſtuporem*, mentemque attonitam, in

a Vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. XXIV p. 10. *b* Vid. Cl. Schultens clav. p. 302. & ad Prov. XXX: 29. *c* Jeſ. XLIII: 2. Pſ. LXVI: 12 & alibi.

in initio peperit Judæis, cui dubium aut mirum accidat? Sufficiant, ne plura in libris Maccab. obvia proferam, querelæ Mattathiæ, ejusque ſociorum 1 Macc. 11: 7. &c. & 49 &c. ibi legendæ. Utitur quoque Mattathias verbo ἠρημώθη, *vaſtata ſunt ſancta noſtra* &c.

§. CLV. Sed *abominabile vaſtans* ſeſe ad milites præſidiarios, arci munitæ, Templo inminenti, inpoſitos, transferri quoque patitur, cum quod idololatriæ fuerint dediti omnes, ſive gentiles, ſive Judæi apoſtatæ & improbi fuerint, tum quod cultui vero deſtruendo, & falſo ſtatuminando in Templo invigilarint, Templumque ea ratione vaſtarint, tum quod reip. & religioni Judaicæ peſſundandæ manus præbuerint præcipuas, & populo per longum tempus ingentia adtulerint damna. Hoc *abominabile vaſtans*, mox in principio in *arce* munitiſſima prope Templum, non quidem in ipſo monte Tſion, ſeu urbe Davidis, verum in urbe inferiore, ut diſerte Joſephus [a], quæ inde nomen *Acræ* tulit, (fuit enim ipſis hæc arx εἰς ἄκραν [b],) collocavit Apollonius, ex gentibus & improbis Judæis, quos ἔθνος ἁμαρτωλὸν, ἄνδρας παρανόμους *ſceleratum nefariumque genus hominum* adpellat autor 1 Macc. 1: 34, conſtans; fuitque Judæis εἰς μεγάλην παγίδα *in magnum laqueum*, εἰς ἔνεδρον τῷ ἁγιάσματι, καὶ διάβολον πονηρὸν τῷ Ἰσραὴλ διαπαντὸς *inſidias ſanctuario, & diabolum noxium Iſraeli* (vel, ſi cum Ill. Grotio, anſa ex Druſio arrepta, malis, διαβολὴν πονηρὰν *calumniam noxiam*) *ſemper*, 1 Macc. 1. 36. quia inſidias Iſraelitis ſtruxit in Templo verſantibus, hoſteſque continuo per diabolicas calumnias & inſtigationes ad Judæos delendos cum religione excitavit; quod variis exemplis comprobatum eſt. Additur, & *effuderunt ſanguinem circa ſanctuarium*, & *contaminarunt illud.* Quo factum eſt, ut, quod mox ſequitur, *ſanctuarium* fuerit *in deſertum redactum.* Jure merito itaque *abominabile vaſtans* fuit hoc *præſidium Acræ*, ſeu *Macedonicum*, ut Joſepho [b] dicitur;

[a] Ant. l. XII. c. 5. [b] 1 Macc. 1: 33. [c] l. c.

tur; ubi de multitudine Judæorum *impii & improbi* quoque manſerunt, eodem *ibidem* teſte, ὑφ' ὧν πολλὰ καὶ δεινὰ τοὺς πολίτας συνέβη παθεῖν, *a quibus factum eſt, ut cives multa & acerba ſubinde paterentur.* Subjungitur quoque hoc ſenſu recte *ablationi jugis*, quia huic præſidio militari hoc factum inprimis acceptum ferendum eſt. Nec alium ſenſum fert, ex mea opinione, *ala abominationum vaſtans* Dan. IX: 27. quæ legiones Romanorum, Hieroſolymam cingentes, ut ex Matt. XXIV: 15. & Luc. XXI. 20. ſecum collatis patet, idololatricas denotat.

§. CLVI. Hoc *abominabile vaſtans*, & idololatricum cultum & præſidium ejus, *dediſſe* dicuntur *brachia* Antiochi, non ſine emphaſi; quatenus, ut ordinem temporis obſervem, 1. *jugi ſublato* arcem condiderunt, & præſidium idololatriæ tutandæ in ea collocarunt. Quod c. VIII: 12. *dare ſtationem ſuper juge in defectione* dicitur, de quo ad eum locum diſſerui. 2. edictum regis de *idolis* Syrorum colendis, abnegata patria religione, poena mortis inobedientibus ſtatuta, publicarunt. 1 Macc. I: 41. &c. Sumitur vero נתן *dare* pro *publicare* haud uno in loco [a]. 3. Conſtituit ἐπισκόπους [b] ſeu ἐπιστάτας τοῦ κακοῦν τὸ γένος [c], *præpoſitos & operis exactores*, ad *vexandam gentem*, ſeu *curatores*, *qui populum cogerent imperata facere* [d]: qui etiam adpellantur οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν 1 Macc. II: 15. Quod Hebr. נתן *præficere* quoque ſignat; ut ad c. VIII: 12. obſervavi. 4. Templum *Jovi Olympio* conſecravit, idolo in illud introducto, & ab omnibus coli juſſo; *aris* quoque ibi, & ubique, erectis [e]. Quod βδέλυγμα ἐρημώσεως *abominabile vaſtationis* adpellatur, 1 Macc. I: 54. 5. Denique omnibus viribus contenderunt, juſſu regis, ut religio Judaica exſtirparetur, & populus Syris ſubjiceretur, blanditiis & vi uſi, ac publicam inſtituentes perſecutionem. Quod

[a] 1 Reg. XIII: 3. Prov. II: 3. VIII: 1. Job. I: 22. [b] 1 Macc. I: 51. [c] 2 Macc. V: 22. [d] Joſ. Ant. l. XII. c. 5. [e] 1 Macc. I: 54. 2 Macc. VI. Joſ. l. c.

verbum גזן, cujus primitiva notio in *tendendo* ſita eſt, obſervante Cl. Schultens *a*, omnino involvit. *Erat*, dicitur 2 Macc. VI: 3. *gravis* & *triſtis mali incurſatio*, ἐπίστασις τῆς κακίας.

§ CLVII. Quæ cum phraſibus, nexui, & hiſtoriæ tam accurate reſpondeant, neſcio num aliqua eorum *b* ſit habenda ratio, qui verſum hunc præcipue cenſent ad ipſos Judæorum primores, Jaſonem & Menelaum, ſecum de Pontificatu contendentes, *brachia ſuper deſertores legis ſtantia* ex adverſo, ut primum verſus membrum vertunt & interpretantur, dictos, qui Templum ſpoliarunt, inſtituta Græcorum ſectati ſunt, omnia turbarunt, ut *cultus quotidianus* fuerit intermiſſus, & occaſionem dederunt ac cauſam *deſolationis*, ab Antiocho inſtitutæ; quod eſſet dare *abominabile vaſtationis*, ſeu ejus cauſam. Cujus opinionis nullum eſt fundamentum, cui inniti poſſit. Phraſis enim, *abominabile vaſtans*, aliud dicit, ut modo expoſui; nec tempus, quod Templi & religionis pollutioni datur c. VIII: 13, 14. ullo modo favet, ut ex Diſſ. noſtris ad Dan. *c* clareſcere putem. Poſſem præterea haud pauca adferre, quæ hypotheſin illam refutant, ſi opus foret, ex. gr. 1. quod *brachia* non primores, ſed *copias* robuſtas, denotent, ſi abſolute ponantur: ut verſ. 22. 2. quod ממנו non ſit *ſupra eos*, ſed *ex ipſo:* uſu ſatis vulgato. 3 *Stare* non poſſit ſumi pro *contra* ſe invicem ex adverſo conſiſtere. 4. Phraſes, *profanare ſanctuarium*, *removere juge*, & *dare abominabile*, majore polleant emphaſi, quam ut ad inſtitutorum Gentilium in ſpectaculis & ludis & ſimilibus introductionem, a nonnullis tantum factam, tumultuariam & ad tempus ſacrificiorum intermiſſionem, reſtringi poſſint. Quod ipſi perſpicientes Antiochi facinora male conjuncta volunt. 5. Nexus cum præcedentibus & ſequentibus eam hypotheſin non fert. Agitur enim uno tenore de Antiochi infeſtatio-

a ad Prov. XXI: 29. *b* Vid. Cl. Lampe in Bibl. Brem. claſſ. III. faſc. 6. *c* Diſſ. VI. § 27.

ſtationibus, poſt ultimam in Aegyptum expeditionem. 6. Comparatio cum cap. VIII: 11, 12., de Antiochi facinoribus improbis in Judæos hic unice agi, manifeſtum facit. Sed tam clara luce noſtram interpretionem fulgere exiſtimo, ut reliquas omnes obſcuret, nec pluribus opus ſit.

§. CLVIII. β. *Eventum* moliminum Antiochi, quibus veram religionem oppugnaret, & falſam omni modo omnibusque viribus inter Judæos ſtabiliret, improbis populi perniciosſum, & legis ſtudioſis ſalutarem ac glorioſum, adeoque longe alium ac rex & impii Judæorum ſibi propoſuerant, ſequens pericopa verſ. 32--35. diſtincte, & per varios *articulos* egregie repræſentat. *Primus* hunc *eventum* in genere proponit verſ. 32. *Et foedus ſcelerate tractantes loripedes agere faciet in lubricitatibus: ſed populus agnoscentium Deum ſuum firmiter tenebunt & facient.* id eſt. Religionis Judaicæ infeſtatio & perſecutio, ab Antiocho inſtituta, cui manus quoque præbebunt improbi Judæorum & apoſtatæ, longe alium ſortietur exitum, ac perſecutores intenderint, aut res ad primam videretur ſpeciem. Recident enim omnia in ipſorum impiorum & perſecutorum capita, qui defectione ſua in lubricitates incident, & loripedes agent, ac in ruinam præcipitabunt. Legis contra ſtudioſi, & verum Deum ſuum foederatum conſtanter agnoscentes, cauſam tanto cum ſucceſſu agent, ut prævalituri, & ſtatum ſuum firmiter tuituri ſint, ac confirmaturi. Hoc oculo ſi verſus conſideretur, & in hunc ſenſum capiatur; cuncta faciles habent explicatus, quæ expediri non potuerunt ab Interpretibus: quibus non immorabor, noſtram hypotheſin in luce collocaſſe contentus.

§. CLIX. Prius membrum, quod reddidi, *ſcelerate tractantes foedus loripedes agere faciet in lubricitatibus*, & ad improbos ac perſecutores in perniciem ruituros adplicui, de impiis hypocritice cum populo ad eum fallendum acturis, vel hypocriſios reis agendis, vel profanis reddendis,

omni larva depoſita, intelligi ſolet: quorum nihil eſt, quod ſe tueri poterit: ut mox patebit. Percurramus itaque verba, & phraſes ſingulas, iisque luminis aliquid inſpergamus. Memorantur מרשיעי ברית *ſcelerate tractantes foedus*, ſcilicet *ſanctum*, ut ex verſ. 30. & nexu liquet, & ab omnibus probe eſt animadverſum. Quo titulo *deſertores foederis* verſ. 30., qui ſeu ſponte, ſeu metu religioni patriæ renunciarunt, non ſimpliciter inſigniuntur, ut nonnullis viſum fuit, ſed oppugnatores & *perſecutores* ſimul: epitheta enim verſ. 30. & noſtro ſunt diverſa, &, quod hic occurrit, multo atrocius, ut verbum הרשיע, quod transitive ſumtum, ut hic debet, *conturbare*, *ſcelerate* & *contumelioſe tractare*, denotat, evincit. Proprietas eſt in *jactatione*, *exagitatione*, ſoletque de homine *importuno*, ſe aut alios exagitante, uſurpari, in ſpecie in *condemnatione* ad ignominioſum ſupplicium teri [a]. *Foedus* vero ſanctum *exagitare* eſt, ſe importunum erga illud gerere, in illud impetum facere hoſtilem, illud ignominioſe tractare, & tanquam quid falſi ac ſceleſti condemnare, proſtituere, ac oppugnare. Cui oppoſitum eſt *juſtificare populum* c. XII: 3. pro cauſam ejus agere, & ſtrenue vindicare. De quo poſtea ſuo loco dicam. *Exagitatores* itaque foederis ſunt, qui religionem patriam, tanquam *falſam*, ſpreverunt, damnarunt, proſtituerunt, & deſtruxerunt, cultoresque ejus omni ignominia, ac malo adfecerunt, & in eo toti fuerunt, ut cauſa religionis patriæ concideret, ac peſſum iret: quales ἄνδρας παρανόμους *viros improbos*, & legis hoſtes adpellat autor 1 Macc. I: 34. cum gentilibus in *arce* illa Macedonica, Templo imminenti, collocatos; alibi etiam filios ὑπερηφανίας *ſuperbæ importunitatis* c. II: 47. qui perſecutoribus manus præbuerunt, ἀνόμους καὶ ἀσεβεῖς, & qui alii ſunt tituli; etiam, quod huc recte quadrat, ταράσσοντας τὸν λαὸν *populum conturbantes*, & *exagitantes*, 1 Macc. III: 5. Quorum principes fuerunt, *Menelaus*, *Alcimus*, & ſimiles.

§. CLX.

[a] Jeſ. LIII: 9. Job. XVI: 11. XXXIV: 26.

§. CLX. Importunos hosce *exagitatores* & violentos *condemnatores foederis*, ejusque ſtudioſorum, יחניף בחלקות *loripedes agere faciet*, inquit Propheta, *in lubricitatibus*, ſeu, tanquam veræ religionis abnegatores, in lubricis locis poſitos, ruere faciet in perniciem: uti verba vertenda ſunt, & intelligenda. Radicem חנף proprietatem habere in manifeſto pedis vitio, quod Latini *loripedem* eſſe, ſeu contortis pedum digitis, adpellant, indeque ad *hypocriſin*, qua quis torto pede in religione incedit, ſub ejus larva eam violans, aut inter religiones *claudicat*, nunc ad hanc nunc ad illam divergens, 1 Reg. XVIII: 21., fuiſſe translatam, docuit nos Cl. Schultens *a*. Sed ex eadem quoque fluxit origine altera ſignificatio, qua *pronum eſſe ad lapſum*, & ad *interitum vergere*, dicit. Quæ poteſtas, priore ſcilicet *claudicationis* in religione, ac declinationis ab ea, tacite ſubinde incluſa, in haud uno loco manifeſte ſeſe exſerit, Pſ. CVI: 38. ותחנף *& ruinam meditata eſt terra*, propter religionem clauditantem incolarum, *in ſanguinibus*, ſeu cædibus, Jeſ. XXIV: 5. *Et terra* חנפה *claudicat*, ad excidium vergens, *ſub incolis ejus*, metaphora a jumento ſumta, quod *pede torto* ſtare nequit, ſed cum ſeſſore corruere debet. Sic & Jer. III: 9. Num. XXXV: 33. & eleganter Mich. IV: 11. ubi gentes vicinæ, tempore perſecutionis Epiphanicæ, in ſcenam producuntur Tſioni inſultantes, & ejus excidii ſpe ſe lactantes, *dicentes*, תחנף *a ruina prope abeſt*, propter religionis & virtutis contorſionem, *& vidit Tſionem oculus noſter*, cum delectatione & contemtu. Sic noſtro loco, *condemnatores foederis* יחניף *loripedes agere* faciet, ſeu in ruinam præcipitabit tanquam apoſtatas, & a patria religione divergentes, *in lubricitatibus;* quæ vox additur, ut ruinæ certitudo magis eluceſceret. Loripes enim, in *lubricis locis* incedens, ruat neceſſe eſt. Quem *lubricitatis* conſpectum hic & alibi præfert vox בחלקות manifeſtiſſime,

a Clav. p. 231. ad Job. VIII: 13. & Prov. XVII. p. 173.

me, ut ex locis infra *a* ſignatis clare eluceſcit. *Loripedes* itaque *agere facere* in *lubricitatibus* eleganter & emphatice denotat, eos in ſtatum ruinæ certiſſimæ, apoſtatis & exagitatoribus foederis digniſſimæ, conjicere; fere ut Bildadus Job. VIII: 13. dicit: *ſic ſunt itinera omnium obliviſcentium Dei; & exſpectatio loripedis*, חנף, *peribit*. Verbum vero חלף ſedem habere in *glabro*, *lævi* & *lubrico*, indeque varios ſignificatus, *ſortis*, *blanditiarum* & ſimiles fluxiſſe, in lucem protraxit Cl. Schultens *b*.

§. CLXI. Sed ad quod *ſubjectum* referetur verbum יחניף *loripedes agere faciet*, in textu non expreſſum? Poſſet ad Antiochum, verſ. 30, tanquam *qui cor ad deſertores foederis adplicaret*, memoratum, poſſet etiam ad *abominabile vaſtans*, quod proxime præceſſit, transferri: ut ſenſus ſit, *Antiochum*, perſecutionis autorem, ipſum etiam *cultum idololatricum*, autoritate ac vi ſeſe ingerentem, occaſionem ac cauſam præbiturum, quæ improbos Judæorum, manus idololatriæ præbentes, in perniciem, juſto Dei judicio, ageret; ita ut ipſi in foveam, quam aliis foderant, inciderent. Videtur tamen elegantius, & cum ſequente membro conjunctius, ipſos illos condemnatores foederis *ſubjectum* orationis conſtituere; hac ratione: *Et condemnatores foederis, loripedem quisque eorum aget in lubricitatibus*, ſua ſe improbitate quisque in ruinam præcipitabit: quando recte ſubjungitur; *ſed populus agnoſcentium Deum ſuum firmiter tenebunt & facient.* Nec multum aut forma verbi in *Hiph.*, aut numerus ejus *ſingularis*, officit. *Verbum ſingularis numeri*, ut habet canon Glaſſii *c*, exemplis confirmatus, *jungitur nomini vel participio plurali*, *quo notari diſtributionem dicunt: etſi in omnibus hæc emphaſis non eſt.* Poſſent & alia addi exempla, ut Gen. XLIX: 22. Hab. III:

a Pſ. XXXV: 6. LXXIII: 18. Jer. XXIII: 12. Jeſ. LVII: 6.
b ad Harir. conſ. VI. p. 100. & ad Prov. II: 16. *c* Gr. S. l. III. tr. III. can. 52. Vid. & Danzius in *ſinceritate Script. eluctante* § 7.

III: 9. Pſ. CXIX: 98. Jeſ. XXX: 20., ſi opus foret. Sed nihil eſt notius & teſtatius. Verba vero formæ Hiphil non ſemper *tranſitivam*, ut dicitur, ſed & *intranſitivam* ſæpe habere actionem, ſed cum *intenſione* aliqua expreſſam, plurima quoque edocent exempla, quorum aliqua jam adduxit Glaſſius *a*, quæ ex Lexicis plura cuique ſub manus venient. Poteſt quoque vis *tranſiens* & hic retineri, ſenſusque conſtitui, exagitatores illos importunos & violentos *facturos* eſſe, ut & ipſi & alii, in partes ſuas tracti, in religione patria claudicantes lubricitatibus abrepti pereant. *Loripedes* itaque *agere facient*, ſcilicet & ſe & alios, *in lubricitatibus*.

§. CLXII. Haud leve pondus noſtræ interpretationi addit hiſtoria, quæ plurima ignominioſi & violenti exitus horum improborum exempla ſuppeditat, ſive ab ipſis regibus Syriæ, quos contra populum Dei excitarunt, ſive a Maccabæis, ſive alio ſingulari Dei judicio exſtirpati ſint. *Jaſon*, primus & princeps impiorum & apoſtatarum, Pontificatu iisdem artibus, quibus acquiſiverat, dejectus, ſcelerum ſenſu exagitatus, & profugus, pudendum invenit, apud exteros, ſed dignum ſceleribus, fatum *b*. *Menelaum*, tanquam *omnium malorum*, quæ Judæis evenerunt, *autorem*, qui Antiochum Epiphanem excitavit, *ut Judæos ad patrium cultum relinquendum adigeret*, *hominem malum & impium*, *interfici juſſit* Antiochus Eupator, uti Joſephus *c* ipſis verbis tradit. *Alcimus*, tertius Pontifex, improbus & perſecutor Judæorum, divina plaga percuſſus, impiam efflavit animam μετὰ βασάνου μεγάλης *inter ingentes cruciatus d*. Bacchides, dux Demetrii, ab impiis Judæorum & transfugis accenſus, ut Jonathanem caperet, ſpe ſua cum excidiſſet, *quinquaginta* ex *principibus* eorum apoſtatarum *comprehendit & interfecit e*. Denique Maccabæi, Judas,

a Ib. can. 27. *b* 2 Macc. v: 8, 9. *c* Ant. l. XII. c. 9. § 7. *d* 1 Macc. IX: 55, 56. *e* Joſeph. Ant. l. XIII. c. 1. § 5. 1 Macc. IX: 69.

Judas, Jonathan & Simon, *impiis* delendis quoque incubuiſſe narrantur *a*: qui eo ipſo viſum Zach. v: 9. de *impia muliere* in Epha, in terram Sinear transportata, impleverunt, nec non Pſ. LXXV. veritatem præſtiterunt.

§. CLXIII. Longe alium & feliciſſimum eventum haberent eorum conamina, qui legi & religioni patriæ conſtanter adhærerent, & eam ſtrenue defenderent; *ſed populus*, inquit Prophetia, *agnoſcentium Deum ſuum firmiter tenebunt & facient. Populus agnoſcentium Deum ſuum*, elegante phraſi, communitatem ac ſocietatem copioſam & eximiam hominum deſignat, qui Deum patrium & foederatum recte cognoſcentes toto animo agnoſcunt, ejusque cultui & foederi adſtrictos ſeſe conſtanter tenent, nullaque ratione, aut promiſſis aut minis, aut cruciatibus & adflictionibus, ſeſe ab eo patiuntur abſtrahi. Vox vero עם in genere *communitatem* vi originis denotat, a radice עמם, proprie *involvit*, totumque ambitu ſuo comprehendit, inde *populum* iisdem legibus in unum communitatis corpus revinctum, & in ſpecie ſelectam ac præſtantiſſimam ejus partem, homines *ingenuos*, & liberaliter inſtitutos, libertatisque ſtudioſos. De quo alibi *b* diſſerui. *Populus cognoſcentium Deum* eſt communitas talium hominum, in eandem eam mentem conſpirantium, eandemque cauſam ſtrenue agentium; *populus ſanctorum*, & *ſanctitatis* c. VIII: 24. XII: 7. dictus, *Chaſidæorum* titulo in hiſtoria Maccabaica inſigniri ſolitus, uti notum eſt; quia *intenſo ſtudio* legis & religionis flagrabat, oppoſite ad *deſertores* ac *condemnatores foederis*, modo notatos. De hisce dicit prophetia, *firmiter tenebunt & facient*, non tantum legis vinculo ſeſe adſtrictos tenendo, & conſtanter perſeverando, uti cenſent Interpretes, qui *populum* pro ſubjecto orationis nobiscum habent, ſed & firmiter tenendo adverſus hoſtes, & obtinendo

a Joſ. Ant. l. XII. c. 6. § 4. XIII. c. 1. fin. 1 Macc. III: 8. VII. 6. IX: 73. XIV: 14. *b* ad Dan. Diſſ. VI. § 17. VIII. § 11. ad Gen. XLIX: 10. § 52.

nendo tanquam victores. Quam emphaſin verbum חזק, de militia adhiberi ſolitum, nonnunquam habet. De quo ſupra *a* egi; & verbum עשה *facere* additum, ut ſupra quoque habuimus, confirmat. Senſus ergo eſt, eos legis ſtudioſos in religione non ſolum conſtantes futuros, ſeſeque contra omnem perſecutionem obfirmaturos, ſed & in legis ac religionis & reip. defenſione totis viribus tanto cum ſucceſſu futuros, ut prævalituri, & res collapſas inſtaurati, firmiterque conſtituturi ſint. Quod utrumque in Chaſidæis & Maccabæis exactum conſecutum eſſe implementum, nemo non ex hiſtoria Maccabaica novit. Initio perſecutionis, antequam Mattathias ſigna extulit cum filiis, multi, dicit autor Maccab. *b*, ἐκραταιώθησαν καὶ ὠχυρώθησαν *corroborati & firmiter muniti ſunt*, *elegeruntque mori* potius, quam legem violare. Quod durante perſecutione etiam præſtiterunt, uti ad verſ. 33. videbimus, & ex hiſtoria conſtat. Sed, Maccabæis ducibus, cauſam foederis ſancti tam ſtrenue progreſſu temporis egerunt, ut hoſtibus devictis ſacra inſtaurarint, dein populum in libertatem vindicarint, & remp. erexerint glorioſiſſimam. De quo poſtea. Quæ cum facilia ſint, & ſeſe ſponte ſua commendent, quantopere illi aberrent, qui vertunt, *& populum cognoscentium Deum ſuum corripient*, ſeu a religione vera abſtrahendo, ſeu adfligendo & trucidando, adeoque de hoſtibus eos adprehenſuris intelligunt, uti Gejerus quoque & ipſe Jungmannus *c*, aliique inſtituunt, ut evincam vix opus eſt. 1. *Prius* membrum cum de improborum excidio agat, ut demonſtravi, nihil opportunius in generali propoſitione *eventus* adflictionis, quam ut in *poſteriore* membro longe diverſa ſtudioſorum legis fors feliciſſima & triumphabunda exponatur. 2. Verbum החזיק ſeſe ad perſecutionem, multo minus abſtractionem a lege, transferri non patitur, minus, ubi abſolute ponitur, & עשה

a verſ. 5, 7. *b* 1 Macc. 1: 62. *c* ad Dan. l. 1. ſect. 11. c. 15. p. 412.

עשה *facere* additur; prævalere enim & firmiter tenere contra hoſtem, ut dixi, & hoc cap. conſtanter, ſignat. Ceterum, ut id dictis addam, qui hic *populus cognoscentium Deum ſuum* cognominantur, illi ipſi haud diſſimiles in hiſtoria gerunt titulos. Statim atque Mattathias ejusque filii tubam belli cum hoſtibus inſlaverant, ad eos congregati ſunt, συναγωγὴ Ἀσιδαίων (ut Cod. Alex. recte habet) ἰσχυροὶ δυνάμει *cœtus Hyſidæorum, fortes viribus*, inquit auctor 1 Macc. II: 42., πᾶς ὁ ἑκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ *omnes, qui ſponte ſe offerunt tuendæ per arma legi, omnesque propter tot mala profugi*, καὶ ἐγένοντο αὐτοῖς εἰς στήριγμα *& facti ſunt illis firmamentum;* καὶ συνεστήσαντο δύναμιν *& fortem conſtituerunt exercitum, ac peccatores, legisque deſertatores, ira inflammati occiderunt.* Oravit etiam deinceps *Judas*, ut Deus hoſtes & improbos concideret gladio ἀγαπώντων *diligentium Dei, ipſumque laudent* πάντες οἱ εἰδότες τὸ ὄνομα *omnes, qui cognoverunt nomen ejus, in hymnis*, 1 Macc. IV: 33. Adpellantur quoque Joſepho ª οἱ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς *probatiſſimi & animo generoſi*, & ποιηταὶ τοῦ νόμου *legis ſtudioſi ac obſervatores*, 1 Macc. II: 67. nec non πᾶς ὁ ζηλῶν τῷ νόμῳ καὶ ἱστῶν διαθήκην *omnis legis ſtudio flagrans, & foedus ſtabiliens* ib. verſ. 27. denique ἐκκλησία πιστῶν, *Eccleſia fidelium* 1 Macc. III: 13.

§. CLXIV. Generali propoſitioni ſubnectitur ſpecialior ejus deductio, cum *modi* reſpectu, quo *prævalerent*, tum *ſcopi* & *durationis* perſecutionis, verſ. 33--35. Cum vero *firmiter tenere ac facere* duo, ut modo explanavi, contineat, & conſtanter adhærere Deo, & ſuperiorem ac victorem evadere; utrumque illud, ratione *modi*, quo fieret, explicatius traditur, *prius* verſ. 33 *poſterius* verſ. 34. Prius, quod graviſſimas calamitates, conſtanter ferendas religionis cauſa, complectitur, his verbis, verſ. 33. *Et commaturantes populi acutum cernere facient multos, & corruent gladio, & flamma, captivitate & ſpoliatione, diebus:* id

ª Ant. l. XII. c. 5. § 4. B. J. l. 1. c. 1. § 2.

id eſt. Prævalituros eſſe cognoscentes Deum ſuum, ubi dixi; illud non ita intellectum velim, acſi ſine multo labore maloque ſuperiores ſint evaſuri, ſed poſt graviſſimam adflictionem, quam conſtanter ferent, votorum demum compotes fient: adeoque *prævalere* eorum, conſtantiam in adflictionibus, dein ſuperioritatem, eam ſecuturam, complectitur: conſtantiam præſtabunt, a prudentibus recte inſtructi, omne genus malis demonſtrandam, & morte violenta ac horrenda, & captivitate ac bonorum ſpoliatione. Ex qua paraphraſi ſicut *nexus* cum præcedente, ita *ſcopus* & verus conſpectus verborum clare eluceſcit. Ad quæ obhæreſcens Cl. Coccejus in eam venit opinionem, prophetiam, licet ad Epiphanicam perſecutionem digitum intendentem, vero ſuo ſenſu de temporibus Meſſiæ ejusque regni agere, & fata Eccleſiæ Chriſtianæ pertexere, incipere. Cum enim verba præcedentia, *populus cognoſcentium Dei ſui firmiter tenebunt & facient*, de Eccleſia Judaica inſtaurata, & firmiter ſtabilita, per Maccabæos recte interpretatus eſſet, ſeriem orationis permittere opinatus eſt, ut Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ Maccabaicam exciperet, fata nunc perſequeretur prophetia. Secundum quam hypotheſin, *propagatio* euangelii noſtro verſu, & *perſecutio* a Romanis gentilibus usque ad Conſtantini M. tempora, repræſentaretur. Cui adſurgere nequeo. 1. Quia nullum diſtinguens Eccleſiæ Chriſtianæ ſeſe offert criterium, nullum transitus a Judaica ad Chriſtianam indicium. Voces enim generales ſunt, quæ & *inſtitutionem* ad ſapientiam, & *conſtantiam* in malis in genere repræſentant: oratio uno eodemque tenore decurrit, & ejusdem populi fata contexit. 3. Quia Epiphanicæ perſecutionis criterium, ſatis manifeſtum, eſt in *brevitate* temporis, quam vox ימים *diebus* exhibet, ut mox notabo, & formula *ad tempus finis* verſ. 35. de adflictionis Epiphanicæ termino in hoc libro, & hoc ipſo vaticinio, uſurpari ſolita; uti c. VIII: 17, 19. XI: 36, 40. XII: 9. 4. Quia ſequentia ad tem-

 pora

pora Maccabaica, & Antiochum Epiphanem, omnino reſpiciunt; uti ſuo loco patebit. 5. Quia de adflictione & perſecutione populi ſub Antiocho Epiphane nihil ſpeciale, ſecundum hanc hypotheſin, directo ſenſu haberet prophetia, *populum prævaliturum*, ſimpliciter & in genere tradidiſſe contenta. Quod ab omni veriſimili adhorret.

§. CLXV. Methodo itaque deſultoria & lubrica verbum propheticum interpretandi miſſa, voces ad Epiphanicam adflictionem referamus, & ei congruenter exponamus. Quod non erit factu difficile. *Populum ſcientium Deum ſuum prævaliturum eſſe*, cum modo declaraſſet propheta, aptiſſime ſubjungit, cum *medium*, quo firmiter tenerent, tum *modum*, quo id præſtarent. *Medium* a *commaturantibus populi*, *qui multos facerent intelligentes* & prudentes, derivatur. *Commaturantes populi*, (ſic enim rectius vertimus, quam *populum*, ut Gr. οἱ συνετοὶ τοῦ λαοῦ & Lat. *docti in populo*, & Syr. *juſti de populo*; cum mox ſubjungatur, quod *plures* redderent intelligentes,) ſunt viri inter Judæos periti, & ſapientes, legiſque ſtudioſi, qui & alios inſtruere apti ſunt, vel etiam *munere* illo publice funguntur, *doctores* ordinarii. Primariam verbi שכל virtutem in *mateſcendo* ſitam, & ſub Arab. شكل adſervatam, indeque ortam cum *prudentiæ*, quæ eſt *maturitas* judicii, tum *proſperitatis*, quæ eſt operis *maturitas*, poteſtatem, in lucem jam protraxit Cl. Schultens [a]. In Hiph. *ſe* & *alium commaturare* dicit, adeoque & *prudentem eſſe*, & *prudentiam* aliis inſtillare recte denotat, ut hoc loco. Sunt itaque *commaturantes populi* viri periti & ſapientes, qui rerum pretia & fines recte dignoſcunt, officia ſuis temporibus adcommoda norunt, omniaque dirigere ſciunt ad veram felicitatem ſcopumque adſequendum; alios quoque prudentia imbuere apti ſunt. qui in medio populi Judaici hoc tempore forent, & eminerent, eique inſignem adferrent utilitatem, ad prudentiam ac conſtantiam multis ingene-

[a] Clav. p. 299. & ad Prov. I: 3. & XVII: 8.

generandam. Quod his verbis enunciatur, *acute cernentes facient multos*, eos ſcilicet officio inſtruendo, rationes moventes ad conſtantem religionis profeſſionem & defenſio nem ſuppeditando, nec non de calamitatis præſentis vero conſpectu & fini informando. Verbum בין proprie *vim ſecantem* ſignat, *quæ res articulatim diſtinguat*, *penetret*, *perſpiciat*, *dijudicet atque discernat*, verba ſunt Cl. Schultens [a], inde הבין eſt *ſibi articulatim diſtinguere*, *penetrare*, *dijudicare*, *ac ſecante acie discernere interiora rerum.* Hic vero *transeuntem* habet poteſtatem, dicitque talem intelligentiam in alios transfundere, per quam acute cernentes, & penetrante acie ſecantes omnia, fiant. Phraſis enim, יבינו לרבים *intelligentes facient multos*, eam habet poteſtatem, ut Job. VI: 7. הבינו לי *demonſtrate mihi* & alibi [b]: ſic cum את, ut Neh. VIII: 7, 9. Jeſ. XXVIII: 9 & alibi. In ſpecie hic cum ad animorum informationem de eo, quod difficillimo hocce tempore agendum ſit, tum ad veritatem ac præſtantiam religionis Judaicæ, vanitatemque idololatriæ, demonſtrandam, tum ad adflictionis rationes & fines, glorioſumque exitum explicandum, tum ad vaticiniorum de hoc ipſo tempore elucidationem præbendam, pertinere videtur. Quod poſtremum hic omnino adtendendum eſſe, phraſios uſus hoc in libro, ut c. VIII: 16. הבן *intelligere hunc fac viſum*, & c. XII: 10. non tantum, ſed poſterioris loci, de eodem tempore, eademque re, agentis, collatio in primis evincit. *Improbi non intelligent*, dicit Angelus Danieli, ſed המשכילים יבינו *commaturantes intelligent*, nimirum cum *verba viſi obſignata* & *clauſa*, tum ſcopum adflictionis & effectum, in probatione & purgatione populi Judæi poſitum: ut ex præcedente oratione clareſcit. Quibus addendum exiſtimem, *vitæ* æternæ & *reſurrectionis* ac *judicii* ultimi doctrinam hoc præcipue tempore magis inculcandam, & in clariore luce, ad animorum convictionem ac corroborationem, collocandam eſſe.

a ad Prov. I: 2. b Dan. VIII: 16.

Cum enim *intelligentiam dare* eo in primis, quod ex ſequentibus manifeſtum eſt, ſpectet, ut cruciatus, mortem, aliaque multa & gravia mala intrepide ac conſtanter, religionis cauſa, ſubeant; nihilque vitæ ac exitii æterni doctrina & fide ad id aptius ſit ac efficacius: ei hic locum dandum eſſe, nemo inficias iverit, qui hoc ipſum dogma nunquam magis ac hoc tempore inter Judæos invaleſcere cepiſſe, ad animum revocaverit; de quo ex 2 Macc. VII., disputationibus hac de re inter Phariſæos & Zadducæos haud longe poſt ortis, aliisque rationibus, clare conſtat.

§. CLXVI. Senſus itaque eſt, peritos prudentesque hoc difficillimo tempore fore viros, qui veræ & hoc tempore neceſſariæ intelligentiæ earum, quas memoravi, rerum promovendæ cum ſucceſſu incumberent; multos enim ea eſſe imbuendos, & longe certiorem ac clariorem earum rerum ſcientiam fidemque conſecuturos eſſe. Quod ipſum diſertis mox verbis prænunciatur c. XII: 4. *concitatiſſime current multi, & multiplicabitur ſcientia.* Quorum implementum temporibus Maccabaicis ſeſe oſtendere incepiſſe, multa demonſtrant. Noſtro nunc ſufficit ſcopo, nonnulla ſpeciminis ergo in medium adtuliſſe, quæ de verborum noſtri verſus implemento teſtantur. Quo egregie faciunt *Mattathiæ* & Judæ Maccabæi orationes, in libris Maccab. [a] ſuperſtites, nec non *Eleazari*, *unius τῶν πρωτευόντων γραμματέων de primoribus ſcribarum*, 2 Macc. VI: 18. verba, ibi legenda: fidei quoque, & ſpei, plena dicta, quæ ſeptem illi fratres, qui Eleazarum παιδευτὴν *præceptorem* ſuum nuncuparunt apud Joſephum [b], cum matre expectorarunt, 2 Macc. VII. Ipſum denique flagrantiſſimum ſtudium, quo ſocii Maccabæorum acti pro lege & religione pugnarunt, ac mortui ſunt, hac de re nos dubitare non ſinit. De adflictionis *ſcopo*, ad probandum & purgandum populum, recte quoque diſſeritur 2 Macc. VI:

[a] 1 Macc. II: 49. & variis in locis, 2 Macc. VIII: 21.
[b] de Maccab. c. 9.

vi: 12, & prophetias Danielis tunc fuiſſe notas, ac ad animum revocatas, ex iisdem Maccab. libris haud obſcure colligitur. Judas ſociis animum addidiſſe fertur ex *lege & Prophetis* 2 Macc. xv: 9. Occurrit quoque, Juda Maccabeo adhuc in vivis, συναγωγὴ γραμματέων *congregatio ſcribarum*, ſeu legis peritorum 1 Macc. vii: 12. Nec defuit poſt exilium Babylonicum a temporibus Ezræ copia talium Doctorum, quibus acceptum ferendum eſt, quod major viguerit legis cognitio inter Judæos, & ab idololatria alieniſſimi ſemper fuerint, ſecundum luculentum Dei promiſſum Jeſ. xxx: 2. &c. *Et dabit vobis Deus panem anguſtiæ, ac aquas preſſuræ: non tamen amplius ſepto incluſi deliteſcent* (quod eſt יכנף, cujus primaria vis eſt *cingere, ſepire, ſepto circumdatum includere*, unde *alæ* fluxit ſignificatio, quod *cingat ac ſepiat*) *doctores tui, ſed oculi tui videbunt doctores tuos. Et aures tuæ audient verba eorum, qui a tergo tuo incedentes dicent: hæc eſt via, calcate eam; ſi ad dextram vel ſiniſtram flexeritis.* &c. ubi videndus eſt Cl. Commentator. Quo etiam directe tendit, quod Deus, *Spiritum ſuum in medio* reducum *ſtaturum* eſſe, pollicitus ſit Hagg. ii: 5. Denique non eſt abs re alienum obſervaſſe, hoc ipſo tempore, & deinceps magis, viros fuiſſe, inſtinctu divino incitatos, & motibus divinis ac heroicis actos, qui partim divini zeli & inperterriti animi, fortitudinisque ſtupendæ, indicia dederunt luculenta, in lege vindicanda, & hoſtibus ac improbis invadendis ac proſternendis, ſuoque exemplo multos animarunt & *prudentes* fecerunt, ut Mattathias, Judas, ejus fratres, Eleazarus, ſupra memoratus, alii; partim hymnos ſacros, ad populum inſtruendum ac corroborandum, fecerunt, & cum publico communicarunt, quorum expreſſa mentio eſt 1 Macc. iv; 33. in oratione Judæ; *dejice eos gladiis amantium tui, ut te carminibus collaudent, quicunque tuum novere nomen.* Quorum hymni etiam nonnulli ſuperſunt

in

in Libro Pſalmorum, uti Docti *a* dudum obſervarunt. De quo alias in *commentario* ad *Pſalmos*.

§. CLXVII. Addit Prophetia, ut cum *intelligentiæ multorum* ſpecimina, tum *modum*, quo prævalerent, traderet, *& corruent gladio & flamma, captivitate & ſpoliatione.* Quæ eo, quo dixi, manifeſte collineant, adeoque de *multis*, nunc recte inſtructis, capienda in primis videntur, cum quod proxime eorum præceſſerit mentio, tum præcipue, quod verſ. 35. de *doctoribus* ruituris agatur. Verba parum aut nihil habent difficultatis. De verbo כשל ſupra *b* monui, quæ neceſſaria erant. Reliquæ voces *mala* exponunt, in quæ offenderent, & impacti hærerent ac ruerent: quæ in *duo* dividuntur genera, ut ex littera conjunctiva ו *&*, addita vel omiſſa, patet, alia, quæ *mortem*, alia quæ incommoda quævis graviſſima, ſalva vita, adferrent. *Prioris* generis ſunt *gladius* & *flamma*, *poſterioris* vero *captivitas* & *ſpoliatio* bonorum. Senſus ergo eſt, alios eſſe violenta morte adficiendos, ſive *gladio* aut bello, ſive *flamma*, quibusvis cruciatibus, & etiam *combuſtione*, alios eſſe partim *vendendos*, ſive captivos abducendos, partim bonis & hæreditatibus ſpoliandos. Hieroſolyma ab Antiocho vel Apollonio occupata, *totam eſt deprædatus, alios quidem necavit*, inquit Joſephus *c*, *alios vero una cum mulieribus & liberis in captivitatem abegit, adeo ut captivorum numerus circiter decem millia eſſet.* Deinde, *abominabili vaſtante* introducto, *eminentiſſimi* quique *& animo generoſi*. ita pergit, qui *patrios ritus potiori loco babebant, quam metum poenæ* (ecce *intelligentes* & *prudentes!*) *propterea quotidie vexati, graviſſimis cruciatibus toleratis moriebantur: nam & flagellis cæſi, & corpore mutilati, vivi adhuc & ſpirantes* ἀνεσταυροῦντο *crucibus ſuffigebantur. Mulieres vero ſimul & pueros, quos circumcidebant,* ἀπῆγχον *ſtrangulabant juſſu regis.* conf. 1 Macc: 1: 62. Cum vero Mattathias

a Altingius Diſſ. Philol. 1. de *Ling. Hebr. conſtant.*
b verſ. 14, 19. *c* Ant. l. XII. c. 5. § 4.

tathias ſeſe opponeret, & cum ſuis in ſolitudinem contendiſſet; *multi*, idem cum *mulieribus & liberis* facientes, in ſpelunca ab hoſtibus, die Sabbati, deprehenſi, nihilque repugnantes, minus opportuna Sabbati reverentia ducti, *combuſti ſunt*, *mille* numero; ut ibid. [a] refert Joſephus. Qui & alibi [b] tradit *optimos* quosque fuiſſe *mactatos;* ut & Alcimum multos *ἀγαθῶν καὶ ὁσίων ſtrenuorum* ac *zelotarum* occidiſſe [c]. Joſepho concinunt, quæ libri Maccab., in primis 2 Macc. VI & VII., fuſius referunt, ut & autor Maccabaicorum, qui Joſephi nomen præfert. De *captivitate* multorum egregie liquet ex 1 Macc. X: 33. quales ſub Demetrio ſub finem regni adhuc fuerunt, quos ipſe promiſit liberos futuros [d]. Ex quibus monumentis quisque facili negotio haurire poterit, quæ ad implementum demonſtrandum faciunt. Quibus immorari neceſſe non fuerit.

§. CLXVIII. Tantum de *tempore*, quo duraret hæc vexatio, verbo dicendum eſt. Quod voce ימים, *diebus*, cum verbo *offendentur* omnino conſtruenda, propheta in genere conſignavit. Interpretes paſſim רבים *multis* per ellipſin addunt, & *dies multos*, longius aliquod tempus, intelligunt; ſine ratione, aut exemplo, ut recte Piscator, qui *aliquot* dies interpretatur, ex Dan. VIII: 27. longe rectius. Sed obſervandum eſt, ימים *dies* in libro Danielis ſolicite ab *annis* שנים diſtingui, ita ut *anni* longius tempus, per annos ſupputandum, *dies* vero brevius, per dies & menſes potius numerandum, exprimant; uti ſupra [e] jam notavi. Quot autem *dierum* numerus intelligendus ſit, hic quidem in incerto relinquitur; ſed poſtea ab Angelo definitius traditur c. XII: 11, 12., ſicut & antea c. VIII: 14. factum erat. De quo cum in Diſſ. [f] ad *Danielis vaticinia emblematica* abunde expoſuerim, hic nihil addam, præter

 illud,

[a] c. 6. § 2. [b] B. J. l. I. c. I. [c] Ant. l. XII. c. 10. § 3. [d] Vid. Joſeph. Ant. l. XIII. c. 2. [e] ad verſ. 6 & 8. [f] Diſſ. VI. § 26. &c.

illud, *tempus* præciſe capiendum eſſe, quod a perſecutione, proprie dicta, fluxit ad illud usque, quo divino auxilio adjuti ſacra inſtaurarunt, & *abominabile vaſtans* loco moverunt; uti ex verſ. 34. clare eluceſcit. De quo etiam c. VIII: 14. XII: 7, 11. agitur, quod eſt *trium annorum & dimidii;* ut ſuo loco, modo citato, demonſtravimus. In quibus hic acquieſco.

§. CLXIX. Pergit prophetia ad *modum* declarandum, quo adflicti, & in adflictione firmiter tenentes, tandem ſuperiores evaderent: quod phraſi quoque, *prævalebunt & facient*, verſ 32. dixi comprehenſum eſſe. Modum illum hæc verba manifeſtant verſ. 34. *ſed, dum ruent, copioſe adjuvabuntur auxilio parvo; iisque arcte adnectent ſeſe multi in lubricitatibus.* Quorum huc redit ſenſus. Sæviente maxime perſecutione, cum res videbuntur deſperatæ, promtiſſimus iis ſuccurret vindex, licet parva manu præditus; quo copioſiſſime juvabuntur. Quando ingens eorum, qui lubricis in locis poſiti, ſive legi renunciarint, ſive facturi ſint, a ruina prope aberant, multitudo partes eorum publice ſectabitur, & ſocietati eorum ſeſe arcte adjunget. Prius *verſus* membrum, recte in genere explicari, & ad Mattathiam ejusque filios ac primos ſocios, numero paucos, viribusque præditos exiguis, adplicari ſolitum ab Interpretibus, nos non detinebit; cum parum noſtræ curæ relictum ſit, nec aliquid habeat difficultatis, aut in vocibus, aut in implemento. Tantum ſingularis emphaſis verbi עזר *adjuvare*, quam & hic exſerit, non erat negligenda, qua abſolute aliquando *vindicem promtiſſimum* denotat; uti in locis infra [a] citatis. Quo etiam formula Arabum, *non adjutor illi eſt*, pro *homo perditiſſimæ rei & ſpei eſt, quem nemo ſua cura dignari velit*, notante Cl. Schultens [b], pertinet; uti hoc ipſo capite verſ. 45. Præterea *juvare* non ſimpliciter, eripere manibus hoſtium, ſed

[a] Jeſ. XXXI: 3. LXIII: 5. Pſ. XXXV: 2, CXVIII: 7. Job. IX: 13. XXIX: 12. [b] ad Job. XXX: 13.

ſed & copioſa ſalute, & omnium rerum copia donare, involvit vera ſua virtute verbum עזר, cujus primariam poteſtatem in *copioſo fluxu*, ut in ubere animalis abundanter fluente, verbo notavit Cl. Schultens *a*, latius deduxit, & ad loca Script. S. adplicuit Rev. Lette *b*. Senſus itaque eſt, eos miſeros & adflictos ſtrenuiſſimum & promtiſſimum nacturos eſſe in Deo vindicem, qui eos tuebitur, in libertatem adſeret, & in largiſſimam rerum abundantiam immittet, attamen modo plane mirabili, *parvo* adhibito & viliſſimo, ut videbatur, *auxilio*. Quod per voces עזר מעט *auxilio modico* ſignificatur; quarum elegantiam & amplitudinem neſcio an perſpexerint Interpretes? Voces enim non *auxilium*, ſeu patrocinium, parca menſura præſtitum, non parvam ſeu modicam ſalutem ac tenuem liberationem, ut videri poſſet, ſignant, cum copioſa ac abundante ſalute forent donandi, ut modo obſervavi, & hiſtoria docet Maccabaica; ſed, parva manu auxiliatrice adhibita, copioſam liberationem præbere; imo parvas & numero exiguas copias, per quas in libertatem & abundantiam rerum adſererentur, non tantum exprimunt, ſed & viribus, ac dignitate & autoritate, parvis vel nullis præditas, ſimul viles & contemtibiles, ob oculos ponunt. Quam emphaſin vocula מעט præfert: quæ, originem in *radendo*, *deradendo*, habens, ſonat, ut verbis Cl. Schultens *c* utar, proprie τὸ ψιλὸν, *quod radendo teritur & tenuatur*; hinc *ramentum*, & quodcunque *tenue* ac *vile* eſt; ut Gr ψιλὸν a ψίω, ψάω, ψέω *rado*. Arabibus valet *nudus*, *glaber* fuit, & ſine *pilis*. In genere omnem *exiguitatem* ac *tenuitatem*, ſed in ſpecie *vile* quodcunque & *contemtiſſimum*, exprimit; ut כמעט *inſtar ramenti* ſeu ſcoriæ, oppoſite ad *argentum purum* Prov. x: 20. & Job. XXXII: 22., uti recte ad ea loca Cl. Commentator; qui tamen eandem emphaſin alio loco Prov. v: 14. non advertit: כמעט הייתי ibi non eſt *parum ab-*

 eſt

a ad Harir. conſ. II. p. 110. *b* ad Jud. v: 23. *c* ad Prov. x: 20.

eſt quin extiterim, ut vertit, ſed *contemtiſſimus ſui in omni malo, proſciſſio comitii & conventus publici.* Sic & Pſ. cv: 12. *cum eſſent homines pauci*, כמעט *contemti & peregrini in ea.* Senſus itaque eſt, copioſa quidem ſalute a potentiſſimo patrono & vindice Deo, qui hic omnino intelligendus eſt, beandos eſſe, quod eſt *adjuvabuntur*, ſcilicet a Deo; attamen per exigua & vilia media & inſtrumenta, homines paucos & ſpretos, *auxilio* itaque *parvo*, tenui & *nullius pretii.* Quæ egregia eſt Maccabæorum deſcriptio, & paucorum numero, & nulla dignitate, nulliſque viribus, inſignium: quare *vermis Jacobi*, & *ſocii Iſraelis*, ſeu viles & abjecti: (habet enim vox מתי *ſociorum* aliquid contemtus apud Arabes, & alibi etiam in Script., ut Pſ. XVII: 14.) adpellantur Jeſ. XLI: 14. notabili, & in rem noſtram aptiſſimo, loco, *ne timeas vermis Jacobi, & ſocii Iſraelis; ego* עזרתיך promtiſſimo patrocinio te copioſe *adjuvabo*, *dicit Jehova*, & *redemtor tuus ſanctus Iſraelis.* Quæ ad Maccabæos omnino pertinent: ut ex ſequente textu, & ſerie orationis liquet. Quos etiam in oculis habuit Propheta Zach. XII: 8. *Et proteget illo tempore Jehova incolas Hieroſolymæ: eritque infirmus* (הנכשל ad lapſum pronus, imbecillis) *illo tempore inter ipſos tanquam David* ... *ſicut angelus Jehovæ ante ipſos*, adeoque major Davide, et inſtar *Joſuæ*: nec non Joel. IV. 10. החלש *infirmus*, *enervatus*, proprie *deraſus* (ex Arab. حلث) dilaceratus, *dicet*, *heros ego ſum.* Quam ob cauſam quoque cum *lapide* exiguæ molis & virtutis, relate ad *coloſſum*, comparantur Dan. II: 34. ut in Diſſ. ad Dan. [a] expoſui, & *lapis ab ædificatoribus ſpretus*, dein *caput anguli* factus, primo ſenſu & typico eandem domum Maccabaicam, in Simone ſeſe oſtentantem, tunc ex viliſſimis initiis in ſublimi loco in civitate & Eccleſia poſitam, tanquam Meſſiæ typum, ex mea opinione, alias adſerenda, repræſentat, Pſ. CXVIII: 22.

§. CLXX. Mattathias, ut de implemento, ex hiſtoria Maccab.

[a] Diſſ. VII. § 9.

Maccab. facile eruendo, paucis defungar, etſi familiæ ſacerdotalis, & non ſine adulatione ab hoſte, qui ipſum ad defectionem a lege abſtrahere blanda oratione tentavit, *ἄρχων καὶ ἔνδοξος καὶ μέγας princeps, clariſſimus & magnus in civitate illa* Modin, 1 Macc. II: 17. adpellatus, exiguæ & ingloriæ urbis civis erat, nulla poteſtate & autoritate præditus, a primoribus quoque populi & Hieroſolymitanis, ad idololatriam inclinantibus [a], deſertus & ſpretus, filiis *quinque* & paucis ſociis munitus, ſeſe regis edictis palam oppoſuit, fugitque in deſertum; deinceps exigua & vili manu ſtipatus Judas, relate ad potentiſſimi regis vires, & populi hoſtilis multitudinem, plane nullius pretii, facinora præclara adgreſſus eſt, & patravit, ſolius Dei potentia nixus, & adjutus. Hoſtibus occurrit ὀλιγοστὸς *parvus numero:* cumque ſocii; metu perculſi, dicerent, *quomodo poterimus pauci cum tanta multitudine robuſta pugnare, καὶ ἡμεῖς ἐκλελύμεθα & nos languidi ſumus, viribus defecti;* Judas eos conſolatus regeſſit, *non eſt differentia coram Deo coeli ſervare ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις per multos aut paucos*, 1 Macc. III: 16. &c. quod olim Jonathan, filius Sauli, in ſimili caſu expreſſit, *ſervare* ברב או במעט *multo magnoque aut parvo vilique*, 1 Sam. XIV: 6. Sed oppido multa & paucitatis vilitatisque Maccabæorum, & divinæ potentiæ, manusque protectricis validiſſimæ, qua gaviſi ſunt, indicia ubique in hiſtoria Maccab. proſtant. De quo poſtea ad cap. XII.

§. CLXXI. Alterum *verſus* membrum, *& arcte ipſis adjungentur multi in lubricitatibus*, de illis capi ſolet, qui ſimulata amicitia, animis doloſis, & ſcopo fallendi ac prodendi, eorum partes ſectarentur, vel ſequi ſimularent. Quod 1. quo ſcopo hic memoretur, quidve huc faciat, non intelligo? niſi ut parva manu ipſos ſemper fuiſſe adjutos, non obſtante multitudine, quæ poſtea acceſſit, indicaretur. Sed non eum, verum longe alium, conſpe-

 ctum

[a] 1 Macc. II: 18.

ctum verba gerunt, qui beneficii loco illam multitudinis adſociationem conſiderari jubet. 2. Nec cum veritate hiſtoriæ conciliari poterit hæc tantæ multitudinis fucata adſociatio. Apoſtatæ manſerunt ut plurimum aperti Maccabæorum hoſtes, nec, ſi hic illic tales ſeſe iis junxerint, numerum fecerunt. Tentarunt quidem nonnulli eos fallacibus verbis in partes ſuas trahere, & ſibi adjungere, ſed non admiſſi ſunt, nec iis fiderunt Maccabæi, ut exemplum eſt 1 Macc. VII: 10, 11. Crediderunt quidem Alcimo cum copiis accedenti, & Hieroſolymæ ad ſacerdotium capeſſendum admitti cupienti, nonnulli Aſidæorum, mox perfide obtruncati; ſed illud tanti non eſt, nec phraſium vim ullo modo præſtat. Nec multum ad rem faciunt duo loca ab Ill. Grotio ex 1 Macc. V: 56. & 2 Macc. XII: 40. hic adducta; uti legenti facile adparebit. Joſephus & Azarias, duces copiarum, ſeſe, ut priore loco narratur, contra Judæ juſſum hoſtibus implicuerunt, ut nomen & ipſi facerent, cæſique ſunt, quia non erant ex *eorum ſemine*, per *quos Deus Iſraelem* nunc liberare voluit. Quæ longe alia ſunt, ac animo doloſo, & decipiendi propoſito, ſeſe adjungere Maccabæis; nec *multi* poſſunt adpellari: Poſteriore loco nonnulli Judæorum, in prælio Judæ cum Gorgia occiſi, deprehenſi leguntur cum *idolis ſub veſtibus*. Quod quidem, ſi verum ſit, animum idololatricum eorum demonſtrat, ſed non doloſam adſociationem cum Maccabæis, ad iis nocendum: nec illi numerum fecerunt. 3. Verbum denique נלוו *adjungentur* majore pollet emphaſi, quam ſimulata adfert adſociatio externa. Tenerrimam enim & familiariſſimam, multis nexibus complicatam, ſocietatem ac conſuetudinem, ut ex. gr. mariti & uxoris, hominis cum Deo uniti, deſignat [a], a propria *circumplicandi & innectendi*, περιπλέκεσθαι, multis ſpiris ac flexibus, ſignificatione, quæ in לויתן *Leviathan*, *ſerpente contortuplicato*, & לוית חן *corolla gratiæ*, ſeu *ſerto plexili*, multa

[a] Gen. XXIX: 34. Jeſ. LVI: 6. Zach. II: 15. Pſ. LXXXIII: 9.

multa ſe *gratia & venuſtate commendante*; uti obſervavit Cl. Schultens *a*, ſupereſt. Nec ſcio, num vox בחלקלקות *in lubricitatibus* usquam *blanditias* ac *fallacias* ſignet, abſolute, ut hic, poſita ſignificare poſſit. Verbum החליק eam quidem induit poteſtatem, ſed cum *verbis*, *lingua*, *oculis* conſtructum, aut alia ratione reſtrictum: vox חלקות & חלקלקות loca lubrica, & præcipitia, ſtatumque vacillantem & periculoſum, lapſui proximum, ſiſtere ſolet; hoc etiam in capite conſtanter, ubi *ter* occurrit, niſi quis verſ. 21. alio ſenſu ſumi velit, de quo ſupra dixi. Sed hic dubium mihi non eſt, quin ad verſ 32. reſpiciatur, & eædem *lubricitates* intelligantur: quas exponere adgredior.

§. CLXXII. Inſigne itaque beneficium, quo adflicti, in lubrico ſtatu poſiti, ſed ope Divina jam adjuti, & rem Judaicam ſtrenue reſtituentes, mactarentur, hic ob oculos ſiſti autumaverim, in eo ſitum, quod *multi* ſive a religione defecerint, ſive in fide nutaverint, ſive diſſipati fuerint, multisque periculis vitæ obnoxii, ſeſe animis reſumtis arcte adjungerent Maccabæis, eosque parva ope præditos firmarent, ſimul ab illis adjuvarentur. Quod ſicut apte ſuperiori membro adnectitur, ita verbis, modo explicitis, rectiſſime reſpondent. Scopus eorum eſt, exponere, *adflictos* eos, nunc adjutos, ulterius eſſe a multis, qui ſe iis adjungerent, corroborandos; præterea rem eo eſſe redacturos, ut *multis*, in *lubricitate* poſitis, poſſint eſſe præſidio. De ambiguo tantum quid trahit vox בחלקלקות *in lubricitatibus*, reſpectu conſtructionis, cum & de illis, *qui*, & *quibus* adſociantur, intelligi, & cum עליהם, & cum רבים connecti queat; utrique quoque *in lubricitatibus* poſiti cenſeri poſſint. Etſi enim adflicti, ope divina, rem ſtrenue & feliciter agere inceperunt, parvus tamen eorum numerus, exiguæ vires erant, & anceps adhuc conditio, ab hoſtibus potentiſſimis & maximo numero acriter infeſtati, etiam Hieroſolymis per præſidiarios *arcis*, ſeu

a ad Job. III. 8. Prov. I: 9.

ſeu *acrae*. Quin imo, Juda Maccabæo mortuo, *fuit* adhuc *adflictio magna in Iſraele*, *qualis non fuerat*, *ex quo fuit propheta inter eos* a. Capita etiam tunc erexerunt *impii Iſraelis in omnibus Iſraelitarum finibus*, & graſſati ſunt; *fames* quoque gravis incubuit, & *defecit regio ad Syros*, eique præfecti ſunt a Bacchide viri improbi, quos κυρίους τῆς χώρας *dominos regionis* conſtituit b. Potuerunt itaque ipſi legis ſtudioſi & reip. inſtauratores dici *in lubricitatibus*, ſtatu periculoſo & vacillante, poſiti, & ad ruinam proni. Sed & illis, qui ſeſe iis adplicarent quam arctiſſime, hoc ipſum alio quoque ſenſu convenit, ſive lapſi fuerint in idololatriam, a religione deficientes, ſive inter utramque religionem, veram & falſam, hærerent ancipites, a defectione parum remoti, ſive in exilio, aut deſerto degerent, omnibus malis & periculis expoſiti. Quibus recte *lubricitates* adtribuuntur, & loca *praecipitia*, quibus a ruina & exitio prope aberant. Quem vocis ſignificatum ſupra adſerui. Ceterum *multos* eorum ſeſe Maccabæis adplicuiſſe, eosque multum firmaſſe, ex hiſtoria eſt notiſſimum. Statim atque Mattathias ſeſe cum filiis & zelotis legis palam, tanquam vindicem adflictorum, oſtentaſſet, πάντες οἱ φυγαδεύοντες ἀπὸ τῶν κακῶν προσετέθησαν αὐτοῖς καὶ ἐγένοντο αὐτοῖς εἰς στήριγμα, *omnes propter mala profugi iis adjuncti*, *factique ſunt illis firmamentum* 1 Macc. II: 43. προσγενομένων γὰρ ἀπὸ τοῦ δήμου πολλῶν αὐτῷ, verba ſunt Joſephi c, ἀναθαῤῥήσας κάτεισι, *cum ad eum multi ex populo conveniſſent ſumto animo deſcendit.* Judas Maccabæus, patre mortuo, dux Haſidæorum factus, *urbes* tranſiit, impios delevit, nominisque ſui famam usque ad fines terrae propagavit, καὶ συνήγαγεν ἀπολλυμένους & *congregavit pereuntes*, ſeu *perditos* 1 Macc. III: 9. quod ipſiſſimum eſt *in lubricitatibus*. Apollonio devicto, *multos* ſeſe Judæ *adjunxiſſe*, tradit Joſephus d. Dein præclariſſima de Gorgia victoria reportata cum

a 1 Macc. IX: 27. b ib. 23–25. Joſ. Ant. l. XIII: c. 1.
c B. J. l. 1. c. 1. § 3. d Ant. l. XII. c. 7. init.

cum *tribus* tantum *millibus* hominum [a], haud diu poſt Lyſiæ oppoſuit *decem millia* [b], tantopere creverat ſociorum numerus. Deinceps, Hieroſolyma recepta, & ſacris inſtauratis, cum vicinæ gentes undiquaque impetum facerent, hi, ἐν θλίψει *in gravi adflictione* poſiti, ad Judam ſeſe receperunt, & adjuti ſunt [c]. Hoſtibus vero in Galilæa a Simone profligatis, is *receptos in Galilæa & Arbatis* (ערבתא, Hebr. ערבות *planitie*, *locis planis*, ut recte Druſius & Grotius) *cum mulieribus & liberis*, *omnibus facultatibus*, *abduxit eos in Judæam cum magna lætitia* [d]. Quod idem in Galaaditide trans Jordanem fecit Judas [e]. Hieroſolymam reverſi Judas & fratres celebrati ſunt inter omnes Israelitas & Gentes, καὶ ἐπισυνήγοντο πρὸς αὐτοὺς εὐφημοῦντες *& adgregati ſunt ipſis fauſta precati.* 1 Macc. v: 64. Memorantur quoque οἱ ἀνασωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν εἰς τὴν Ιουδαίαν, *qui a gentibus in Judæam evaſerant ſalvi*, 1 Macc. VI: 53. Eupatore deinceps ab Hieroſolyma oppugnanda deſiſtente, & domum reverſo, *multi ex popularibus* denuo ad Judam acceſſerunt, teſte Joſepho [f].

§. CLXXIII. Deſinit ſpecialior adflictionis Epiphanicæ deſcriptio quam aptiſſime in *ſcopo* ac vero ejus, *conſpectu*, nec non *duratione*, verſ. 35. *Et ex commaturantibus corruent ad probandum eos, & ad nitidandum, & ad dealbandum, usque ad tempus finis, quia adhuc tempore ſtatuto.* Quæ verba, quod ante omnia obſervari ad rectum eorum intellectum velim, cum verſ. 33. cohærent, verſ. 34. quaſi parentheſi incluſo, & uno tenore legenda ſunt, hac ratione: *corruent multi*, a commaturantibus inſtructi, *gladio, & flamma, captivitate & ſpoliatione; corruent quoque cum ipſis commaturantes aliqui;* corruent vero & hi & illi *ad eos probandum*, &c. Non enim ad prudentes, & prudentiam adferrentes, tantum referri debet, uti ceperunt Interpretes, quod de *probatione* & *purgatione* tanquam ſco-

 po

a 1 Macc. IV: 6. b Ib. 29. c Ib. V: 12, 16.
d Ib. 23. e Ib. 45. f B. J. l. 1. c. 1. fin.

po & eventu adflictionis habetur; ſed ad omnes, qui impingerent, & impacti in mala hærerent, ruerentque; adeoque ad adflictionem in genere ſeſe porrigit, æque ad *multos* illos, ac *doctores*, cum quod adflictionis finis in genere exhibeatur, tum quod ad *multos* illos diſerte in loco parallelo adplicetur c. XII: 10. *nitidabuntur & dealbabuntur, & probabuntur* רבים *multi.* Adduntur itaque *multis* ruituris, modo memoratis, ipſi *commaturantes*, ſeu *prudentes* & *doctores*, qui aliis & doctrina & exemplo ſapientiam ac prudentiam infererent, & animum adderent, quorum *aliqui* eandem ſortem ſubirent: quo phraſis, *ex commaturantibus* corruent, tendit, uti in vulgus notum eſt. Cui hiſtoria omnino convenit, quæ ex multitudine populi non tantum, ſed & ſacerdotibus, ac illuſtribus viris haud paucos malis illis fuiſſe abreptos teſtatur. Quorum nonnulla protuliſſe ſpecimina ſuffecerit. Primum & illuſtriſſimum illud eſt *Eleazari*, ex *principibus ſcribarum*, martyrium, 2 Macc. VI: 18— deſcriptum; cujus etiam meminit ſcriptor *ſermonis Maccab.*, qui Joſephi nomen præfert. Occurrunt etiam *ſacerdotes*, qui, ἀβουλεύτως *imprudenter* ad bellum profecti, occiſi ſunt 1 Macc. V: 67. Quod etiam fatum Joſepho & Azariæ contigit, qui a Juda Hieroſolymis relicti *imprudenter*, ut gloriam captarent, cum hoſtibus conflixerunt, & clade adfecti ſunt *a*. Dein Alcimo, cum Bacchide & copiis Hieroſolymam tendenti, ut Pontificatum ſuſciperet, & omnia pacifica præferenti, crediderunt πρῶτοι οἱ Ἀσιδαῖοι *primi A Aſidæi in Iſraele*, & ei ſeſe commiſerunt; quorum *ſexaginta* mox ab improbo illo homine *obtruncati* ſunt, 1 Macc. VII: 16., ubi additur impletum tunc fuiſſe dictum poetæ, *carnes* ὁσίων σου (חסידיך) *ſacerdotum tuorum*, (ſcilicet, *dederunt feris terrae*,) & *ſanguines*

a 1 Macc. V: 61. Joſ. Ant. l. XII: c. 8.

A Recte *primi* vertitur, quia *primi* acceſſerunt, & obtruncati reliquos abſterruerunt; ut ex Joſ. Ant. l. XII. c. 10. § 2. patet.

guines eorum effuderunt circa Hieroſolymam, nec eſt, qui ſepeliat eos. Quæ reperiuntur Pſ. LXXIX: 2, 3. hoc ipſo tempore a ſancto aliquo viro compoſito; uti ipſe autor libri Macc. innuere videtur, ubi dicit, κατὰ τὸν λόγον, ὃν ἔγραψε *ſecundum ſermonem, quem ſcripſit*, ſcilicet *τὶς aliquis*. Juda Maccabæo glorioſa morte defuncto, & improbis rurſus graſſantibus, ac *dominis terrae* a Bacchide conſtitutis; illi indagarunt τὰς φίλους Ἰούδα *ſocios* Judæ primarios, qui mox *Jonathanem* in ejus locum elegiſſe narrantur ducem, & *ad Bacchidem adduxerunt*, qui eos contumelioſe tractavit, 1 Macc. IX: 26. Occurrit quoque *Razias* aliquis, unus Senatorum Hieroſolymitanorum, vir optimus, & *pater populi* dictus, qui ſeſe ſtrenuum legis patronum ſemper geſſerat in perſecutione, nulla metuens pericula, tandem a Nicanore ad necem quæſitus, ſed ſui martyrii autor factus, 2 Macc. XIV: 37. Memorantur quoque *ſacerdotes*, a Juda conſtituti, qui non niſi ἀμώμους, θελητὰς νόμου, *immaculatos & legis ſtudioſos* elegit 1 Macc. IV: 42. temere ſeſe bello immiſcentes, & *occiſi* 1 Macc. V: 67. Joſepho [a] denique οἱ δοκιμώτατοι *optimi & probatiſſimi* adpellantur, ſæviente perſecutione trucidati. Quid? quod ipſe *Judas*, in prælio cum Bacchide, *ceciderit*, heros præclarus, & vindex populi, in medio victoriarum curſu, nimia fiducia elatus, & imprudenter prælium faciens, quo populus in ſummas conjectus denuo eſt calamitates. 1 Maccab. IX: 18. [b]. Ceciderat jam antea frater ejus *Eleazarus*, ab elephante, quem obtruncaverat, oppreſſus [c], & dein, poſt Judæ mortem, alter frater *Johannes* [d], dux quoque populi. Tandem & ipſe *Jonathan*, ſtrenuus poſt Judam reip. inſtaurator, dolo a Tryphone circumventus [e]; nec non poſtea *Simon* [f], pleniſſimæ libertatis autor, a genero ſuo

a B. J. l. I. c. I. § 2. *b* Vid. et Joſ. Ant. l. XII. fin. *c* 1 Macc. VI: 46. *d* Ib. IX: 35. Joſ. Ant. l XIII. c. I. *e* 1 Macc. XIII. Joſ. Ant. l. XIII. c. 6. *f* Joſ. ib. c. 7. & 1 Macc. XVI.

Ptolemæo occiſus. Ceterum notanda eſt vaticiniorum Danielis harmonia; cum verba noſtra cum *parvi cornu* facinoribus, apte conſpirent. *Elevabit ſeſe*, dicit Angelus c. VIII: 10., *usque ad exercitum cœlorum*, *& cadere faciet in terram de exercitu & ſtellis*, *& conculcabit eas*. Ubi videantur Diſſert. [a] noſtræ.

§. CLXXIV. *Scopus* & *eventus* adflictionis declaratur futurus *probatio*, *nitidatio & dealbatio*; corruent, dicit prophetia, *ad probandum*, *nitidandum ac dealbandum*, id eſt, huc *tendet*, eo *exibit* calamitas. Præf. enim ל *ſcopum* non tantum, ſed & *eventum* ſignat, ſive nominibus, ſive verbis præfigatur, ut 1 Sam. XX: 30. Job. 1: 15. & ſæpe alibi: quod non eſt ignotum. Duplex autem *finis* conſignatur, *probationis*, & *purgationis*. *Probationem* fidei in Deum Iſraelis, ſinceri ſtudii religionis, ac virtutis, per conſtantiam in quibusvis periculis & adflictionibus, per labores pro religione ſusceptos, exhibet verbum צרף, proprie, ut inquit Cl. Schultens [b], *ultro citroque verſavit*, *tractavit*, *excuſſit*, *ut nummularius nummos*, *quos probat*, *vel ut aurifices*, *quum ſedent ad metalla conflanda:* quem uſum habet paſſim in Script., ut vel ex Lexicis diſcere eſt. Ad *purgationem* cum ab hypocritis & improbi animi hominibus, tum a languore & tepore religionis, aliisque corruptelis, quibus ſtudioſi legis contaminati fuerunt, reliqua duo verba pertinent, ברר & לבן, *nitidare & dealbare*, quæ, non ſine emphaſi, conjunguntur ad *purgationis* gradationem ſignificandam. Verbum ברר ſedem habet, ut & ברא, in *nitida* & *raſili* politura, & adhibetur de *ſagitta*, radendo polita, de *labio* verbis *perpolito*, de *area*, frumento purgato, polita. Alterum vero לבן in origine habet vel *complanandi*, vel *linendi*, aut *liniendi*, poteſtatem, unde ad liquorem *albicantem* tranſiit, & rem albo colore ſplendidam ſignat. Senſus itaque eſt, populum per haſce adflictiones partim eſſe a ritibus ſuperſtitioſis, ex gentiliſmo deſum-

[a] Diſſ. VI. § 19. [b] ad Har. conſ. II. p. 48.

deſumtis, & improborum hominum mixtura, purgandum, partim in longe ſplendidorem conditionem eſſe transferendum: uti, poſt finitam perſecutionem ſub Simone & Johanne Hyrcano factum eſſe, novimus. De quo eventu plura dicemus ad c. XII: 2, 3. Hic notaſſe ſuffecerit, prudentes Judæorum hoc ipſo oculo perſecutionem hanc fuiſſe contemplatos, ut ex 2 Macc. VI: 12. manifeſtum eſt. *Igitur bujus libri lectores bortor*, inquit autor, *ne propter adverſos caſus animum deſpondeant: ſed cogitent, poenas non ad perniciem, ſed correctionem eſſe noſtri generis.* Mattathias in oratione ad filios 1 Macc. II. 49. ἐλεγμὸν *explorationem*, uti interpretatur ibi Ill. Grotius, adpellat. Quem eundem *probationis* ac *purgationis* conſpectum calamitati, cum *Babylonicae* [a] tum *Epiphanicae* [b], attribuerunt Prophetæ.

§. CLXXV. Ex quo ſimul pateſcit, adflictionem non in perpetuum duraturam, ſed *finem* habituram eſſe, *ſtatuto* tempore futurum. Quod ad piorum conſolationem expreſſe additur; *usque ad tempus finis*, *quia adbuc ſtatuto tempore.* *Tempus finis* non, cum Doctiſſimo Medo, ad *finem* regni Syro-Macedonici, regno Antiochi Epiphanis alligari ſolitum in libro Danielis, ſed adflictionis Epiphanicæ referendum, ut ex nexu & ſerie orationis, & collatione c. VIII: 19. XII: 9, 13. nec non ex phraſi abſoluta, longe alia c. XI: 45. *& veniet ad finem ſuum*, manifeſtum eſſe reor, latius vel ſtrictus ſumi poteſt, vel de *fini* perſecutionis proprie dictæ, usque ad Templum repurgatum a Juda Maccabæo, de quo c. VIII: 14. XII: 7, 11. agitur, vel de termino adflictionis & calamitatis periculoſæ, ſub Jonathane ac Simone futuro: de quo c. XII: 12. Quod utrumque hic admitti poteſt. Sed quid ſibi vult, quod ſubjungitur per particulam cauſalem, *quia adbuc ſtatuto tempore?* Explicandum cenſeo ex verſ. 27. quod ad phraſin, adeoque *finem* eſſe, ex præcedente repetendum, & *rationem*

 reddi,

a Jeſ. I: 25. XLVIII: 10. b Pſ. LXVI: 10.

reddi, quare, ad *tempus finis* duraturam eſſe calamitatem, adſeruerit, *quia finis adbuc* & *propediem* certo & ex conſtituto Dei futurus eſt. De quo ad verſ. 27. egi. Indicatur itaque, finem *certiſſime* & *brevi* poſt ex decreto ſummi Numinis eſſe adpariturum. De implemento abunde diſſerui in Diſſ. [a] ad Danielem. Quare in dictis acquieſco.

§. CLXXVI. Expeditionibus Antiochi in Aegyptum, earumque triſtiſſimis reſpectu Judæorum conſequentibus, cum iis connexis, adeoque improbis & horrendis Judæorum reip. & religionis infeſtationibus, prophetice enarratis, Propheta & concluſionis inſtar, & ad generalis propoſitionis, verſ. 24, uberiorem elucidationem, quem conſpectum univerſam præferre pericopam, verſ. 25-39., ſupra obſervavi, ſuperborum Antiochi & vanitatis pleniſſimorum inſtitutorum accuratiorem intellectum ſubjungit. Cum enim verſ. 24. impetus ejus hoſtiles in Aegyptios & Judæos non tantum, ſed mirabilia, ac a majorum more longe alieniſſima, inſtituta, in primis reſpectu ſpoliationum locorum ſacrorum, & ſpoliorum poſſeſſionumque ridiculæ profuſionis, generatim repræſentaſſet: in ſpeciali deductione non ſolum eas expeditiones in Aegyptum ac Judæam, ibique patrata facinora, ſed & ſingularia, ac mirabilia, ejus inſtituta in lucem protrahere debebat. Quod hac ultima in pericopa aptiſſime facit, cum quod ultimo etiam loco verſ. 24. memorata erant, tum quod *concluſionis* vicem præſtare queat, tum quod cum vitæ ejus fini proxime conjuncta fuerunt. Subjunxit etiam adcommodate admodum infeſtationibus Judæorum, quia in iis partim conſpicua fuerunt, partim cum iis cohæſerunt, & eas exceperunt proxime. Ex quibus cum *nexus* pericopæ ſequentis, verſ. 36-39. cum ſuperioribus, tum verus ejus *conſpectus* in omnium ſeſe mox ingerit oculos; adeo ut ad ejus expoſitionem, hac jacta hypotheſi, confeſtim progredi liceret; niſi Interpretum plurimorum, in omnia

[a] Diſſ. VI: § 26 &c.

omnia alia abeuntium, autoritas aliquid moræ injiceret. Absque hac enim eſſet autoritate, hypotheſes eorum ſuo reliquiſſem loco, & intactas præteriiſſem.

§. CLXXVII. Vetores Chriſtiani Interpretes univerſam de Antiocho prophetiam, a verſ. 21. ad finem usque, ad Antichriſtum, ultimo tempore futurum, traxerunt, teſte Hieronymo, qui Antiochum & Antichriſtum una hic depingi autumat, quem deinceps paſſim ſecuti ſunt. Rectius & plane in noſtram mentem inſtituit Chryſoſtomus a, qui totam pericopam uni Antiocho Epiphani adplicat. Recentiores in varias ſcinduntur partes, ne de Judæis dicam. De Romanis, primum gentilibus, dein Chriſtianis ſeu Antichriſtianis, Neuwtonus verſ. 31., J. Medus verſ. 36. agi incipere cenſet. In Romanis Gentilibus ante Meſſiam hæret a verſ. 36. Calvinus; Chriſtianæ primum, dein Antichriſtianæ, Eccleſiæ fata a verſ. 33. pertexi, ſtatuit Coccejus, ad Eccleſiam Antichriſtianam referunt a verſ. 36. plurimi. Antiochum & Antichriſtum verſ. 36 & ſeq., ut typum & antitypum, conjungunt alii, uti etiam Polanus, qui, de Antiocho directe & primo ſenſu agi, recte nonnullis argumentis probat. Sed non deſunt, qui, Porphyrium ſecuti, intra Antiochi inſtituta ſeſe continent, ut Junius, Brughtonus, L'Empereur, Rollocus, Jungmannus, Launæus, alii, qui tamen non negant, nonnullos colores ad Antichriſtum quoque pertinere. Nec circa *ſubjectum* prophetiæ, ac hypotheſin eam explicandi, tantopere ſecum diſſident, verum in ſingulis partibus transferendis iidem, qui ſecum conſentiunt, in diverſiſſima abeunt: nec mirum, cum in tenebris, in quas ſe induerunt, falſa adſumta hypotheſi, oberrare debeant. Diverſiſſimas hasce opiniones ad examen revocare, nec inſtituti ratio fert, nec neceſſe eſt, cum partim ſe invicem refutent, partim, vera hypotheſi adſerta & explicita, ſponte corruant reliquæ, partim parum negotii faceſſant illis, qui,

a Orat. v. contra Judaeos oper. t. 1. p. 639. ed. nov.

qui, non prorſus imperiti, ſolidam ſectantur prophetiarum explicandarum methodum. Suffecerit itaque, hypotheſin *poſtremam*, quam unice veram habeo, paucis adfirmaſſe, &, accurata ſingularum partium explicatione, in luce collocaſſe. Dubium enim non eſt, quin perverſus earum intellectus tenebras offuderit, &, ad longe aliena ſubjecta ſe recipere, coegerit Interpretes. Prophetiam de Antiocho continuari, nullumque hic ad Romanos, aut Antichriſtum, fieri tranſitum, ſequentes mihi perſuadent rationes.

§. CLXXVIII. 1. Quia nullum eſt tranſitus ad aliud ſubjectum, minus ad tam remotum, quale eſt Antichriſti, indicium in textu: ſine quo, in hac præcipue prophetia, quæ uno tenore & concatenata ſerie decurrit tota, aliud fingere ſubjectum fas non eſt; niſi quis naſum cereum de ea facere, & pro arbitrio in eam graſſari velit. Cum enim hucusque de Antiocho Epiphane vaticinatus eſſet, ut ex ſuperioribus conſtat, quid de *nexu* fiet? ſi nunc alio dicas oculos vertere Prophetiam. Nonnullos nexum in vocibus præcedentibus, quas vertunt, *quia adhuc aliud tempus erit*, aut, ut Medo placet, *quia adhuc ad tempus conſtitutum faciet rex*, quærere, equidem novi; ſed, præterquam quod verſio ſit impertinens, ut jam de priore notavit Jungmannus [a], & de utraque ex ſupra dictis conſtat, poſterior quoque per conjunctivam litteram ו *&*, ante ועשה *& faciet*, refutetur; *nexus* nondum in propatulo foret; cum, ad aliud ſe flectere ſubjectum prophetiam, inde nondum conſtaret. *Quæ* nexus ratio movit alios, ut filum prophetiæ de alio ſubjecto jam altius repetierint, a verſ. 31, vel 33, haud felicius; ut ſupra vidimus. 2. Accedit, nullum eſſe alterius ſubjecti ſignum, nullam aut Romanorum, aut Antichriſti, notam characteriſticam, nullam rationem, quæ Antiochum oculis eſſe dimittendum jubeat. Etſi enim nonnulla in Romanos, aut

[a] ad Dan. l. c. p. 413.

aut Antichriſtum, aut Turcam, de quo aliqui etiam cogitarunt, conveniant, Paulus quoque 2 Theſſ. II. colores Antichriſti hinc mutuatus forte fuerit; Antiochi inſtituta nonnulla iis ſimilia eſſe, ſolum argueret, de Antiocho non agi non demonſtraret; cum nihil occurrat, quod in ipſum non exacte quadret: ut expoſitio docebit. Pauli verba 2 Theſſ. II. nos ad Antichriſtum hoc loco non compellere, demonſtravit quoque Jungmannus [a], nec eſt difficile, maxime cum ad noſtrum non tantum locum, ſed & Jeſ. XIV: 13, 14. ubi nemo doctior negabit Babylonii faſtum depingi, reſpiciat Paulus in verbis: *ſedebo in monte conventus -- adſcendam ſuper celſa nubis, adſimilabor Altiſſimo.* Quod Pauli eſt, *ſedere ut Deum in Templo Dei.* Proferuntur quidem nonnulla, ab Antiocho, ut putatur, aliena, ex. gr. quod *Deum patrum* ſit neglecturus, *Deum peregrinum* culturus, *deſiderium mulierum* nihili facturus; ſed recte intellecta tantum abeſt, ut ab eo abhorreant, ut ei magis quam ulli alii conveniant. De quo mox.

§. CLXXIX. 3. Quia manifeſta Antiochi *criteria*, in alia illa ſubjecta, quæ ſubſtituunt, non quadrantia, ſeſe offerunt varia. *a.* in titulo המלך *rex iſte* verſ. 36. *& faciet ſecundum arbitrium ſuum rex iſte;* cum quod *regis* titulus in toto hoc cap. ad *reges* Auſtri vel Septentrionis reſtringatur, tum quod mox verſ. 40. *rex auſtri* adpelletur, tum denique quod *rex iſte* nos ad eum admirabilem ac ſuperbum Antiochum, ſupra memoratum, clare ducat. Quod ſi *Romanos* in oculis habuiſſet, vel כתים *Chittæos*, ut verſ. 30. vel קצין *ducem*, ut verſ. 18., adpellaſſet, ſi *Antichriſtum*, alio eum inſigniiſſet epitheto, non abſolute *regem*, longe alium ſignantem, ac Antichriſtum, prophetam munere & ſacerdotem, dixiſſet. *b.* In phraſi cum ſuperioribus connexa, *& faciet ſecundum beneplacitum ſuum rex iſte*, abſque ulla nota novi regis oriundi; argumento, de eodem pergere Prophetam loqui. Addidiſſet ceteroquin ali-

[a] ad Dan. l. c. p. 415.

quid, quod de novo rege ſermonem inſtitui indicaret; ſive, *& orietur poſtea rex*, ſive aliud ſimile quid; ut ſolet, ubi vel de *ſucceſſore*, in regno Auſtri aut Septentrionis agere incipit. Quod recte advertit & urſit *Launæus*. *c.* In *termino* proſperitatis moliminum regis, *usque* dum explicuerit זעם *indignationis tempus*; quæ characteriſtica eſt perſecutionis Epiphanicæ phraſis; ut mox patebit. *d.* in *Diis* patrum ab hoc rege ſpretis. Quod ſicut in Antiochum optime, in *Romanos* nullatenus, minus in *Antichriſtum*, quadrat: quia Dii gentium a vero Deo diſtincti intelliguntur, & ipſum illud huic regi vitio vertitur, quod *patrios Deos* contemſerit, tanquam ſuperbi & profani animi ſignum. *e.* In *deſiderio mulierum* ſpreto, ſive Venus ſit, ſive conjugii ſit deſcriptio, de quo mox; quod nec Romanis, nec Antichriſto, conſentaneum eſt, cum Clero quidem ob rationes ſtatus Eccleſiaſtici interdixerit nuptiis, ſed alias pro *ſanctiſſima* re eas habeat, & ſacramento. Antiochus qua ratione *Venerem* ludibrio habuerit, mox patebit. *f.* In *Deo peregrino*, ab ipſo culto; quod Antiochus fecit, non Romanus populus, aut Antichriſtus, niſi valde remote, & uſui phraſios minus congruenter.

§. CLXXX. 4. Quia ſequens pericopa, verſ. 40--45. manifeſte ad regna Syriæ & Aegypti pertinet, nulla ratione alio flectenda. 5. Quia inſtauratio populi per Michaelem, principem magnum, cap. XII., & tota illa pericopa ad finem libri ad Maccabaica tempora nos ducit. De quibus poſtea dicemus. Denique 6. quia clariſſima eſt hujus pericopæ, & aliarum partium viſorum Danielis, quæ, ut in Diſſ. ad Dan. demonſtravi, Epiphanis facinora depingunt, convenientia, ut c. VII: 25. *& verba loquetur in partem Altiſſimi, & ſanctos altiſſimorum adfliget, & ſtudebit mutare tempora et ſtatutum, et tradentur in manum ejus*; c. VIII: 11. *et contra principem exercitus ſe efferet.* &c. 25. *ſeſeque corde ſuo extollat, et in opimitate corrumpat multos, et contra principem principum inſurgat.* c. XII: 6. *usque quo,* roga-

rogatur, *finis* הפלאות *mirabilium*? cum manifeſta adluſione ad *mirabilia*, *quae rex loqueretur contra Deum Deorum*, in noſtra pericopa, *usque dum indignatio finiretur*. Quod tempus ibi ad *tempus ſtatutum*, *tempora et dimidium* refertur, ut cap. VII: 25. ſeu *dies* 1290. c. XII: 11. non *annos*, ſed *dies* proprie dictos, ut in Diſſ. ad Dan. disputavi.

§. CLXXXI. Hac firma, ni fallor, jacta hypotheſi, quam pericopa recte intellecta haud parum corroborabit, omnesque difficultates, quæ Antiochum oculis eripuerunt, diſſipabit: inſtituta ejus ſuperba & vaniſſima, ſecundum ductum prophetiæ, in lucem protrahamus. *Primum* inſolentiæ ejus ſpecimen generale eſt, verſ. 36. *Et faciet rex iſte ſecundum beneplacitum*, ſive, ut paulo latius exprimam, pro norma actionum nihil aliud ac arbitrium & libidinem habebit, honeſti, decori, aut juſti ac pii, nulla habita ratione; nec Divina nec humana jura curans; putabit quoque, ſe omnia, quæ lubent, effecturum eſſe; facietque etiam ad certum terminum usque, pro aliquo tempore ſucceſſu uſurus proſpero. Quæ omnem, ni fallor, phraſios præſtant amplitudinem; quam verbo diſtinctius eruam. Denotat 1. phraſis, *facere ſecundum voluntatem*, inſtituta & actiones ad ſolum placitum dirigere, pro arbitrio agere, honeſtatis, humanitatis ac Divinitatis, jura flocci facere, ſolique ſuo numini litare; pro actionum ratione ſolam habere voluntatem; ſecundum illud, *ſtat pro ratione voluntas*. Quod facillimum eſt, & ex canone Glaſſii *a*, *verbum*, *quod actionem ſeu effectum notat*, *de voluntate et voto agendi non raro intelligitur*, nec non altero *b*, *de conatu agendi aliquando ſumi*, illuſtratur. 2. *Facere ſecundum voluntatem* quoque ſeſe ad vanam & imaginariam regis opinionem referri patitur; ut *facere* ſit opinari, ac haberi velle, acſi omnia, quæ velit, efficiat; poteſtatem illam ſibi arrogare, ac jactare; adeoque ſibi, aliisque, impudenter dicere, quod Deus vere: *conſilium meum ſtabit*,

a Gr. S. l. III. tr. 3. can. 7. *b* Ibid. can. 8.

bit, et omnem meam voluntatem factam a: fere, ut de Aſſyrio habetur Jeſ. x. 13. *virtute manus meæ feci, et per ſapientiam meam eſt, quod prudenter egerim;* & Magnates Samariæ Am. VI: 13. *an non noſtra virtute ſumſimus cornua?* Quo *fere* ſenſu rex Septentrionis *manum immittere* dicitur in terras Dan. XI: 43. ſcilicet *in inceſſibus ſuis*, ut in fine additur, adeoque, fortunæ & potentiæ ſuæ nixum, ſe omnium terrarum illarum dominum exiſtimare, jactare & gerere: uti ſuo loco explanabo. Quod præterea ex canone Glasſii b, *verba, quae eſſe vel facere ſignificant, quandoque pro rei opinione poni*, lucis quid mutuatur. 3. Denique *effectum* quoque ſecundum propriam phraſios emphaſin non excludo, modo reſtricte capiatur, & relate ad certum terminum ac tempus; quam reſtrictionem propheta mox addit ipſe, ubi dicit, *et proſpere aget, donec conſummata ſit indignatio.* Nihil itaque in hac phraſi eſt, quod ab Antiocho eſt alienum; uti nonnulli putarunt: cuncta in ipſum contra aptiſſime conveniunt. Voluntatem enim & lubitum executus eſt in Aegyptios ac Judæos ad certum terminum usque: uti ex ſuperioribus notum eſt. De ſuperbia præterea regis, & vaniſſima potentiæ ſuæ præſumtione, ac jactantia, nemini quoque non conſtat. De quo in Diſſ. c ad Danielem jam dixi. Cum vero *ſecundum voluntatem facere* ſit Dei proprium, id ipſum Antiocho tribuitur 2 Macc. IX: 12. ἰσόθεα φρονεῖν ὑπερηφάνως *paria Deo ſuperbe ſentire;* ſicut de Tyrio habetur Ezech. XXVIII: 2. *elatum eſt cor tuum, dicisque, Deus ſum, et cor tuum poſuiſti ut cor Dei*, & de Babylonio Jeſ. XIV: 13, 14. *Tu vero dixeras animo tuo: conſcendam coelos, ſuper ſtellas Dei Omnipotentis efferam ſolium meum, et ſedebo in monte conventus, ad latera Aquilonis, adſcendam ſuper celſa nubis, adſimilabor Altiſſimo.* Quod mox quoque clarius de Antiocho effertur. Denique ipſum nullam vitæ morumque regulam fixam habuiſſe, ſed pro *lubitu*, honeſti nequidem ac de-

cori

a Jeſ. XLVI: 10. b Ibid. can. 18. c Diſſ. VI. § 5.

cori ratione habita, egiſſe, inprimis ſub vitæ finem, de quo hic præcipue agitur, ex ſupra [a] dictis manifeſtum eſt. Locum hic ſolum dabo verbis Livii [b], in rem egregiis: *adeoque nulli fortunæ* (rectius *formæ*, vel *firmiter*, ut Gronovius emendavit) *adhærebat animus, per omnia genera vitæ errans, uti nec ſibi, nec aliis, quinam homo eſſet, ſatis conſtaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere: munificentia inæquali ſeſe alioſque ludificari: quibusdam honoratis magnoque æſtimantibus ſe puerilia, ut escæ aut luſus, munera dare; alios nihil exſpectantes ditare. Itaque neſcire, quid ſibi vellet, quibusdam videri; quidam ludere eum ſimpliciter, quidam haud dubie inſanire dicebant.* Quid eſt, *ſecundum lubitum facere*, ſi hoc non eſt? Quam illud, ut obiter moneam, exacte reſpondet *verſui* 39.? de quo poſtea. Juſti vero & æqui quantopere migraverit limites, libidini unice litans, ex facinoribus in Aegyptios ac Judæos notius eſt, quam ut verbo ſit opus.

§. CLXXXII. *Secundum* inſolentis ſuperbiæ ſpecimen, paulo ſpecialius, & ſuperiore majus, in verum & ſummum Deum, ejusque cultum, commiſſum, ita ſonat: *& ſuperefferet ſe ac implicabit contra omne Dei, & contra Deum potentum loquetur mirabilia, & proſperabit, usque quo finiatur indignatio; quia definitum factum eſt.* Improbum ſuperbiæ regis commiſſum eſt, *ſeſe efferre & implicare contra univerſitatem Dei, & contra Deum potentum loqui mirabilia.* Quod c. VIII: 10. dicitur *elevare & implicare ſe contra exercitum coelorum, & contra principem exercitus*, & verſ. 26. *corde ſeſe intorquere, & contra principem principum ſtare:* nec non c. VII: 8. *ore magnifice loqui*, verſ. 25. *verba loqui in partem Altiſſimi, & ſanctos altisſimorum adfligere.* Quæ cum prorſus ſimilia ſint, & alibi [c] luce ſatis donata, ſupra quoque ad verſ. 22 fin., 28, 30-35. illuminata; non eſt, quod hic moras nectam. Superba, improba & violenta,

 cum

[a] § 88. [b] l. XLI: c. 20.
[c] Diſſ. VI. ad Dan. § 11 &c.

cum dicta, tum facta in verum Deum Iſraelis, ejusque populum, & Templum, & urbem, & cultum, ſatis nota, hic in lucem proferri, facile patet. Tantum phraſis, על כל -- אל *contra omnem Deum* verti ſolita, noſtram meretur curam. Locutio mihi tam inſolens, neſcio an & aliis, videtur, ut, ſi alia ratione, ac ſolet, expediri non poſſet, vocem אל ex ſequentibus irrepſiſſe ſtatuerim; nec ſine omni ratione, cum quod ſuperflua cenſeri poſſit, tum quod verſ. ſeq. quoque non habeatur, ſed ſimpliciter, *ſeſe efferet* על כל *ſupra & contra omnia.* Gr. Interpres, qui vertit, ἐπὶ πάντα θεὸν, καὶ λαλήσει ὑπέρογκα *adverſus omnem Deum, & loquetur inſolentia*, in eandem lectionem trahi poſſet, ſi reſtituatur, ἐπὶ πάντα, καὶ ἐπὶ θεὸν λαλήσει: quod rectius fluit, & Hebræ textui magis conſentaneum eſt. Sed lubricæ, & nimis forte temerariæ, criſi non inſiſto; aliamque viam aperiam, lectioni receptæ congruam, qua vel אל non pro *Deo*, ſed *divino*, aut δυνάμει *potentia* coeleſti ſumitur, vel *omne* aut *univerſum Dei* redditur. Ferri enim plane nequit *ſupra* vel contra *omnem Deum*, quia inſolens eſt phraſis, nec ſenſum fundit tolerabilem; ne dicam, mox verſ. ſeq. כל אלוה *omnem Deum*, phraſi meliore, occurrere, adeoque noſtrum כל אל plane fore ſuperfluum. Vox אל, abſolute poſita, & de Deo uſurpata, nusquam niſi *verum* Deum ſignat, falſum Numen ſi exprimat, epitheton, vel נכר *peregrinum*, vel aliud, ſemper additur; in quo differt ab אלוה, cujus latior uſus eſt, ut mox notabo. Occurrit quidem אלים in plurali pro δυνάσταις *potentibus*, ſed non אל in ſingulari; pro *Deo falſo;* aut ſic *dicto*, reperitur: non ignoro, Ezech. XXXI: 11. אל גוים, ſed *potentia* gentium intelligitur. *Tradam eum*, dicit Deus, ביד אל גוים *in manum potentiæ gentium*, pro באל יד *in potentiam manus gentium;* uti phraſis uſitata [a] אל יד *potentia manus* edocet. Aurifaber quidem aurum & argentum legitur *facere* אל *Deum*, Jeſ. XLVI: 6. ſed אל ibi verum ſuum uſum,

[a] Gen. XXXI: 29. Deut. XXVIII: 32. Prov. III: 27. Neh. V. 5.

uſum, quo *verum Deum* ſignat, retinet, & vanitas idololatriæ proſtituitur, qua de auro formari cenſebatur verum *Numen*. Cum itaque אל abſolute nusquam ſic *dictum* aut *falſum* Deum ſignificet; cui phraſis כל אל pro *omni Deo* non videbitur abſona? cui nulla proſtat, nec poteſt, ſimilis.

§. CLXXXIII. Quid itaque? voces vertendæ ex mea opinione ſunt, vel contra *omnem potentiam*, *δύναμιν*, vel contra *omne* aut *univerſitatem Dei*. Prius nec a poteſtate, nec ab uſu vocis אל abhorret, ſive ſit ab אול, radice Arabibus ſervata, *primus fuit*, præceſſit; unde jam אולם Hebræorum derivavit Cl. Rhenferdius *a*, & אל pro Deo, nec non אלים pro *principibus* Hillerus *b*; ſive ab אלה pro אלי, אלו *adſtrinxit*, *conſtrinxit*, in ſpecie *vinculo jurisjurandi:* unde אל pro Deo, ut ſit θεὸς ὅρκιος *Deus jurisjurandi præſes & ſancitor*, derivavit Cl. Schultens *c*; nimis reſtricte; potius quia Deus eſt *potentiſſimus:* ſicut אל *δύναμιν*. *potentiam* exprimit, & איל *arietem*, אלים *potentes* ac principes, etiam *ductores*, qui præcedunt. Secundum quam ſignificationem כל אל recte *omnem potentiam*, ſeu poteſtatem ac *ſuperioritatem*, denotaret, & hic in ſpecie ad *Angelos*, *potentias* coelorum, etiam *exercitus Dei* dictos, referri deberet. Quod ex c. VIII: 10., ubi Antiochus ſub emblemate *cornu* ſeſe *efferre* dicitur *usque ad exercitum coelorum*, nec non Jeſ. XIV: 13. ubi Babylonius *adſcendere* dicitur *ſupra ſtellas Dei*, כוכבי־אל, haud parum confirmatur. Quando recte ſubjungitur, & contra אל אלים *Deum potentium*, ſeu Angelorum & principum: ut verti & intelligi debet; de quo mox. Sed tueri ſeſe quoque poteſt *univerſitas Dei*, ſive idem *exercitus coelorum*, ſive omne *divinum*, quicquid peculiarem ad Deum habet relationem, & populus, & Templum, & cultus, alias *foedus ſanctum* dictum, intelligatur. Vocem ſubſt. eſſe כל, & proprie *conſummationem*, vel compli-

a Oper. p. 798. *b* Onom. p. 538.
c ad Prov. III: 35.

complicationem, *a* כלל *plicare*, *complicare*, unde reliqui uſus fluxerunt, dein *univerſitatem* complicatam ac conſummatam, denotare, & inde adjective pro *omni* uſurpari, verbo dixiſſe ſuffecerit. Retinet vero *univerſitatis* ſignificatum haud infrequenter, etiam ſimili, ac noſtra, conſtructione; uti 2 Sam. XVII: 3. הכל האיש *univerſitas viri iſtius*, ſeu univerſus Davidis comitatus, Abſolomum requiſiturus, Davide ſublato; qui quum redierit, totus Iſrael ſeſe Abſolomo ſubjiceret, & quiete frueretur. Hic enim ſenſus eſt verborum, minus recte perceptus: *& reducam univerſum populum ad Te: cum redierit univerſitas viri iſtius, quem Tu quæris; totus populus erit pax.* Sic Eccleſ. XII: 13. *obſervare præcepta Dei* eſt כל האדם *univerſum hominis;* ejus *conſummatio* ac univerſa felicitas.

§. CLXXXIV. Præterea אלים, in epitheto אל אלים *Dei potentum*, non ſunt Dii, nec ab אל nomine Dei, ut putatur, ſed vel *primi*, vel *fortes* & potentes, ſive angeli ſive homines; a rad. אול, quare paſſim cum י ſcribitur אילים, etiam cum ו אולי 2 Reg. XXIV: 15. ubi marginalis lectio male repoſuit אילי, nec non איל in regimine אֵיל pro *ariete*, & אילים *arietes*. Radix vero אול proprie ſignat *appactum*, *& craſſitie concretum*, uti notavit Cl. Schultens *a*, unde inter alia ad *divitias*, *fortitudinem & praeeminentiam*, tranſiit, ut modo in אל notavi. Præeminentes itaque, primi, fortes & potentes hac voce ſignificantur, ut ex variis locis *b*, in quibus occurrit, apparet. Deus ergo אל אלים adpellatur, relate ad Angelos, & primos ac potentes hominum; ſicut שר־שרים *princeps principum* Dan. VIII: 25. quatenus ſupremus eſt, primus ac potentiſſimus omnium, qui ipſi ſunt ſubjecti, & ab ipſo dependent. Contra hunc Deum ſeſe *dictis* & factis extulit Antiochus, ac *implicuit*, bellum cum ipſo gerens, ſicut θεομαχεῖν *cum Deo pugnare* dicitur 2 Macc. VII: 19., de quo alibi *c* ſatis egi, in ſpecie

a ad Prov. XIV: 24. *b* Ex. XV: 15. 2 Reg. XXIV: 16. Ez. XVI: 13. Pſ. XXIX: 1. LXXXIX: 7. & alibi. *c* Diſſ. ad Dan. l. c.

cie locutus נפלאות *ardua et portentoſa*, ab ordinario curſu, & natura ipſa, *abſciſſa & ſeparata.* Quam radicis פלא & פלה poteſtatem, in *ſciſſione & abſciſſione* ſitam, indeque miraculoſi, & prodigioſi, ortam ſignificationem, exhibet Cl. Schultens.[a]. Sed in malum quoque, ut hic, ſumitur pro *portentoſo*, ſeu dicto, ſeu facto, plane extraordinario, & naturæ hominis, legibusque naturalibus, adverſo, adeoque *ſuperbo*, *blaspbemo*, & *injurioſo.* Cujus ſeſe improbum, inſanumque, regem Epiphanem, vel *Epimanem*, reum feciſſe, ex dictis ſatis conſtat. Sic & נפלאות *portentoſe* legitur *corrupturus & proſperaturus*, ac *facturus* c. VIII: 24.

§. CLXXXV. Quod ipſum & hic occurrit, addito termino *quousque*, his verbis, *& proſperabit usque quo finita ſit indignatio, quia definitum factum eſt.* Trahit aliquid de ambiguo phraſis, כלה זעם *conſummata eſt indignatio æſtuans*, quæ de ira Dei cum in populum ſuum finita, tum in Antiochum accenſa & effundenda, intelligi poteſt. *Dei*, & non *Antiochi*, iram ſignificari, manifeſtum eſt, cum quod abſolute occurrat, tum quod *terminus* proſperitatis Antiochi, contra Deum & populum ejus ſævientis, in *irae* conſummatione ponatur, non itaque *irae* Antiochi, quæ nonniſi cum Judæorum exſtirpatione deſæviiſſet, nec *proſperitati* ejus finem dici poteſt adtuliſſe contra ejus voluntatem, ſed *ipſius Dei*, tum denique quod adflictio Epiphanica tempus *irae* Dei adpelletur, & in hoc libro [b], & alibi [c]. Antea quidem Antiocho *ira aeſtuans in foedus ſanctum* fuerat adtributa, verſ. 30.; ſed nunc ei *indignatio* Dei, contra quem ſe implicuerat, opponitur, tanquam *cauſa*, vel quare ſucceſſerat ipſi indignabundus æſtus, vel quare proſperitati ejus obex poneretur. Ambiguum enim, ut dixi, eſt, num Dei ira in populum ſuum, an in Antiochum deſcribatur? poteſt enim utroque modo capi. *Ira*

a ad Prov. XXX: p. 464. *b* c. VIII: 19. *c* Jeſ. XXVI: 20. LIV: 8.

Dei in Judæos ſi adtendatur, verbum *conſummari* idem erit ac finiri, evaneſcere, ceſſare, quem uſum habet כלה, teri ſolitum, ex. gr., in *fumo* evaneſcente *a*, & *nube b*, opereque etiam abſoluto, ac finito, uti conſtat, etiam in *ira* ad ſtatutum finem usque puniente *c*. Senſus tum erit, Antiocho impia facinora feliciter ſucceſſura, quamdiu ira Dei in populum ſuum exarſerit, ſed, illo tempore finito, longe aliter ceſſura, in regis ipſius quoque perniciem. Quem ſenſum commendant 1. ſimilia *Jeſaiae* de hoc ipſo tempore vaticinia. cap. XXVI: 20. *Vade, popule mi! intra in penetralia tua, & claude oſtia tua poſt te, latita paululum ad momentum, donec transeat excandeſcentia.* c. LIV. 8. *Pauxillo irae exundantis abſcondi faciem meam momento abs te:* ad quæ loca videatur Cl. Commentator. 2. Quod vox זעם de *ſeveritate* Dei erga populum ſuum paſſim adhiberi ſoleat in Scriptura; uti Cl. Viri, Coccejus *d* & Vitringa *e*, obſervarunt. 3. Quod ratio hic videatur dari *proſperitatis* Antiochi, non niſi a *ſeveritate* illa Dei repetenda; quæ hic negligi non poterat. 4. Quod ipſa hiſtoria hujus *irae* Deï, tanquam cauſæ, meminerit. Notabilia ſunt verba Mattathiæ, a morte proximi, ad Filios *f*: *nunc firmata eſt ſuperbia, et exploratio* (ἐλεγμός) *et tempus ſubverſionis,* καὶ ὀργὴ θυμοῦ *et ira excandeſcentiae.* Ipſe autor 1 Macc. VI: 64. *et fuit ira magna ſuper Iſraelem valde.* Ita & unus ſeptem martyrum 2 Macc. VII: 38. *in me et fratribus meis* precor *ut conſiſtat* & deſinat *omnipotentis ira, in totum noſtrum genus accenſa.*

§. CLXXXVI. Videamus de *altero* quoque ſenſu, qui iram Dei in Antiochum decretoriam ac mox effundendam comprehendit, hunc in modum: *proſperabit ad conſummatam iram usque*, id eſt, donec ira Dei decretoria ſeſe in Antiochum ſit exertura, ipſumque mala morte perditura. Solet enim כלה ſententiam ac *poenam decretoriam* adferre, ut

a Pſ. XXXVII: 20. *b* Job. VII: 9. *c* Ez. V: 13. VI: 12. *d* in Lex. *e* ad Jeſ. X: 25. *f* 1 Macc. II: 49.

ut Cl. Schultens alibi *a* adfirmavit. Sic, ut unum alterumve locum excitem, Prov. xxii. 8. *Qui ſeminat iniquitatem, metet vanitatem; & virga in eum deſævitura* יכלה *decretoria erit*, 1 Sam. xxv: 17. כלתה *conſummatum eſt malum apud Dominum noſtrum;* planiſſime decretum & mox infligendum. & alibi *b*. *Ira conſummata* itaque erit, quæ plenam adtigit menſuram, & firmiter ac irrevocabiliter mente fixa ſedet, e veſtigio effundenda. Sic θυμὸς dicitur λαβεῖν τέλος cum executioni mandatur, apud Joſephum *c*. Cui ſententiæ robur addunt verba ſequentia, quia *deciſum eſt, factum eſt*, ſeu *deciſio facta eſt;* ſententia ſevera & deſtructoria lata eſt, mox & certo executioni mandanda. Solet enim hæc phraſis de ſevera judicis ſententia in malum ſumi, ut clariſſima loca *d* evincunt, & a Doctis *e* jam eſt obſervatum: quare nihil addo. Convenit autem huic ſignificatui rectius *conſummatio irae* Dei in Antiochum, ut oratio hac ratione digeratur: *proſperè aget usque ad conſummatam iram Dei in ipſum;* eſt enim *deciſio facta*, ſententia a Deo judice de ipſo puniendo certiſſime lata, quæ implebitur definito illo tempore. Quo etiam ulterius facit, quod כלה & נחרצה eo ſenſu ſubinde conjungi ſoleant, ut in locis citatis. Difficile eſt, uter ſenſus hic præferendus ſit, judicium ferre. Forte rectius *utrumque* conjunxerimus, &, prophetam ſtudio hanc ambiguitatem fuiſſe ſectatum, dixerimus, ut utriusque injiceretur cogitatio. Quod a ſtilo verbi Prophetici non abhorret; nec deſunt exempla locorum de *ambiguo* quid trahentium, quorum plurima in lucem protraxit Cl. Schultens *f*. Quibus hoc noſtrum merito addimus; eo magis, quod utrumque illud, ira Dei in Judæos *finita*, ac in Antiochum definitiva ſententia decreta, & re ipſa & tempore cohæreat. Vertit enim ira

a ad Prov. xxii: 8. *b* Jeſ. x: 13. xxviii: 22. Eſth. vii: 7. *c* in vita § 70. p. 36. *d* 1 Reg. xx: 40. Jeſ. x: 22: 23. xxviii: 22. Dan. ix: 27. *e* Vitringa ad Jeſ. x. & Schultens ad Prov. xxi: 5. p. 251. *f* Diſſ. de *ambiguis*.

Dei a Judæis, poſt poenam ab iis ſumtam, & probationem ac purgationem factam, per Antiochum, in Antiochum, ſuperbum, blasphemum & improbum perſecutorem, & eodem fere tempore, quo iram ſuam a Judæis avertit Deus, in Antiochum eam effudit, ſententiamque decretoriam ad exitium tulit, ac executus eſt. Incepit periodus *irae* Dei in Judæos foedifragos, hypocritas vel tepidos, cum *jugi ſacro ablato*, ann. ær. Seleuc. 145., & *triennio* ac *ſex menſibus* poſt finita eſt a. ær. Sel. 148. 1 Macc. IV: 52. qui *termini* diſerte conſignati exſtant Dan. VIII: 14. XII: 11. De quo in Diſſ. ad Dan. disputavi. A quo tempore *proſperitas* ejus penitus ceſſavit, & brevi poſt miſerabile ſuum fatum, ſceleribus dignum, invenit an. ær. Seleuc. 149. 1 Macc. VI: 16. cum manifeſtiſſimis iræ Divinæ, ipſi incumbentis, indiciis, quæ & ipſe agnovit *a*, & gentiles quoque Scriptores non latuerunt. Templo Dianæ violato, *inſania* eum fuisſe *correptum ob quædam ſigna atque oſtenta, quæ ob violatam religionem Templi ab infenſo Numine edita erant*, tradit Polybius *b*, in eo tantum errans, quod facinori in Dianæ Templum id acceptum retulerit, quod a Deo Israelis, & ob religionem ejus violenter, & tyrannice, violatam & oppreſſam, ipſi evenit; ut recte Joſephus *c* obſervavit. Sit itaque verborum pleniſſimus ſenſus, *& proſperabit, donec ira Dei in Judæos finita, & decretoria ſententia in Antiochum lata fuerit; deciſum enim factum eſt, & ſtabit.* In quo nihil eſt, quod quem offendat, nihil, quod verbis generalibus, & rei ipſi ac ſcopo, non adprime ſit conſentaneum. Robur præterea addit locus Jeſ. X: 25. eadem ambiguitate laborans, & utrumque comprehendens, his verbis, *nam adhuc parum puſillum, & conſummabitur indignatio mea, & ira mea ſuper abolitione eorum*, ſeu *ad eam.* Senſus eſt, iram Dei & ceſſaturam ſuper Juda, & exarſuram in hoſtes abolendos.

§. CLXXXVII.

a 1 Macc. VI: 12, 13. *b* Excerpt. Valeſ. p. 145. *c* Ant. l. XII: c. 9.

§. CLXXXVII. *Tertium* ſuperbiæ & lubidinis Antiochi, tanquam unicæ actionum & inſtitutorum normæ, *ſpecimen*, ex quo, impetum ejus in Deum & religionem Judæorum aliam non habuiſſe originem, ſimul pateſcit, in eo collocatur, quod nec propria religionis cura aut ſtudio ſit adficiendus, nec aliter cum aliis regni ſui, aliarumve gentium, Diis, quam cum Deo Iſraelis, acturus ſit, verſ. 37. *Et ad Deos Patrum ſuorum mentis aciem non admovebit: nec ad deſiderium mulierum, aut ullum Deum adplicabit, quia contra omnes ſeſe implicabit.* Quæ verba eo, quo dixi, tendunt, partim ut regem, nulla divini aut humani juris ratione habita, omnia pro *lubitu* eſſe acturum, ut in principio verſ. 36. dictum erat, eluceſceret uberius, partim ut ratio, quæ ipſum contra Judæorum religionem concitavit, non a ſtudio religionis patriæ propagandæ, aut odio ſpeciali in Judæorum Deum, ut prætendebat, & videri poterat, ſed a libidine ejus repetenda, in lucem ederetur, quia cura religionis patriæ ipſum parum tangeret, & eodem modo in alia etiam Numina graſſaretur. Quem ſcopum & conſpectum verborum ſi adtendiſſent Interpretes, nec illi, qui Antiochum hic depingi nobiſcum tenent, adeo hæſiſſent in iis ad eum adplicandis, nec alii hinc argumentum contra hypotheſin eam petiiſſent; acſi verba in Antiochum non quadrarent, cum laudi potius, quam vitio, ei verti debuiſſet, quod falſa Gentium Numina ſpreviſſet. Crimen enim in eo ponendum eſt, quod Antiochus, idolorum cultor profeſſus, eorum nullam habuerit rationem, eoque profanum omni parte, ac pro arbitrio agentem, animum patefecerit, ſimul ſe longe alio ex principio, ac religionis patriæ ſtudio, Judæorum religionem hoſtiliter impetiiſſe; ſuperbiæ ſcilicet & avaritiæ ut litaret. Quod omnino in rem erat luci expoſuiſſe, cum ut regis improba adfectio magis explicaretur, tum ut prava præjudicia, quæ ex hoc impetu in Deum Iſraelis Gentilibus ſuboriri poſſent, hac parte prævenirentur vel

tollerentur. Adflictionem Epiphanicam Gentibus creaturam præjudicia contra veritatem religionis Judaicæ Jeſ. xxv: 7. jam prædictum fuit, *& absorbe it in monte hoc ſpeciem operimenti operientis omnes populos, & velamen impoſitum omnibus gentibus*; uti expoſuit Cl. Commentator. Contemtui & opprobrio fuiſſe expoſitam Eccleſiam Judaicam, ex hiſtoria quoque conſtat. Ipſe quoque Antiochus laudari ſolet a Gentilibus, quod religionem hanc deſtructum iverit. *Odium* Judæorum *in univerſas gentes deteſtatus Antiochus*, inquiunt conſiliarii regis Antiochi, non Eupatoris, ſed Pii aut Sidetis, apud Diodorum Sic. [a], *ut leges abolerentur operam dedit.* Sic & Tacitus [b]. *Poſtquam Macedones præpotuere, rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt.* Quod præjudicium fortius fuiſſet, ſi eo ſcopo rem adgresſus fuiſſet; ſed vim ac robur perdit, ſi longe aliud incitaſſe ipſum, & ſimilia in alia Numina patraſſe, pateſcat. Quod Propheta noſtro loco claram in lucem protraxit, & eventus comprobavit.

§. CLXXXVIII. Ratio denique non erat prætermittenda, quare hæc verba non præmiſerit, ſed ſubjunxerit commiſſis ejus in Judaicam religionem Propheta, ut ſignificaret, profanum hunc ejus animum, antea occultatum, & religionis ſpecie velatum, denudandum, & apertius, larva detracta, manifeſtandum eſſe, poſtquam ſe violatæ religionis Judaicæ reum peregiſſet. Quod ſicut hiſtoriæ exacte convenit, ita, ad animum revocatum, ſcrupulum, quem hæc verba cum hiſtoria comparata injicere poſſent, & ad quem quis facile obhæreſceret, in verbis ad Antiochum adplicandis, eximet penitus. Cum enim *in duabus magnis honeſtisque rebus vere regius* ejus *animus* fuerit, verbis utor Livii [c], *in urbium donis, ac Deorum cultu ... magnificentia*

[a] Eclog. Libr. xxxiv. [b] Hiſt. l. v. c. 8. [c] lib. xli. c. 20. ex Polybio apud Athen. l. v. p. 194.

nificentiæ vero in Deos vel Jovis Olympii Templum Athenis, unum in terris incboatum pro magnitudine Dei, poteſt teſtis eſſe, ſed & Delon aris inſignibus, ſtatuarumque copia exornavit, cum hiſtoria vix conciliari poſſe videtur, & putatur, quod ad *Deos patrum* negatur *animum adpliciturus*. Cui difficultati partim rectus verborum intellectus, mox dandus, occurrit, partim nervos plane incidit obſervatio, modo memorata, de improbo ejus animo, antea ementita ſpecie obducto, nunc poſt impetum in ſacra Judæorum clarius patefacto; cujus hic meminit Propheta. Fuerit itaque Antiochus, inſignis fallendi artifex, ut ſupra ſuo loco vidimus, in Deorum cultu ſplendidus; non tamen faciet, ut Prophetici ſermonis colores ab ipſo alieni exiſtimentur; quia circa vitæ finem, vel poſt infeſtationes Judæorum jam inceptas, larvam depoſuit, &, Numinum venerationem nullo ſecum loco eſſe, clariſſime demonſtravit. De quo Propheta, in omnibus accuratiſſimus, per ipſum narrationis ordinem nos admonuit, & hiſtoria teſtatur. Quod nunc explicatius tradam.

§. CLXXXIX. Duo, reſpectu Numinum Gentilium, ab ipſo minus curatorum, tradit Propheta, probe diſtinguenda, quæ male permiſceri ſolent, alterum ad Deos patrios, alterum ad reliqua regni Syro-Macedonici Numina, pertinens. Quorum *prius* eorum *neglectum* ſimpliciter habet, *poſterius* violentam præterea eorum oppugnationem. Ultima enim verba, *quia implicabit ſe contra omnes*, ad *deſiderium mulierum*, & *omnem Deum*, reſtringenda ſunt. Ipſa quoque oratio ſic concinnata eſt, ut *patriorum Deorum* neglectus per ſe capi debeat ſeorſim, & *deſiderium mulierum* cum *omni Deo* conſtruatur. *Prius* itaque ita habet, *et ad Deos Patrum non adplicabit animum.* Haberet itaque Deos ſuos, a Patribus ad ipſum devolutos, quos profiteretur, & externo quoque cultu proſequeretur; quod hic clare innuitur: quibus quoque palam non renunciaret; quod hic non dicitur. Foret ergo maneretque profesſus idololatra,

latra, falſorum Numinum cultor, a veri Dei Iſraelis cultu omni parte alienus: attamen *iis ſeſe non adplicaret*, tanquam eorum verus fautor & patronus, aciem mentis ad eos admovendo, de quo verbi בין ſignificatu ſupra *a* dixi; quatenus 1. eorum rationem in vita & moribus dirigendis habebit nullam, actiones quippe, non ad religionis, ſed beneplaciti normam compoſiturus; ut in principio verſ. præcedentis, ſeu generali propoſitione, habetur, *et agit ſecundum arbitrium rex iſte:* de quo ſupra dixi. 2. Eorum gratia, ex animo cultum eorum propagandi, Judæorum religionem non invaderet, & deſtruere conaretur. Quo propheta in primis hoc verſu tendit, ut modo notavi. Voluit quidem, ut Græcorum ad religionem totus ſuus orbis ſeſe unice conformaret *b*, ſimulacro quoque Jovis Olympii in Templo Hieroſolymitano erecto *c*; ſed hic purus erat prætextus, ſola occaſio Judæos ſubigendi, ac remp. eorum deſtruendi; vera ratio erat ſuperbia, & dominandi libido, & avaritia regis: uti ſupra *d* demonſtravi. Antiochum, ut illud unum hic repetam, *pecuniis indigentem transgresſum foedera Judæorum, et ſpoliaſſe Templum, auro argentoque plenum*, Hiſtoricos Gentiles teſtari, adſerit Joſephus *e*, nominatis quoque ſcriptoribus. De Templis *plurimis* ab ipſo ſpoliatis quoque teſtimonium perhibet Polybius *f*. 3. Quanti *patrios* fecerit Deos, vel ex eo conſtat, quod quævis Numina, etiam peregrina, ſine discrimine muneribus ditaverit, & publica in pompa celebraverit, non ad religionem teſtificandam, verum magnificentiam & profuſionem oſtentandam. Cujus illuſtre ſpecimen in ludis, ad Daphnen ab ipſo exhibitis, memoriæ prodidit Polybius *g*, qui, regis ſcopum unice fuiſſe, addit, ut Aemilium Paulum, qui in Macedonia ludos ediderat, *largitionibus operumque magnitudine antecelleret*. His vero

a verſ. 30. *b* 1 Macc. 1: 41, 43. *c* Ib. verſ. 54. 2 Macc. VI: 2. *d* ad verſ. 24, 28, 30. *e* contra Ap. l. II. p. 475. *f* apud Athen. l. V. p. 195. *g* apud Athen. l. V. p. 194.

vero in ſpectaculis, quod huc in primis facit, πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, προσέτι δὲ ἡρώων, εἴδωλα διήγετο *omnium, quotquot apud homines vel creduntur vel dicuntur eſſe Dii aut dæmones, atque adeo heroum ſimulacra geſtabantur.* Patrios itaque Deos eodem loco ac reliquos alios omnes habuit, adeoque *illis* ſeſe non adplicuit, ut debebat, nec eorum aliam ac omnium, ſeu *nullam*, habuit rationem, *ambitioni* & magnificentiæ jactandæ unice intentus. Id quod, *Deum in manu ſua adducere*, dicitur Job. XII: 6. Hic enim phraſios ſenſus eſt. Qui ludi cum poſt invaſiones in Aegyptum & Judæam celebrati ſint, uti notum eſt; obſervatum de Diis Patriis tunc maxime ſusque deque habitis, quod ſupra feci, clare confirmatur.

§ CXC. *Poſterius* ad patrios quidem non Deos, attamen regni Syriaci Numina ſpectans, nec neglectum tantum, ſed & infeſtationem eorum comprehendens, ita habet: *& ad deſiderium mulierum, omnemque Deum, non admovebit animum, quia contra omnes ſeſe intorquebit.* Ubi, quid rei ſit חמדת נשים *deſiderium mulierum*, inquirendum eſt ante omnia. Dici enim nequit, quantopere hic fluctuent Interpretes, & a vero deflexerint; ſive ἀστοργίας *barbariemque* ejus in genere taxari, ſive uxorum precibus ſe a facinoribus abſtrahi non fuiſſe paſſum, ſive conjugia contemſiſſe, velint, ſive quid aliud, ut muliebrem quoque ſexum ab eo paſſum eſſe perſecutionem. Quibus non exiſtimem immorandum eſſe. Cum enim inter *Deos* locum teneat, Numinis alicujus ſit deſcriptio, neceſſe eſt: maxime cum mox addatur, uno orationis tenore, *& contra omnem Deum*, argumento, *deſiderium mulierum* quoque Numinibus eſſe adnumerandum. Quod Oecolampadio, qui de Venere vel Luna intellexit, notante, ſed rejectante, Gejero, jam viſum fuit, & Jungmanno quoque ſuboluit; qui tamen *mulierum* ſub nomine latere voluit, nec ei inhæſit. Sed *deſiderii mulierum* epitheto Deam venire

certum mihi eſt. Phraſis enim quid ſignat, quod mulieribus maxime in deſiderio eſt & deliciis. Sic Saulus adpellatur *deſiderium Israelis a*, Meſſias, ut putatur, *deſiderium gentium b*, uxor prophetæ *deſiderium oculorum* ejus *c*, ipſa idola quoque *deſiderata* hominum *d*, & liberi *deſideria uteri e*. Daniel quoque *deliciæ f*. Sic & *adfectus* alicujus pro uxore & liberis, ſeu perſonis amatis *g*. Quod per omnes obtinet linguas, & in vulgus notum eſt. Sed quænam illa *Dea*, hoc epitheto digna? *Venus* οὐρανία *coeleſtis*, ni fallor, ab illa meretricum Dea Græcorum probe diſtinguenda, *regina coelorum* dicta Jer. VII: 18. & XLIV: 17. a foeminis, quæ illi *placentas*, igni coctas, כונים, offerebant, maxime culta; ſive Luna fuerit, ſive natura rerum patiens, omnium mater, quam Afri οὐρανίαν *Uraniam*, Phoenices ἀστροάρχην *ſtellarum principem*, *lunam eſſe adfirmantes*, adpellant, inquit Herodianus *h*: ubi ἀστάρτην legi debere recte adſtruxit P. Faber *i*, Græci nunc *Venerem*, nunc *Dianam*, adpellitant, harmoniæ, communisque amoris ac cognationis cauſa & vinculum; conceptioni ac partui, ſeu generationi opem ferens, & præſidens. Quæ Arabibus dicitur زهرة a *nitendo* & *ſplendendo*, quod Lunæ & *pulchritudini* convenit, quæ Syris adpellatur דוהרא. Cui plane Dea phoenicum עשתרות *Aſtharoth*, *Aſtarte*, in Script. S. notiſſima, convenit, a שחר vel סרר *magno lumine*, *ſumma claritate*, & *ſerenitate*; Luna & Venus: uti pluribus demonſtravit Cl. Haſæus *k*. Perſis vero vocatur Venus ناهيد *turgidas & ſororientes mammas* habens puella, quæ vocis eſt ſignificatio; cui reſpondet plane ἀναῖτις *Anaitis*, quo nomine Orientalis Venus, vel Diana, paſſim venit apud Græcos, qui, eo nomine cultam Dianam vel Venerem fuiſſe, tradunt in variis Orientis locis, ut in Lydia *l*; Ponto,

a 1 Sam. IX: 20. *b* Hag. II: 7. *c* Ezech. XXIV: 16. *d* Jeſ. XLIV: 9. *e* Hoſ. IX: 16. *f* Dan. IX: 23. *g* Vid. Caſaubon. ad Capitol. p. 76. *h* l. V. c. 6. *i* Sem. L. III: c. 1. *k* Bibl. Brem. cl. VIII. p. 674. *l* Pauſan. L. III. c. 16.

Ponto *a*, Armenia *b*, Aſſyria *c*, Perſia & Media *d*, cujus Polybius l. x. p. 833. quoque meminit, ubi Ecbatanis Templum τῆς Αἰνης memorat, modo, uti oportet, nec animadvertum reperi, legatur Ἀναίας, ut Strabo, & 2 Macc. 1. habent, & alibi. De quo Viri Doctiſſimi, Bochartus *e*, Relandus *f*, & alii conſulendi ſunt. Tradit quoque ex Beroſo Clemens Alex. *g*, Artaxerxem Mnemonem *Veneris* Ταναΐδος (rectius, ut Viri Docti jam viderunt, Ἀναΐτιδος) *imaginem primum poſuiſſe Babylone, Suſis & Ecbatanis, ſuoque exemplo Perſis, Bactris, Damaſco & Sardis eam colendam praemonſtraſſe.* Nec aliam eſſe οὐρανίην *Uraniam*, ab Arabibus impenſe, teſte Herodoto *h*, cultam, & Ἀλιλάτ *Alilat* dictam, ſive *Deam* ſimpliciter & κατ' ἐξοχὴν, ſive *noctilucam*, a ליל *nocte*, facile adparet. Uraniam Venerem primos coluiſſe Aſſyrios, & inde ad alios tranſiiſſe, tradit Pauſanias *i*. Iſis quoque eſt *Luna*, quam, teſte Plutarcho *k*, invocent πρὸς τὰ ἐρωτικὰ *ad res amatorias*, *eamque* βραβεύειν τὰ ἐρωτικὰ *iis rebus praeeſſe* Eudoxus ibi adfirmat. Nec alia eſt Ἀταργάτις *Atargatis* Hierapoli, teſte Strabone *l*, culta, *Dea Syria* vel *Aſſyria*, ex אתור Chald. *Aſſyria* & גד, aut גדא, *Dea bona*; ipſiſſima Venus: de quo videndus eſt Cl. Mil *m*. Cujus notitiam dedit Lucianus de *Dea Syria*, uti notum eſt: qui eam a Stratonica, uxore primum Seleuci Nicatoris, dein Filii ejus Antiochi Soteris, fuiſſe in Syriam translatam, & *Hierapoli* collocatam, tradit; ſive Juno, ſive alia fuerit, rectius *Venus*, quae & *Atargatis*, antiquior Dea, fuit, eadem ac Luna, quacum Venus fuit comparata cum pulchritudinis, tum fœcunditatis & generationis ergo; ut recte Cl. Mil, modo laudatus. De Venere quoque

a Strab. l. xii. p. 838. *b* Id. ib. & l. xi. p. 805. *c* Id. l. xvi. p. 1072. *d* Plut. in Artax. p. 1025. *e* Geogr. S. l. iv. c. 19. *f* Ling. Perſ. in *Anaitis*. *g* Cohort. ad Gent. p. 57. *h* l. iii. p. 162. *i* Att. l. i. c. 14. *k* de Iſ. & Oſ. p. 372. *l* l. xvi. p. 1085. *m* Diſſ. xv. de Gad & Meni.

que *Heliopoli* culta, & propria Phœnicum *Dea*, ipſa denique Phœnicia *Veneris terra* dicta, res nota eſt ex Seldeno *a*, & aliis *b*: *Dianam* quoque *Perſicam*, a Perſis maxime cultam, memorarunt Diodorus Sic. *c*, Plutarchus *d*, & alii. De quo Doctiſſimi Viri, Ez. Spanhemius *e*, & Weſſelingius *f* meus, aliique *g* conſulendi ſunt. Licet Dianam cum Venere confuſam, illamque Perſis non fuiſſe cultam, disputet Doctiſſ. Hyde *h*.

§. CXCI. Hæc Dea quare *deſiderii mulierum* epitheto inſignita ſit, non eſt in obſcuro. Sicut enim Diana Græcis εἰλειθυια *Ilithyia*, voce in Oriente nata, a ילד *pario*, *procreo*, dicta eſt, quod *partus præſes* eſſet, ut Aſſyriis Venus μύλιτlα *Mylitta*, teſte Herodoto *i*, eandem rem agens, de quo Seldenus *k* legi meretur, ab eadem origine, quæ etiam *Lucina*, ἀρήγων θηλυτιερέων *auxiliatrix fœminarum* dicta Nonno *l*; Luna quoque λοχεία & εἰλείθυια apud Plut. Symp. l. III. q. 10. Diana etiam λοχεία a *puerperio & partu*, & εὔλοχος apud Eurip. in Hippol. verſ. 167. quæ τὰς κύυσας ἐμαιεῦτο, ut dedit Lucian. t. I. p. 245. ex emendatione Valckenarii mei ad Eurip. l. c., nec non κληδοῦχος quod *feminei ſexus* habeatur *ſoſpita* & *partus adjutrix*, ut amiciſſimus Weſſelingius *m* obſervavit; addo, *clavim*, *conſuetudinem* fuiſſe, teſte Feſto de *verborum ſignificationibus*, *mulieribus donare ad ſignificandam partus facilitatem*; Venus quoque γενέτυλλις diminutive a poet. γενέτυς pro γενέσις, *Genitrix*, quia *generationi* præeſt; τῆς γενέσεως ἔφορος, ut habet Scholiaſtes Ariſtophanis *n*, ne alia ſimilia epitheta proferam: quid difficultatis habeat titulus *deſiderii mulierum*, non video? cum & concubitum & partum adminiſtret, ſive, ut cum Homero loquar, *deſiderabilia tractet opera*

a De Diis Syr. ſynt. II. *b* Vid. & Gothofr. ad vet. orb. deſcript. p. 18. *c* l. V. § 77. p. 394. *d* in Lucullo p. 507. *e* ad Call. in Dian. verſ. 37. *f* ad Diod. S. l. c. *g* Vid. & Reland. l. c. *h* Rel. Perſ. c. 3. p. 89. *i* l. I. c. 131. *k* de Dis Syr. II. 2. *l* in Dionyſ. l. XII. *m* Obſ. l. I. c. 131. *n* ad Nub. verſ. 52.

opera nuptiarum. Sic enim Jupiter Venerem adloquitur apud Homerum *a*.

> Οὔ τοι, τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήια ἔργα,
> Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.

> *Non Tibi, filia mea, commiſſa ſunt bellica.*
> *Quin Tu deſiderabilia opera obi munera nuptiarum.*

Quod ab epitheto *deſiderii mulierum* parum abeſt. Quod etiam propterea meretur, quia *fœminarum Dea*, quo epitheto utitur Macrobius *b*, θεὰς γυναικεία Græcis *c* dicta, præcipue habebatur, ab iis colebatur, ut de *regina coeli* modo ex Jeremia obſervavimus, iis quoque in deliciis erat, ad Stratonicæ petitionem Hieropolin translata, & magnifico Templo donisque ornata, ut ex Luciano diſcimus; iis denique opem ſalutemque adferre cenſebatur. Sicut itaque rex dicitur *populi deſiderium*, Meſſias quoque *gentium*, Daniel propheta *vir deſideriorum* hoc ipſo in libro: Venerem appellari *mulierum deſiderium*, nihil habet inſoliti, aut longe quæſiti *A*. Sed omittendum non erat, Venerem Uraniam

a Il. ε. verſ. 428. *b* Saturn. I. 1. c. 12. *c* Vid. Selden. de Dis Syris proleg. cap. 3.

A Luminis forte quid inſpergunt epitheta ἀδὶ, διλ[illegible]ατ, σαλαμβῶ, quibus, teſte Heſychio in vocibus, *Juno*, *veneris ſtella*, & *Venus* veniunt apud Chaldæos: quorum origines verbo pandam. ἀδὰ, ἡδονή, πηγή, rectius ἡδονῆς πηγή *voluptatis fons*, eſt a חדה proprie *fricari*, *effricari*, unde ad *nitorem*, quo ſitus & ærugo deteritur, & *hilaritatem* ac alacritatem tranſiit, a frictu titillante, de quo vid. Cl. Schultens ad Prov. XXVII: 17. Ubi addit Heſ. παρὰ Τυρίοις ζ, ἡ ἰτέα *Tyriis vero ſalix*, reponerem Σύροις *Syris*, & ad *ſalices*, tanquam ſelectiſſimas, ac formoſas arbores, *umbra* etiam hilaritatem adferentes, reſpici, ſimul ad uſum *ſalicum* in feſto Tabernaculorum apud Judæos digitum intendi, cum Bernardo, autumaverim. Secunda vox διλ[illegible]ατ *veneris ſtella*, ab אלף mihi ducenda videtur, cujus prima poteſtas eſt in *artibus jungendo*, & *copulando*, unde *adſuefactio amicitiæ*, etiam conjugalis ſocietatis, uſus

niam ab alia promiſcuæ libidinis, quæ πάνδημος adpellatur, de qua videndus eſt Ill. Ez. Spanhemius *a*, diverſam, caſto conjugio ſolitam fuiſſe honorari, eique præſidere cenſitam. Ut vel ex Luciano *b* conſtat. Quare *c* Macrobio Venus dicitur *velut juga concordi jungere matrimonia, amicitiasque componere.* Quo manifeſte pertinet נשים *mulierum* nomen, quod nec pellices nec ſcorta, ſed conjuges proprie denotat. Apud Armenios tamen, quod non abs re fuerit notaſſe, ut titulus *deſiderii mulierum* illuſtrior fiat, moris erat, teſte Strabone *d*, ut illuſtriſſimi gentis filias ſuas virgines Anaitidi Deæ conſecrarint, quæ, longo tempore apud Deam conſtupratæ, dein nuptum dabantur; nemine talis mulieris conjugium dedignante. Quod de Lydis, eandem Deam venerantibus, quoque ibidem tradit ex Herodoto *e*, qui haud diſſimilia de Babyloniis *f* narrat in honorem Deæ *Mylittæ*, ſeu Veneris Aſſyriacæ. Ex quo locus 2 Reg. XXIII: 7. *ubi conclavia cynædorum in Templo* memorantur, *&* *mulieres* texentes tentoriola לאשרה *Aſcheræ* ſeu *Aſtartæ*, lucem mutuatur, ut & Epiſtola Jeremiæ verſ. 53. Quæ, a ratione ac virtute alieniſſima, tam longe tamen, ſi originem ſpectes, a Venere *vulgivaga*

uſus fluxit apud Arab. & Hebræos: ſive ל ſit vitioſum, ſive ex Aram. ד, vocibus præfigi ſolito. Quod quam apte in Venerem, & Veneris ſtellam, quadret, ut obſervem, opus non eſt. Tertia vox σαλαμβὼ mihi eſt שלם בה *perfectio*, *conſummatio*, & *ſalus omnigena in ea*, & חפצי בה 2 Reg. XXI: 1. Jeſ. LXII: 4. *delectatio mea in ea*, &, quod propius accedit, שלוה בה *eliquatio*, eliquata *tranquillitas*, *in ea*, Prov. XVII: 1. Veneri recte convenire, nemini non patet: ſed titulo *deſiderii mulierum* prope accedere, notandum eſt. Poſſet etiam ex שלם נבו, vel שלה נבו derivari, ut ſit pax, tranquillitas, voluptas divina, vel coeleſtis; eſt enim נבו nomen *Dei* apud Babylonios, dicitque in origine *altum*, *excelſum*; ut recte notavit Cl. Simon in Onomaſt. p. 95. Foret itaque Venus οὐρανία. Aliorum cogitationes, ubique obvias, ſuo loco relinquo.

a ad Julian. Cæſ. p. 38. *b* Dialog. Meretricum p. 528. 531.
c l. c. *d* l. XI. p. 805. *e* l. I. p. 39.
f ib. p. 81.

ga abſunt, ac quod Rex Scotiæ, teſte Buchanano *a*, Evenus III., aliquando ſtatuit, *ut rex ante nuptias ſponſarum nobilium, nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam.* Quæ lex diu demum poſtea eſt abrogata, quando ſponſo *primam novæ noctem, dimidiata argenti marca, redimere* eſt conceſſum: quam *penſionem* adhuc, inquit Buchananus *b*, *marchetas mulierum vocant.* Alia exempla protulit ſimilia Cangius in Gloſſ. in *Marcheta.* Imo ad pudicitiam conſervandam ſpectabat, cum Venus, Dea invida, hac ratione cenſebatur placari, ne in poſterum noceat *c*.

§. CXCII. Sed quid, hujus Deæ peculiarem feciſſe mentionem, adtinebat? non tantum, ut opinor, quod celebratiſſimum fuerit per totum Orientem Numen, *quam cunctus Oriens Zygiam* jugalem, *veneratur*, verba ſunt Apuleji *d*, *& omnis occidens Lucinam adpellat*, ut ex dictis & aliunde *e* conſtat, ſed in primis, quod ultimum & inſigne violatæ religionis Gentilis ſpecimen dederit Antiochus in hujus Deæ *Anaitidis* Templo invadendo, paulo ante mortem: uti hiſtorici uno ore referunt, quos ſupra *f* jam produxi. *Dianæ*, vel Veneris, Templum in regione Elymaida adpellant, ſed τῆς Ναναίας *Nanææ* ædem diſerte habet 2 Macc. I: 13, 15. pro quo ἀναίας, quæ eſt ἀναῖτις, legendum eſſe, ex Strabone jam docuit Bochartus *g*. Cujus Templi etiam meminit Aelianus *h*, ſed Ἀθώνιδος eſſe dicit; cui vocem Ἀναΐτιδος quoque ſubſtituendam eſſe obſervavit H. Valeſius *i*. Quo facit, quod hujus Deæ neglectus non tantum imputetur Antiocho, verum violenta addatur oppugnatio: quam ultima verba, *quin contra omnes ſeſe intorquebit*, & implicabit, ad omnem Deum & deſiderium mulierum referenda, continent.

§. CXCIII.

a Rer. Scot. l. IV. p. 59. *b* Ib. l. VII. p. 117. *c* Vid. Autor libri, cui titulus, *origo artium, legum & ſcientiarum*, ling. Gall. t. III. l. VI. p. 332. *d* aſin. aur. l. VI. p. 651. *e* Vid. Seldenus de Dis Syr. ſynt. II. c. 2. p. 180. & cap. 4. *f* ad verſ. 24. § 120. *g* Geogr. S. l. IV. c. 19. *h* Hiſt. anim. l. XII. c. 23. *i* Emendat. l. V. c. 15.

§. CXCIII. *Deſiderio mulierum* adjungitur, tanquam objectum oppugnationis Antiochi, כל־אלוה *omnis Deus*: ſive quicunque *Dii* alii, a Diis Patrum diverſi, intelligantur, ſive *omne Divinum*, ſeu ſanctum & verendum, reddatur. Quod ex Vaticano Gr. verſionis codice, qui πᾶν θεὸν habet, confirmaretur, modo legatur πᾶν θεῖον, quo reſpexit Apoſtolus 2 Theſſ. II: 4. in πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν (θεῖον) ἢ σέβασμα: pro πάντα enim nonnulli codices habent πᾶν τὸ, quod Gr. verſioni noſtro loco recte convenit. Voces quoque θεῖον & σέβασμα, quarum poſterior eſt prioris explicatio, rectius junguntur, quam θεὸν & σέβασμα. Hebræorum autem אלוה & Gr. σέβασμα ſibi in origine quoque plane reſpondent, adeo ut ſi אלוה exprimere velis, non niſi per σέβασμα poſſis rectius. Hebr. enim nomen in origine habet *pavendi* & *ſtupendi* poteſtatem, uti Cl. Schultens [a] notavit, quæ in ילה Gen. XLVII: 13. *perculſus*, *adtonitus fuit*, ſupereſt, eodem obſervante [b], adeoque *tremendum* Numen, & *venerationem tremendam* proprie dicit, plane ut Gr. σέβας & σέβασμα, a σέβω, σέβομαι proprie *memet quatio*, *intremiſco*, a σίω *quatio*, *concutio*, uſitatius σείω, σεύω, unde σέβω; inde *religioſe colo*, *& veneror*. Qua ratione ſumas, ſive *omnem Deum*, ſive *omne Divinum* intelligas, ſenſus ſit neceſſe eſt, Deorum aliorum, religionis, iis tribui ſolitæ, rerumque iis conſecratarum, Antiochum nullam habiturum rationem, quin iis directe adverſaturum, & multiplicem facturum injuriam. Quod ſicut ad Numina gentilia, a Diis Patrum ejus diverſa, ita ad ea reſtringendum eſſe, quæ poteſtati ejus fuerunt ſubjecta, adeoque a variis populis regni ejus culta, facile perſpicitur. Nec hic ullo modo in adplicatione ad Antiochum inſtituenda hæremus, cum luculenta nobis hiſtoria exhibeat ſuperbi hujus inſtituti ejus ſpecimina, partim in Templis ſpoliandis, non enim unum aut alterum, ſed varia ab ipſo hac contumelia fuiſſe adfecta, tradit diſerte Polybius [c], ἱεροσυλήκει δὲ, inqui-

[a] ad Job. I: I. [b] ad Prov. XXVI: 18. [c] apud Athen. l. v. p. 195.

inquiens, *κ̀ τὰ πλεῖςα τῶν ἱερῶν expilavit vero plurima Templa*, partim in religione omnium Deorum, a ſua patria diverſa, per totum regnum abolenda. *Scripſit autem rex*, ait autor I Macc. I: 42., *ad omnes regni ſui homines, ut omnes in unum populum coaleſcerent, & quique omitterent τὰ νόμιμα leges & inſtituta ſua*, addita mortis poena inobedientibus; verſ. 50. Quæ mox c. III: 29. repetit, ubi narrat, quantopere gentes, etſi reſiſtere non auſæ, turbatæ fuerint, ob *νόμιμα jura & inſtituta* ſua, *ab antiquis temporibus* uſitata, *ſublata.* Quo factum eſt, ut *tributa* regis fuerint imminuta, & ipſe coactus novam inſtituere Templi Anaitidis in Elymaida ſpoliationem, quæ necem ipſi, vel mortem tragicam, peperit. Adrogavit itaque eo ipſo ſibi poteſtatem Divinam, & omnia jura divina ac humana conculcavit, de religione & ſacris pro lubitu diſponendo, & homines ad ſuam prætenſam religionem cogendo. Quod quid quæſo aliud eſt, ac flocci pendere, & impetum facere in *omnem Deum*, omne divinum, auguſtum & ſacrum? Antiocho itaque Templorum expilatori recte adplices, quod Mithridati in ſimili caſu Pauſanias *a*, *ἀνθρώπῳ ἀφορῶντι ἐς κέρδος τὰ θεῖα ὕςερα λημμάτων homini ad pecuniam reſpicienti divina facile quæſtui ſunt inferiora:* nec non quod de Gigantum pugna cum Diis habet Appollonius apud Philoſtratum *b*, eos non Deos oppugnaſſe tradens, ſed *ὑβρίσαι ἐς τὺς νεὼς ἀυτῶν κ̀ τὰ ἕδη in templa eorum & ædes ſeſe petulantur geſſiſſe.* Quod Polybio *c* quoque dicitur, *cum Diis bellum gerere.*

§. CXCIV. Improbi licet hujus animi in quævis Numina foret Antiochus; haberet tamen aliquod Numen, quod coleret, & cui fideret. Quod quale foret, quoque cultus genere illud proſequeretur; Propheta his verbis repræſentat, verſ. 38. *Et Deum arcium ſuper ſtirpe ſua honorabit, & Deum, quem ignorarunt Patres ejus, honorabit auro,*

a lib. III. c. 23. *b* vit. Apoll. l. V. c. 19. *c* l. IV. p. 454.

ro, argento, lapide pretioſo, & deſiderabilibus rebus. Quæ adeo diverſas pepererunt explicationes, alias aliis probabiliores, & vel ad Antiochum, vel Romanos, vel Antichriſtum adplicationes, ut cum eas recenſere, & ad examen revocare, nimis tædioſum fuerit, tum vix ubi pedem fixeris relinquant. Suo itaque loco iis relictis, meas cogitationes, hypotheſi ſupra jactæ de Antiocho convenienter, in medium protuliſſe ſuffecerit, ne nimia prolixitate faſtidium creem. Verſum prima vice meditanti nihil probabilius viſum eſt, quam, quod Sanctio, Docto Interpreti, ex parte in mentem quoque veniſſe poſtea intellexi, divitias & opes, numenque iis præpoſitum, titulo *Dei munimentorum* inſigniri, & inſanum Antiochi ſtudium & inſtitutum in iis, quocunque modo per fas & nefas, corradendis ac coacervandis, depingi, tanquam veram ejus religionem, & facinorum ejus improborum cauſam & originem. Quam hypotheſin phraſibus, ſcopo & nexui orationis, recte reſpondere, & in Antiochum apte quadrare, ne quis eam temere adoptatam cenſeat, quantumpote brevibus adfirmabo.

§. CXCV. *Divitias*, ut inde ordiar, Dei vel idoli ornari elogio, & inſatiabile illud habendi ſtudium *idololatriæ* nota inuri, nihil a ſtilo Scriptorum ſacrorum & exoticorum, aut more Veterum, aut re ipſa, continet alienum. Virum quum memorat Pſaltes, qui, *Deo* מעוזו *arce ſua relicto, fidit divitiis*, Pſ. LII: 9. eum divitias pro *Deo* מעזים *arcium*, ut noſtro loco, habere, manifeſte ſignificat. Job quoque, *ſe aurum poſuiſſe fiduciam ſuam, & de eximio auro dixiſſe, confidentia ſua*, negans c. XXXI: 24. aurum per inſignem proſopopoeian inducit tanquam *idolum mundi, quod omnes flexo genu ac corde adorant;* ut ibi recte Cl. Commentator, & ſequens oratio edocet. Sapientiſſimus quoque regum, arcem juſti fortiſſimam, ſeu turrim aſyli, Jehovæ nomen, & *opulentiam divitis civitatem fortiſſimam ejus*, ſecum opponens Prov. XVIII: 10, 11., eodem clare tendit,

tendit; ut & Dominus, *Deum* & *Mammona*, ſeu opes & divitias, tanquam contrarios Dominos, jungens, Matt. VI: 24. Paulus quoque avaritiam bis [a] nomine *idololatriæ* ſpeciatim inſignivit, propter ſingularem utriusque vitii convenientiam, ut Cl. Buxtorfio [b] recte eſt obſervatum, ſed a Chryſoſtomo [c] fuſius expoſitum, qui auri cuſtodiam cum *idoli* templo, & *avarum* cum idololatra eleganter comparat. Dicta aliorum autorum de divina majeſtate & potentia pecuniæ omnibus obvia ſunt, & a Doctis, Sanctio [d], Dilherro [e], P. Mol [f], aliisque jam adducta: quibus alia, ſi opus foret, addi poſſent. Unum alterumve Ariſtophanis [g] non poſſum quin adtexam dictum, in rem egregium

Ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γάρ ὑπήκοα

Pecuniæ enim omnia obediunt.

Σὺ δ', ὦ κράτιστε πλοῦτε πάντων δαιμόνων

At o Deorum Plute potentiſſime.

ad quæ loca conferendus eſt Ill. Spanhemius.

§. CXCVI. Nec a nomine ac epithetis Divinis, cultuque per aras & ſtatuas, quibus divitiarum præſides, dæmones, honorarunt, abſtinuerunt gentiles. Quemadmodum ex iis, quæ de Dea *pecunia*, Romanis culta, differuit Lud. Vives, [h] de Diis μυχίοις *penetralibus*, & κτησίοις *locupletatoribus*, theſauris conſervandis adpoſitis, eorumque ſimulacris & aris, Ill. Ez. Spanhemius [i], qui & de Jove πλουσίῳ egit [k], ne aliorum faciam mentionem, abunde conſtat. Nec tamen negligendus erat Deus eorum κερδῷος *lucrius*, & σακέλλιον *ſacculus*, & κλεπτικὴ δύναμις τοῦ θεοῦ *furax* Dei

[a] Eph. IV. 5. Col. III: 5. [b] Catalect. c. 24. [c] Hom. LIV. in Johannem, & XVIII. ad Epiſt. ad Epheſ. [d] ad h. l. [e] Diſp. Acad. t. 1. p. 774. [f] ad Long. Paſtor. p. 89. [g] Plut. v. 146, 230. [h] ad Auguſt. civ. Dei l. IV. c. 1, 24. [i] ad Julian. p. 68, 69. [k] ad Callim. p. 45.

Dei vis, cujus meminit Gregorius Naziazenus *a*, qui & eos alibi *b* dicit, Mercurio, (cujus eſt proprium *c* epitheton) *primas deferre.* Quorum Deorum *lucriorum* etiam meminit Arnobius *d*, & *Deæ pecuniæ maximi* apud Romanos *numinis. Arculus*, inquit Feſtus de verbo ſign. l. I., *putabatur etiam Deus, quia tutelam gereret arearum;* rectius *arcarum* Ipſi *Pluto* ſimulacra fuiſſe tanquam Deo erecta, teſtantur quoque Veteres, ut de Rhodiis Philoſtratus *e* his verbis, ἐφέστηκη τῇ ἀκροπόλει καὶ ὁ δαίμων ὁ Πλοῦτος *Plutus quoque Dæmon arci inſidet.* Quod ſacerdoti Jovis, de neglectu religionis, a divitiis orto, conquerenti, ſuaſit Cario apud Ariſtophanem *f*, ut Plutus collocaretur, ubi erat prius impoſitus Jupiter, in arce Athenarum, ad cuſtodiendum Palladis ærarium in munito loco, ajens,

Ἱδρυσόμεσθ' οὖν αὐτίκ'. --- ---
Τὸν πλοῦτον, οὗπερ πρότερον ἦν ἱδρυμένος
Τὸν ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς θεοῦ.

Nam Plutum eodem collocabimus,
Ubi erat prius repoſitus Jupiter,
Ut ærarium Palladis in poſtica
Parte muri cuſtodiat.

Memorat etiam Pauſanias *g* Τύχης *fortunæ templum* apud Thebanos, Deamque illam ferentem Πλοῦτον παῖδα *Plutum infantem;* ut & *h Minervam* cognominatam *Erganen*, *eique adſiſtentem Plutum.* Denique eundem habitum eſſe *Plutum*, ac *Plutonem* ſeu *Ditem*, inferorum Deum, & omnium divitiarum, quæ terra conduntur, & ex ea proveniunt, promocondum, quare Dis & Pluto pro *terra* habetur, indeque πλουτοδότην καὶ μεγαλόδωρον *opum largitorem &*

a Orat. III. p. 108. *b* or. XVI. p. 258. *c* Vid. Bergl. ad Alciphr. p. 378. *d* lib. IV. p. 102. *e* Icon. p. 853. *f* Plut. v. 1193. *g* Boeot. l. IX. p. 741. *h* ib. p. 761.

& magna donantem, a dictum, & Orpheo, a viris Doctis b ſatis eſt obſervatum. Plutum quoque *Deum* fuiſſe dictum Euripides c oſtendit. Jani Secundi, in ſua *pecuniæ regia*, verſus non poſſum quin ſubjungam, & in iis finiam.

Hæc eſt illa, cui famulatur maximus orbis,
Diva potens rerum, domitrixque pecunia fati,
Telluris magnæ Plutique ſacerrima proles.

§. CXCVII. Epitheton מעזים *munitionum*, *arcium*, etiam *confugiorum & aſylorum*, quam vocis poteſtatem & ſignificationem ſupra in lucem protraxi, huic Deo *diti* & divitiarum præſidi non tam datur, quod potentiſſimum habeatur numen, κράτιστος πάντων δαιμόνων *potentiſſimus omnium Dæmonum* Ariſtophani adpellatus, ut modo obſervavi, *auroque*, ut Ovidius d canit, *nihil* ſit *potentius*, licet illud excluſum nolim, quam quod cum *confugium* hominibus præbere cenſeatur tutiſſimum, quo ſe in omni caſu & negotio recipere, & cui ſecure fidere ſibi poſſe videntur, tum in arcibus & munitis quibusvis locis, iisque ſacris, recondi ſoleat. *Deus* itaque מעזים eſt, & qui *munimentum* præſtat, & qui *illud* tenet incluſus. Prior ſenſus ex vocis uſu, quo *confugium* ſignat, ſupra e notato, facile ſeſe offert, & ex oppoſitione Jehovæ מעז ac divitiarum, in Scriptura, Pſ. LII. Prov. XVIII. & aliis locis, huc facientibus, modo citatis, obvia confirmatur. Quo etiam vox μαμμωνᾶς *Mammona*, ממון pro אמן cum מ hecmantico, eliſa א, pro מאמן, ut מכלת pro מאכלת & alia, derivanda, omnino ducit. Significat itaque proprie *locum* & inſtrumentum *firmitatis & ſecuritatis*, ut אמונה *ſtabilitatem* Jeſ. XXXIII: 6. non ſine adluſione ad *opes & theſauros*, ſeu *Mammona*,

 nec

a Tim. p. 100. b Ez. Spanh. ad Ariſt. l. c. v. 727. J. Grævius in lect. Heſiod. c. x. Voſſ. de Idolal. l. III. c. 60. Barl. ad Luc. Tim. p. 77. c Athen. l. IV. p. 159. d Am. l. III. el. 8. e ad v. 19.

nec non Pſ. xxxvii: 3. ubi Gr. πλῦτον reddidit. Vid. etiam Prov. x: 2. & ibi Schult. nec non ib. verſ. 15. Nec multum abit ענמלך 2 Reg. xvii: 31., quem Plutum eſſe jam vidit Voſſius [a]. Denotat enim *regem opulentum*, & divite vena aliorum deſideriis ſuccurrentem. Quam vim habet ענה, proprie *fluxit*, inde *reſpondit* & ſuccurrit. *Deus munitionum*, ſeu perfugiorum, itaque adpellatur Plutus, quod cultores ejus ad eum in quibusvis caſibus, tanquam ad aſylum & averruncum Deum, ac ſoſpitatorem, confugere, eique fidere ſoleant, loco veri Dei, cujus hoc eſt proprium epitheton, ut ſit *Deus arcium*. *Poſterior* ſenſus ſicut conſuetudini populorum, theſauros & æraria publica locis munitis & ſacris includere ſolitorum, recte reſpondet, ita ex uſu vocis in hoc ipſo cap. pro arcibus *theſaurariis* haud leve pondus acquirit: de quo ſupra [b] ſatis egi. De Veterum more, theſauros in locis munitis ac ſacris adſervandi, res nota eſt, & a Doctis, ut Alexandro ab Alexandro [c], aliisque, multis teſtimoniis comprobata. Poſſet etiam vox מעז peculiari ſuo uſu, quo quicquid *rarum* & *pretioſum* eſt ſignat, unde עז pro *gloria* etiam in Script. S., ad theſauros muniliſſimos & illibatos transferri, ipſumque Perſicum *Gaza* pro theſauro conferri, uti in verbo חסן, quod *firmiſſimum* & *intactum* primo, & dein *theſaurum* firmiſſimo munimento incluſum, omnemque poſſeſſionem durabilem denotat: uti Cl. Schultens [d] obſervavit.

§. CXCVIII. Hunc Deum arcium, ſeu Plutum non ſimpliciter agnosceret, & honoraret tanquam Deum aliquem, ſed Deum tutelarem, & domus ſuæ præſidem unicum, cui ſe ſtirpemque ſuam committeret & conſecraret, & tantum fideret. Foret itaque Plutus ſtirpis ejus προστάτης, *patronus*, ἐπιστάτης dux & præſes, ἀρχηγέτης, παραστάτης *adſtator*, πάρεδρος *comes*, & *cuſtos*; & quæ alia ſunt epitheta, quibus dii regnorum, regionum, familiarum, hominumque

[a] Idol. l. II. c. 5. [b] ibid. [c] Gen. dier. l. II. c. 2.
[d] ad Prov. xv: 6.

numque ſingulorum, tanquam tutelares & patroni inſigniebantur. Quales ſtirpis Seleucidarum fuerunt in primis *Hercules* & *Apollo*, de quo mox; quorum loco Antiochus ſubſtitueret *Plutum*: quod Propheta noſter verbis, על כנו *ſuper ſtirpe ſua* honorabit, ex mea opinione ſignificat. Interpretes, qui voces reddere ſolent *ſuper baſi ſua*, *in loco ſuo*, vel ſimiliter, nec commode explicare, nec emphaſin orationis demonſtrare, nec vocis כנו ſignificatum adſtruere valent. Quod facile demonſtratu foret, ſi neceſſe eſſet. Mihi hic aqua neutiquam hæret, nec lectori meo hæſuram putem, qui vocis ſignificatum, ſupra [a] in lucem tractum, & orationis nexum adverterit. Vox ſtirpem obumbrantem, ut ſupra obſervavi, denotat, & phraſis על כנו recte *præfectum ſtirpi* exprimit. Qui præpoſitionis על *ſuper* frequens admodum uſus eſt; nemini, niſi plane in hac lingua hoſpiti, non notiſſimus: quare exempla, ex Noldio [b] quoque facile petenda, proferre ſuperſedeo. Eſt quoque voculæ על, quæ ſubſtantiva proprie eſt, genuina poteſtas in *ſuperioritate* ſita, origine ab *exſuperantia*, in qua ſedem habet radix עלה, ducta.

§. CXCIX. Addit mox prophetia *cultus genus*, ſeu *modum*, quo Deum ſuum tutelarem proſequeretur, dicens, honorabit *auro*, *argento*, *lapide pretioſo & deſiderabilibus rebus*. Quæ verba haud unum Dei Pluti continent criterium, noſtramque hypotheſin egregie corroborant & illuſtrant. 1. Quod nec ſacrificia, nec libationes, nec preces, aut ſimile cultus genus, quo Numina coli ſolebant, ſed *aurum* ſimpliciter & *argentum*, *lapideſque pretioſi*, ac quævis alia inſtrumenta vel ornamenta deſiderabilia, memorentur; manifeſto argumento, talem intelligi Deum, cui ſolæ divitiæ & opes conveniunt. Solebant enim Numina gentilium ſingula ſuo proprio modo coli: Dis Pater ſeu Plutus itaque non niſi his metallis & rebus pretioſis honorari poterat. 2. Quod non ſine ratione & emphaſi verbum

[a] ad v. 7, 20, 21. [b] de Partic. p. 547.

verbum כבד cum ב conſtruxerit, יכבד בזהב *bonorabit in auro* &c. non מזהב ut Prov. III: 9. *bonora Jebovam* מהונך *de opibus tuis* & מראשות *de primitiis omnis proventus tui ;* ut ipſum honorandi modum in opibus & divitiis coacervandis indicaret ſitum eſſe. Non itaque munera & donaria, aureæ argenteæque ſtatuæ aut ſimilia, Deo alicui conſecrata, & oblata intelliguntur, ſed ipſa opum ſtructura, cui Plutus præſidet. Quo etiam 3. mihi collineare videtur, quod verbo כבד expreſſe uſus ſit, cujus proprietas eſt in *duræ* & *compactæ rei gravitate;* unde ad opes & divitias, quæ & כבוד in Script. [a] adpellantur, tranſiit. *Honorare Deum in auro* nihil aliud itaque erit, ac eum *ditare*, multumque aurum in gravem cumulum quaſi congerere: uti mox verſ. 39. *quem agnoverit augebit* כבוד *opibus & divitiis.*

§. CC. Hactenus in plano videri poſſumus verſati, & cuncta in Plutum, divitiarum Deum, uniter conſpirare: ſed ei qua ratione congruat, quod propheta interſerit, *Deum quem non novernnt Patres ejus*, minus in facili videtur? cum Jovem πλέσιον *divitem*, Mercurium κερδῷον *lucrium*, Plutonem Πλȣτοδότην *opum largitorem*, Plutumque non ignorarint Veteres Græci, a divitiis quoque, quæ *nervos* regni faciunt, conquirendis non cenſendi ſint abſtinuiſſe Antiochi progenitores. Aliumne igitur intelligemus Deum, a *Deo arcium* diverſum? non videtur; cum mox verſ. 39. Deus peregrinus cum Deo arcium permiſceatur, & idem cultus genus, in opibus ſitum, utrique tribuatur: nec neceſſe eſt; quia ו in ולאלוה repetitioni ejuſdem Dei *arcium* inſervire poteſt, acſi haberetur; *Deum, inquam, quem non noverunt Patres ejus.* Quem repetendi & explicandi uſum hæc littera haud inſrequenter præfert, ſive per *inquam*, ſive per *nempe*, *nimirum*, vel ſimile reddatur. Quem exemplis abunde comprobavit Noldius [b]. ita,

[a] Pſ. XLIX: 17, 18. 2 Chron. XVIII: 1. XXXII: 26. Nah. II. 10. & alibi. [b] Partic. p. 291, 293.

Ita, ut unum alterumve addam, verſ. 26. *& comedentes* &c. pro *ſcilicet;* ut ibi vidimus. c. VIII: 10. *de exercitu & de ſtellis*, pro *nimirum* de ſtellis 2 Reg. VIII: 9. *munus & omne bonum Damaſci*, pro ſcilicet. Sic & *imo*, *quinimo*, verti ſæpe poteſt, ut idem Noldius adſtruxit. Novum itaque hoc Dei ipſius epitheton inſeruit, ut, eum a Patrum inſtitutis, quod ſupra dixerat, deviaſſe, demonſtraret, ſingularitatemque inſtituti magis adfirmaret.

§. CCI. Sed quo tandem ſenſu Deus ille divitiarum *Patribus* dicetur *ignotus*, vel potius non agnitus aut *cultus?* quod verbo *cognoſcere* involutum eſſe conſtat; duplici, ni fallor, ſenſu: *altero*, quod nec *Deum* habuerint majores Antiochi, quem divitiarum accumulatione in uſum proprium honorarunt, quod novum plane erat & inſolitum, nec *divitias* eo loco habuerint, ut iis toti fuerint devoti, & ad illud ſtudium omnes ſuas conformarint actiones, opumque cauſa fas & jus omne conculcarint, ne a templis Deorum abſtinendo. Cujus primum exemplum dedit Antiochus M., pater Antiochi noſtri, ſed una tantum vice & ſub finem vitæ; quod infeliciter ipſi ceſſit. *Altero* ſenſu, quod non hoc, ſed longe alia habuerint patres ejus Numina tutelaria, Deosque ſtirpi ſuæ præfectos, *Herculem* ſcilicet in primis & *Apollinem*, ut mox notabo. Non enim ſimpliciter negatur, Deum arcium Progenitoribus ejus minus fuiſſe agnitum, ſed cum aliqua reſtrictione, qua Deum *tutelarem*, ſtirpis Seleucidarum præſidem & præfectum. Quo nos voces על כנו *ſuper ſtirpe ſua*, membro præcedente, clare ducunt. *Deus* itaque, quem ignorarunt Patres, is omnino eſt, qui modo memoratus erat, Deus nimirum *arcium ſuper ſtirpe ejus*, Deus theſaurariarum arcium, ſeu divitiarum, tanquam *ſtirpis* ejus *patronus*. Quod in domo Seleucidarum plane novum erat.

§. CCII. Ceterum ubi Plutum, tanquam Deum tutelarem ſuum, domusque ſuæ, *honoraturus* dicitur *auro*, *argento* & quibuscunque rebus *pretioſis* aliis; ſenſus non ne-

ceſſario exigit, ut huic Deo Templa, ſtatuasque, erecturus ſit, & ceremoniis religioſis culturus; quorum hic nullum occurrit veſtigium: ſed, ſicut de Romanis ſuis Juvenalis *a*.

Quandoquidem inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas; etſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

ſimpliciter ſignificatur 1. eum Pluto unice fore devotum, & toto animo litaturum; quod Plato *b* dixit πλοῦτον τιμᾶν, 2. in opibus ſuam domusque tutelam collocaturum, iisque, tanquam arcibus & perfugiis, unice nixum fore. 3. In iis corradendis & coacervandis totum fore, nulla juſtitiæ, ne religionis quidem, habita ratione, adeoque cuncta ſua molimina & inſtituta ad eam directurum normam, ut adpareat, nullum Numen ſibi præ Pluto curæ cordique eſſe, ſacros etiam theſauros diripiendo, & Templa in gratiam Pluti ſui ſpoliando. 4. Hunc denique Deum ſuum publice oſtentaturum & jactaturum, opes & divitias ſuas in publicum proferendo, & ambitioſe coram omnium oculis exponendo. Quod ſicut *honorandi* verbo recte comprehenditur, ut facile patet, ita luculento ſpecimine in ludis & ſpectaculis, prope Antiochiam circa finem regni inſtitutis, quorum notitiam dedit ex Polybio Athenæus *c*, & nos ſupra meminimus, præſtitit. Celebravit enim eos incredibili pompa, & infinitis ſumtibus, eo tantum ſcopo, ut Aemilium Paullum Romanorum imperatorem, qui in Macedonia ludos ediderat, *largitionibus operumque magnitudine*, teſte Polybio, *antecelleret*. Cuncta itaque Pluto ſuo honorando, & opibus oſtentandis, inſerviebant. Quod Diodorus Siculus *d* quoque confirmat, Antiochum tradens *cunctas imperii opes in unum locum coegiſſe, & quaſi ſpectan-*

a Satyr. 1. l. 1. *b* Rep. l. VIII. p. 548. *c* l. V. p. 194. *d* Excerpt. Vaieſ. p. 318.

ſpectandas in ſcena propoſuiſſe. De quo ſupra a jam diſſerui.

§. CCIII. Hypotheſin, ex verbis phraſibusque illuſtratam, etſi hoc ſolum ei commendandæ ſufficiat, uno alterove argumento ulterius confirmaſſe, non ab re fuerit. 1. Antiocho nec Patrum Deos, nec ullum alium curæ fore, cum adſeveraſſet Propheta; hic autem *Deum munimentorum* tanquam ab ipſo honorandum in ſcenam producat; quæ ſibi contradicere videntur: vix aliud ad ea concilianda relinqui videtur, ac ut Deum ejus ad rapiendi ſtudium referamus, & de adfectu ejus in opes interpretemur, quo phraſes nos vocant. Licet enim Plutum, tanquam Numen, divitiarum præſidem, forte reſpexerit, ejus tamen tanquam Dei nullam habuit rationem, divitiis unice intentus, earumque verus cultor; adeoque, ſolum Mammona honorando, vere nullum agnovit Deum, ad nullum adplicuit animum. 2. *Unus* Deus arcium, qui arcibus quibusvis omnibus præfuit, qualis hic intelligitur, ut ex phraſi eluceſcit, cum nullus fuerit Gentilibus notus, qui plures tales agnoverunt; *arces* vero ex uſu vocis in hoc capite ſint *theſaurariæ* & ſacræ; de alio ac Pluto, ſeu divitiarum imaginario præſide, vix cogitare licet. 3. Totus honor in *auro* & *argento*, ſimilibusque pretioſis, poſitus, ad Plutum, ſeu opum coacervationem, nos manu quaſi ducit, ut modo b expoſui. 4. Sequens verſus, & in voce מבצרי addita, & in peregrino agendi modo, quem de Deo ſuo aliis *ditandis* tenuit Antiochus, haud leve pondus, ut mox exponam, addit. 5. Accedit, hunc ipſiſſimum fuiſſe Antiochi characterem in opes corradendi ſtudio, easque oſtentandi ambitione, ſitum, quem & Hiſtorici notarunt, & facta ac molimina demonſtrarunt. De quo in ſuperioribus c ſatis dixi. 6. Reſpondet denique noſtra interpretatio *ultimæ* parti propoſitionis generalis verſ.

a § 116. ad verſ. 24. b § 198. c ad v. 24. 28.

verſ. 24. ſuo loco explicitæ; quam per partes a verſ. 25. ordine deduci, ſupra obſervavi.

§. CCIV. In hiſce etſi acquieſcere poſſum, aliam tamen viam, electione Lectori relicta, aperiam ad hunc verſum expediendum: ſecundum quam *prius* membrum, per modum conceſſionis, *honorem* comprehendit, quem Deo, ſtirpis Seleucidarum tutelari, deferret Antiochus; *duo* reliqua ſingularem modum, quo Deos Patrum coleret, nec ſolos, nec pure & animo probo, exhibent. Antiochum ad *Deos Patrum* non eſſe adpliciturum animum cum dixiſſet, eum, ne quis ex eo colligeret, cultui Deorum patriorum palam renunciaturum eſſe, contra mentem prophetiæ, quæ, ut ſupra notavi, tacite contrarium inſinuavit, contraque hiſtoriam; Propheta nunc aperte tradit, quales Deos agnoſceret rex, per formam conceſſionis; ſed ſimul addit, ipſam illam agnitionem talem fore, ut ipſos illos ad Deos recte adſeri poſſit eum non advertiſſe animum. *Primum* membrum habet: *& Deum arcium ſuper ſtirpe ſua honorabit*, id eſt, Deum perfugiorum, tutelarem & patronum ſtirpis & domus Seleucidarum honorabit quidem, verum eſt, & notandum, ad regis variam & ſingularem indolem cognoſcendam; cum idem ille Patrum Deos ſit neglecturus & honoraturus, prout ipſi viſum fuerit, & e re ejus futurum ſit. Quod ad ſcopum horum verborum etiam facit: eo enim tendunt, cum ut exceptioni contra ſuperiora verba, *ad Deos Patrum non adtendet*, occurreretur, tum ut varius regis animus, nec non ſuperba & temeraria ejus adfectio, qua *ſecundum placitum & lubitum* ageret, ut in principio verſ. præcedentis dictum erat, novo ſpecimine eluceſceret. Quemadmodum hominibus, ut ſupra [a] ex Livio obſervavi, cuncti enim mirati fuerunt, teſte Diodoro Siculo [b], in *uno & eodem ingenio tot virtutes ſimul ac vitia poſſe reperiri*, ſic & Diis ſeſe Proteum præſtitit; Deos patrios nunc ſusque de-

que

[a] § 176. [b] Excerpt. Valeſ. p. 321.

que habendo, nunc honorando, prout lubido ferebat. Cui ſimilem ſeſe præſtitit Epopeus Sicyoniorum rex, qui, teſte Diodoro Siculo [a], *Deos in certamen provocans, ſana arasque eorum deſtruebat:* qui tamen ipſe ἐπινίκια ἔθυε, καὶ Ἀθηνᾶς ᾠκοδόμει ναὸν *victimas ob partam victoriam immolavit, & Minervæ Templum erexit:* ut Pauſanias [b] tradit, nec non Pruſias, Bithyniæ rex referente Polybio in excerpt. p. 1468. & propterea *inſaniæ* notam ipſi inurente. Qua ratione eos ſubinde ſpreverit, ad verſ. ſuperiorem ex hiſtoria expoſui, ſed ea ipſa etiam patrios Deos ab eo inſigniter honoratos tradit. *Magnificentiæ in Deos vel Jovis Olympii Templum Athenis, unum in terris incboatum pro magnitudine Dei*, verba ſunt Livii [c], *poteſt teſtis eſſe*, (ubi *incboatum* recte ſeſe habere, oſtendit etiam Vellejus Paterculus [d], qui Antiochum *Athenis olympieum incboaſſe*, tradit,) *ſed & Delon aris inſignibus ſtatuarumque copia exornavit.* Polybius [e] vero, ex quo hæc deſumſit Livius, addit, *eum omnes, quotquot regnarunt, in urbium donis* (ἐν ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις, leg. δωρεαῖς, ut recte monuit Cl. Gronovius [f],) *cultuque ac veneratione Deorum ſuperaſſe. Id conjectare licet*, ſic pergit autor, *ex Olympii Jovis Templo, quod erat Athenis, & ex ſtatuis, quas in delubro Apollinis Delii circum aram ponendas curavit.* Præterea Apollinis Daphnæi Templum ab ipſo conditum eſſe, tradit Ammianus Marcellinus [g], quod niſi de *ornatione* ceperis, verum non eſt, cum Seleucus Nicator Templum illud exſtruxerit; uti recte advertit ad eum locum H. Valeſius.

§. CCV. Id ipſum eſt, quod Prophetia prænunciat his verbis, *& Deum Arcium ſuper ſtirpe ſua honorabit.* Deum puta, vel Deos ſtirpis Seleucidarum tutelares & præſides, titulo *Dei arcium* inſignitos, quod ſtirpi Seleucidarum *firmamentum* præberent ac tutelam; quemadmodum Deus verus eo ſenſu ſæpe *arx, turris*, ſeu munimentum populi

 adpel-

[a] Excerpt. p. 545. nov. edit. [b] Corinth. l. II. c. 6. [c] l. XLI: c. 20. [d] l. I. c. 10. [e] apud Athen. l. V. p. 194. [f] ad Liv. l. XLI. c. 20. [g] l. XXII: c. 13.

adpellari ſolet. Dii vero ſtirpis iſtius præſides præcipue fuerunt *Hercules* & *Apollo*, fortiſſimi illi, & *perfugia* tutiſſima, proprio titulo ἀλεξικάκοι *averrunci* inſigniri ſoliti, teſte Scholiaſte Ariſtophanis *a*; Hercules quoque *defenſor, pollens & invictus*, notus eſt in Inſcriptionibus apud Gruterum. Pertineatne ad eum quoque, an *Martem*, titulus Ἄζιζος, quo Deus Edeſſenorum vel Emeſenorum, teſte Juliano *b*, inſignitus eſt, neſcio? ſed nullum Deorum nomen mihi ſuccurrit, quod voci מעיזים propius reſpondeat; cum ſit ipſiſſimum עזיז, cui nomen Dei apud Arabes العزيز *Alaziz*, & idoli, العزى *Alozza* concinit. De quo videndus eſt Pocockius *c*. In primis Apollo in cenſum venit, ex quo Seleucus Nicator conceptus fingebatur a matre ejus Laudice, & in ejus ſignum *anchoram* femori impreſſam habuiſſe; uti narrat Juſtinus *d*. Quare campos Antiochiæ vicinos Apollini dicavit; qui inde *Daphnæus* cognominatur. Hinc eſt, quod Apollo ἀρχηγέτης ſtirpis ejus autor & præſes κατ' ἐξοχὴν adpelletur, uti etiam in Inſcriptione Sigea *e*, quæ pſephisma Sigeorum in honorem Antiochi exhibet, a Doctiſſ. Chishul publicata. De Hercule illud *Soteris*, & in primis *Callinici* epitheton, Seleucidis receptum, teſtatur, de quo Ill. Ez. Spanhemius *f* eſt conſulendus. Comparent quoque paſſim in Nummis Seleucidarum apud Vaillant *g* Hercules, & frequentiſſime Apollo. In cujus honorem famoſiſſimos quoque illos ludos celebravit prope Antiochiam, quorum modo mentionem injeci. Sed adſcivit quoque Jovem Olympium tutelarem & patronum domus ſuæ, Jovem illum fulguratorem & armatum, cujus imago in Nummis ejus frequenter conſpicitur, & ſimulacrum Hieroſolymis in Templo collocatum ab ipſo, uti conſtat, fuit, magnificum quoque Templum Athenis inchoatum; ut modo ex Livio & Polybio vidimus. Qui peculiari

a ad Pac. verſ. 421. *b* orat. IV. p. 150. *c* de mor. Arab. p. 90. *d* l. XV. c. 4. *e* p. 97. *f* Num. diſſ. VII. p. 413. & ad Julian. Cæſar. in notis p. 81. *g* Hiſt. regum Syriæ.

culiari titulo quoque adpellatur *Acræus* apud Livium [a], & alios, quod *arces* ei ſacræ eſſent, de quo vid. Ez. Spanhemius [b]. Jupiter quoque σωτὴρ *ſervator*, nec non νικηφόρος *nicephorus* notus eſt, unde *Soteris* cognomentum fluxit ad Seleucidas aliquos, & *Nicephori*, quo inſignitus eſt Alexandri Balæ filius Antiochus Deus Epiphanes. De quo Idem Vir Ill. videndus eſt [c].

§. CCVI. Hac ſplendida tutelarium Numinum veneratione non obſtante, eum Patrios Deos parum curaſſe, & in Deorum cultu pro arbitrio, ut ambitioni litaret, inſtituiſſe, ut manifeſtum faceret Propheta, mox ejus rei ſpecimina profert; quorum *primum* eſt in peregrinorum Numinum cultu ſitum, his verbis: *& Deum, quem non noverunt Patres ejus, honorabit*, ſcilicet qualemcunque Deum alium, Patribus ignotum; prout lubido ferebat & res ejus exigebant, ſive ut ſplendorem oſtentaret ſuum, ſive ut illorum Deorum cultoribus adularetur. Cujus rei haud unum ſupereſt in Hiſtoria documentum. Romanorum gratiam cum ambiret, quod eum feciſſe & aliunde ex moribus Romanorum adoptatis [d] conſtat, & Livius [e] diſerte tradit, Deum quoque illorum, *Jovem Capitolinum*, Patribus ejus plane ignotum, honorare inſtituit. *Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum Templum*, verba ſunt Livii [f], *non laqueatum auro tantum, ſed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit.* Præterea in ludis & ſpectaculis Daphnicis πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, πρὸς δὲ καὶ ἡρώων εἴδωλα διήγετο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δ' ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις. κ. τ. λ. *omnium, quotquot apud homines vel creduntur vel dicuntur eſſe Dii, aut dæmones, atque adeo heroum ſimulacra geſtabantur*

a l. XXXVIII: 2. b ad Callim. p. 35. c Num. Diſſ. VII. p. 413. d Vid. Polyb. apud Athen. l. v. p. 193. Diod. Sic. Ezcerpt. Valeſ. p. 306. Liv. l. XLI. c. 20. e l. XLII: c. 6. f l. XLI: c. 20.

tur, *alia inaurata*, *alia ſtolis aureis induta.* Ita Polybius apud Athenæum *a*, qui mox addit, *adjunctas fuiſſe imagines noctis*, *diei*, *terræ ac coeli*, *aurorae & meridies:* ſimul immenſam fuiſſe *aureae argentaeque ſuppellectilis vim ac multitudinem.* Quæ omnia, ſicut ex populorum Deorumque ac Templorum ſpoliis facta ſunt, ita non ad Deos illos honorandos, ſed magnificentiam oſtentandam tendebant, uti idem autor diſerte adnotavit. Ex quibus pariter eluceſcit, quam apte ſubjungat Propheta, eum honoraturum eſſe Deos illos, *auro*, *argento*, *rebusque aliis pretioſis.* Quod *ſecundum* citatur ſpecimen, ex quo, Antiochum, non obſtante cultu Deorum patriorum prætenſo, eos vere proſtituiſſe, liquere poſſit; cum univerſus ille cultus in vana & jactabunda auri argentique profuſione, ambitionis & gloriæ oſtentandæ ergo, ſitus fuerit.

§. CCVII. Utraque, quam dedi, interpretatio cum verbis & ſcopo prophetiæ, ſimul hiſtoriæ, exacte reſpondeat, adeoque quænam præferenda ſit difficulter cernatur; rectius forte fecerimus, utrique ſi locum dederimus, ſtatuendo, prophetam ambigue locutum eſſe, ut *ſpecie* quidem Deos & tutelares & peregrinos ab ipſo honorandos, quod hiſtoria tradit, ſed *re* non Deos, ſed unicum *Plutum* colendum eſſe, adeo ut opibus & corradendis & oſtentandis unice incubiturus ſit, nihilque aliud in Diis ſpecie honorandis animo habiturus, ac gloriam & divitias, quibus ſolum devotus foret, tanquam in ſcena proponere, quod vere, teſte hiſtoria, intendit, ſignificaret. Cujus *figuræ* ſermonis, de *ambiguo* trahentis, exempla in ſuperioribus quoque, ut ſuis locis obſervavi, occurrerunt. Qua ambiguitate ſublata, ſenſus huc redibit. Honorabit Antiochus & Deos tutelares domus ſuæ, & peregrinos quoscunque, ſimul Plutum, arcium theſauriarum præſidem, domui ſuæ præfectum, ignotumque illum Deum; ſed illos *ſpecie*, hunc *re*, tota ejus religione in opibus ſita, quam

&

a l. c.

& in Pluto reipſa præſtabit. Quicquid ſit, difficillimum hunc verſum nihil ab Antiocho alienum continere, quin verum ejus characterem ducere, me eviciſſe, omnemque anſam oculos ab eo avertendi præcidiſſe, opinor. Quod hic ſufficit.

§. CCVIII. Prophetiæ de Antiocho Epiphane ultima verba ſingularem plane & peregrinum repræſentant modum, quem in opibus coacervandis & diſſipandis teneret, verſ. 39. *Et faciet munitionibus arcium cum Deo peregrinitatem. Quos reſpexerit mactabit honore, eosque poteſtatem faciet habere in multis: & terram partietur pretio.* Quæ mihi ad opes peregrino modo corradendas ac dilapidandas pertinere, adeoque partim proxime præcedentia de Deo arcium ac Pluto ab ipſo honorando, partim ultimam partem generalis propoſitionis verſ. 24. *& faciet quod non fecerunt Patres ejus & majores; prædam & ſpolium & poſſeſſionem eorum diſſipabit, & contra munitiones cogitabit cogitationes*, explicare & illuſtrare videntur. Quo ſi hæc verba intuitus quis fuerit oculo, ſimul, quæ ſupra, & in primis ad verſ. 24., in medium adtuli, in memoriam revocaverit, is lucem ſibi in difficillimo hoc verſu oriri, ni fallor, ſentiet, modo verba eorumque ſenſum recte perceperit; in quo minus felices fuerunt Interpretes. *Primum* membrum, quod iis crucem in primis fixit, & varias peperit conjecturas, quibus immorari non licet, reddidi, *& faciet peregrinitatem cum Deo munitionibus arcium*, vel in eas, aut earum reſpectu. Verbum *facere*, ut verſionis rationem dem, cum voce נכר, quæ ſubſtantiva eſt, & *peregrinitatem* ſignat, conſtruo; cum quod verbum עשׂה *facere* ceteroquin nihil haberet, quocum copulari poſſit, nihilque occurreret, *quod* faceret, tum quod *facere peregrinitatem*, vel peregrinum & abſonum, facilis ſit ſtructura, & ſenſum fundat clarum: quemadmodum *opus peregrinum & alienum* reperitur Jeſ. XXVIII: 21. Significat autem vox Hebr. נכר non peregrinum ſimpliciter & inſolitum, ſed &

durum ac odioſum & deteſtabile, quod plane inſolens eſt & inauditum, uti de odioſiſſima & duriſſima calamitate uſurpatur a. Præterea objectum peregrinæ hujus actionis continent voces *munitiones arcium cum Deo*, ita ut *facere cum Deo peregrinum* ſit inſolenter tractare Deum; quod עשה cum עם conſtructum denotare ſolet: ut Gen. XL: 14. *facies mecum gratiam*, & quæ ſimilia alia ſunt. Reliquæ voces, *munitiones arcium*, vi conſtructionis ſuæ exprimunt proximum actionum ejus objectum: verti enim debent, *faciet munitionibus*, vel *in*, aut *contra* eas. Senſus itaque eſt, Antiochum peregrino admodum modo in munitiones cum Deo earum acturum eſſe. Ex quo pariter eluceſcit, *Deum* peculiarem ad *munitiones* eas habere relationem, tanquam *ſuas*, quas inſidet, tenet, & tuetur, & in quibus religioſe colitur. *munitiones* itaque *ſacræ* ſunt & religioſæ, quæ Deo alicui ſunt dicatæ, ut, quicquid in eas patretur, in Dei ipſius contumeliam cedat & injuriam. In ſpecie hic de munitionibus theſaurariis cogitandum eſſe, præter nexum, ipſa vox מבצרים, ejusque uſus, de quo ad verſ. 24. ſatis diſſerui, edocet; quæ quoque ratio eſt, quare non ſimpliciter מעזים *arces*, ſed מבצרי מעזים *munitiones theſaurariæ arcium*, occurrant, voce מבצרי ad arces theſauris dicatas, vel eas continentes, deſignandas expreſſe addita.

§. CCIX. Peculiarem meretur animadverſionem, quod vocem נכר *peregrinitatem* a verbo עשה *facere* ſejunxerit propheta, & voci אלוה *Deo* ſubjunxerit, eo, ni fallor, ſcopo, ut de Deo *peregrino* ſimul, ſimul *peregrina* regis actione cogitaremus; voce נכר & cum *Deo*, & cum *facere* conſtructa, conciſo loquendi genere uſus; acſi *bis* haberetur נכר, *aget* נכר *peregrinum cum Deo* נכר *peregrino*. Uſitata admodum phraſis, אלוה נכר *Deus peregrinus*, in Scriptura, uti conſtat, facit, ut hanc emphaſin a Propheta captatam exiſtimaverim, qua vox נכר ſeſe ad *Deum*, quocum proxime

a Job. XXXI: 3. Obadj. 12.

xime cohæret, æque ac ad עשׂה *facere* porrigit: nec deſunt exempla *unius* vocis ſeſe ad duas diverſas extendentis in oratione conciſa: quod notum eſſe reor. *Peregrinus* vero Deus, relate ad Antiochum, qualiscunque eſt alius a Diis domus ejus tutelaribus, quem Patres ejus non agnoverunt; ſive Antiocho manſerit talis, ſive ab ipſo fuerit adoptatus; qualem Propheta verſ. 38. proxime præcedente commemoraverat. Cum hoc Deo peregrino, Pluto nimirum, nunc ſuo, & quocunque alio, ipſi adhuc peregrino, ageret peregrina plane & inſolenti ratione, reſpectu arcium theſaurariarum, quibus Deus iſte præſideret, tanquam cuſtos.

§. CCX. Exponamus ſupereſt, quænam illæ Antiochi fuerint actiones in Dei peregrini arces theſaurarias, *peregrinæ* & *odioſæ*: quod ex ſuperioribus non eſt in difficili. Conſtat enim ex ſupra dictis, eum 1. Templum Dei Israelis, *ſanctuarium*, המעוז *munimentum* & *arcem* dictum, verſ. 31., polluiſſe multis modis, & ſcelerate tractaſſe; cultu ejus deſtructo, idololatricum introduxiſſe; omnesque ejus cultores vi inſtituiſſe ab eo abſtrahere, & ad idololatriam exercendam cogere. Quod omni parte *peregrinum* erat & odioſiſſimum inſtitutum, a Patribus & majoribus ejus valde alienum. 2. Theſauros ſacros & veri Dei & aliorum Numinum ſpoliaſſe; uti ſupra vidimus. Quod & ipſum erat valde inſolens, a Patrum moribus, qui Deos donis honorabant, & opes in Templis religioſe relinquebant intactas, uno Antiocho, Patre ejus, excepto, qui ſemel tamen id tantum tentavit, abhorrens. 3. Denique opes partas temere dilapidaſſe; ut ad verſ. 24. expoſui. In quo ſeſe ſingularem quoque & prorſus portentoſum præſtitit: uti in ludis & ſpectaculis Daphnicis; quorum ſupra memini. Conqueri itaque potuiſſet Plutus & de ipſo, ut de Timone apud Lucianum [a], ὕβριζεν εἰς ἐμὲ, καὶ ἐξεφόρει, καὶ εἰς πόλλα κατεμέριζε *injuria me adfecit; & in multa diviſit.*

[a] in Tim. p. 81.

§. CCXI. Profuſæ hujus liberalitatis, qua opes diſſiparet, uti verſ. 24. dictum erat, ſpecimen propheta his verbis profert, quæ ſequuntur, *quos reſpexerit mactabit honore, & poſſeſſionem habere faciet in multis*: hanc enim, & non aliam, verſionem admittunt; nec alio, ac ad liberaliſſimas largitiones, ſe referri patiuntur. Vox כבור hic, & alibi [a], uti ad verſ. præcedentem obſervavi, ut & Gr. δόξα ᾗ τιμή, opes & divitias exprimit; quod huc unice quadrat; uti ex dictis facile cernitur. Nec aliud ſibi ſequentes voces, *dominari facere in multis*, volunt, ac poſſeſſionem multarum divitiarum concedere; quemadmodum verſ. 43. *& dominabitur theſauris auri & argenti, quibusvis deſiderabilibus* &c. Quod additur, ut cum de copioſiſſima largitione, tum de perpetua bonorum conceſſorum poſſeſſione cogitaremus. Hæc vero dona & bona in quoscunque conferret Antiochus, quos vellet, notos non tantum & familiares, viros principes, ſed & ignotos antea, pro lubitu. Quod verba, *quos reſpexerit*, indicant. Radix נכר contrarios uſu ſuo præfert ſignificatus, & *cognoſcendi*, *agnoſcendi* pro ſuo, & *non agnoſcendi*, pro *peregrino* habendi, unde נכרי *peregrinus*, & נכר *peregrinitas*; qui ex una origine *pungendi* & *punctim notandi*, quæ propria eſt verbi poteſtas in τῷ ςίζειν, uti docuit Cl. Schultens [b], fluxerunt, unde per metonymam *noscere*, *cognoscere*, q. d. diſtinguere notis atque ſignis, & alio flexu *non noscere*, *non agnoscere pro ſuo*, q. d. *diſpungere*, & punctis impreſſis notare, tanquam alienum. *Agnoscendi* ſignificatum, quem in Hiph., ut hic, conſtanter retinet, nonnunquam ſpecialiter exſerit in *peregrino* hoſpitaliter & liberaliter excepto, ut obſervavit Guſſetius, qui tamen in eo minus ſolide copulam oppoſitarum ſignificationum quæſivit, cum latius ſe illud *agnoscere* porrigat, & nexus in τῷ ςίζειν ſit propior & facilior. Hanc ipſam *peregrini* hoſpitalem recep-

a Nah. II: 10. Prov. XIII: 18. Jud. XIII: 17. Gen. XIII: 2. XXXI: 1, 16. b ad Prov. XXVIII: 21.

receptionem Propheta & hic in oculis habuiſſe, & propterea verbo הכיר uſus videtur, ut de *peregrino* largiter donato, quod eſt Græcorum ξενίζεσθαι, cogitatio ſuſcitaretur. Senſus itaque erit, Antiochum 1. in opibus effundendis prodigalem fore, 2. temere & pro arbitrio erga quoscunque, prout libitum fuerit, ſeſe talem exhibiturum, 3. in ſpecie peregrinos, & antea ignotos, adeoque 4. peregrinum & inſolitum agendi modum ſervaturum, cum quod a Pluti cultore, etiam a prudente viro, adhorreat, tum quod ſua diſſiparet bona, tum denique quod a Majorum inſtitutis hac quoque parte degeneraret, etiam reges munificentia ſua alios ſuperaret.

§. CCXII. Quam vere hæc in Antiochum conveniant, propriumque ejus characterem conſtituant, ex iis, quæ ſupra *a* in medium adduxi, manifeſtum eſt. *Omnes, quotquot regnarunt, eum exſuperaſſe* ἐν ταῖς πρὸς τὰς πόλεις δωρεαῖς, *in urbium donis*, ut Livius *b* vertit, diſerte tradit Polybius *c*. Recenſet nonnullas urbes, quæ ad eum nihil pertinebant, mirabiliter ab ipſo ditatas, Livius *d*. *Megapolitanis in Arcadia murum ſe circumdaturum urbi eſt pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum e marmore facere inſtituit. Cyzici in Prytaneum, id eſt penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus eſt, veſcuntur, vaſa aurea menſæ unius poſuit. Rhodiis, ut nihil unum inſigne, ita omnis generis, ut quoque uſus eorum poſtulaverunt, dona dedit.* Addit mox; *ſpectaculorum quoque omnis generis magnificentia ſuperiores reges vicit.* Infinitos ſumtus in ludis Daphnicis fuſe deſcripſit Polybius *e*, memoravit quoque Diodorus Siculus *f*, qui, eum *tanti ſpectaculi adparatu ſuperiores principes longo intervallo ſuperaſſe*, tradit. Dedit & alia plurima. *Indicis comeſſationibus & temulentiis*, narrante Ptolemæo apud Athenæum *g*,

 cum

a ad verſ. 24. *b* l. XLI. c. 20. *c* apud Athen. l. v. p. 194. *d* l. c. *e* apud Athen, l. c. & l. x. p. 439. *f* Excerpt. Valeſ. p. 321. *g* l. x. p. 458.

cum ſe tradidiſſet, multum expendit; quod autem reſtabat pecuniæ, interdiu comeſſabundus, nonnunquam effudit, nonnunquam publica via ſtans cum proclamaſſet, ſumat, cui fortuna dederit, jactis ſparſisque aureis nummis diſceſſit. Alia exempla, ibidem & alibi *a* obvia, prætereo, illud unum adjunxiſſe contentus, eum *ſeſe aliosque munificentia*, quæ verba Livii *b* ſunt, *ludificari* ſolere *inæquali: quibusdam honoratis, magnoque æſtimantibus ſe, puerilia, ut eſcæ aut luſus, munera dare; alios nihil exſpectantes* DITARE. Quod Polybius *c*, ex quod id ſumſit Livius, quoque refert: varium & peregrinum ejus fuiſſe *in dandis muneribus ingenium, ut aliis ſimplex & facilis, aliis inſanus videretur; dedit enim nunc dorcadum talos, nonnunquam phœnico-balanos, interdum aurum, aliquando forte obvios, quos nunquam viderat, inſperatis muneribus afficiebat.*

§. CCXIII. Ultima verba, *& terram distribuet pretio*, ad liberaliſſimas remunerationes, ſicut præcedentia ad quascunque largitiones, mihi pertinere, & hunc fundere ſenſum videntur; regiones, terræque bona, pollicebitur & partietur pro dato pretio, vel præſtito qualicunque officio, ad illud compenſandum. *Terram diſtribuere* vel proprie de integris terræ portionibus, vel proverbialiter de immenſis bonis conceſſis, capi poterit. Sicut *terræ bona* polliceri proverbium eſt Græcorum, quo in genere immenſa & omnigena promittuntur bona, quaſi dicas, *quicquid terra progignit*, omnium rerum parens *d*, quod alias etiam *montes auri* polliceri dicitur. Additur במחיר *pretio*, vel *pro pretio*, ut *remuneratio* exprimeretur, ad laborem, vel aliud quid præſtitum, compenſandum. Vox enim illa in genere quæcunque in compenſationem rerum traditarum, etiam laboris præſtiti, redduntur aut accipiuntur, continet; uti conſtat. Græc. Interp., qui ἐν δώροις *in donis*, &

a apud Athen. l. v. p. 210. 1 Macc. II: 18. III: 30. *b* l. XLI. c. 20. *c* apud Athen. l. v. p. 194. *d* Vid. Eraſm. Prov. p. m. 101.

& Lat., qui *gratuito* vertit, niſi בלא מחיר *ſine pretio*, phraſi uſitata, legerint; quid ſibi velint neſcio? Gratuitæ largitiones ſuperioribus rectius videri poſſent reſpondere; ſed de *remunerationibus*, quæ largitionibus gratuitis, modo memoratis, recte adjunguntur, quominus capiantur, nihil impedit. In quo acquieſco, nec lectionem receptam ſolicito. Ceterum liberalium ejusmodi remunerationum, aut pollicitationum, Antiochi non deſunt exempla. *Tharſenſes & Mallotas*, Ciliciæ regiones, contra Antiochum rebellaſſe, narratur 2 Macc. IV: 30., *quod Anthiochidi, regis concubinæ, dono eſſent dati:* ex more ſcilicet Perſarum, & Aegyptiorum, qui terras & oppida dabant in alimenta & ſumtus amicorum, & amicarum *a*, etiam in poſſeſſionem perpetuam, 1 Macc. X. 89. Qualia exempla quoque aliqua ſuppeditat Athenæus *b*, qui & de *amico* Antiochi ſimile quid prodit *c*. *Amicorum* vero, ſeu *conſiliariorum* regis, eo nomine venire ſolitorum, ut recte adſtruxit Cl. Wetſtein ad Joh. XIX: 12., rationem hic recte haberi, phraſis, *quos agnoverit*, edocet. Mattathiæ, ut uno exemplo alio defungar, ſi ad regis placitum ſe componere vellet, promiſſum eſt, ut inter regis *amicos* admitteretur, ipſeque cum domo *honoraretur argento & auro, & muneribus multis*, 1 Macc. II: 18.

§. CCXIV. Ultimam circa pericopam, verſ. 40-45., Interpretes, qui eam ad Antiochum Epiphanem adplicant, in duas ſcinduntur partes. Alii enim, qui longe majorem numerum faciunt, ipſas illas expeditiones Antiochi, ſupra memoratas, in Aegyptum per modum repetitionis depingi, volunt, & pericopam hanc tanquam bellorum Antiochi ἀνακεφαλαίωσιν conſiderant. Sed alii, ut Ill. Grotius, in primis Jungmannus *d*, ne aliorum mentionem faciam, Porphyrii

a Vid. Briſſon. de regno Perſ. l. 1. § 150 &c. Gronov. ad Gell. Noct. Att. l 12. c. 2. P. Weſſeling ad Diod. Sic. l. 1. p. 62.
b l. 1. p. 29. 30. 33. VI. p. 261. *c* l. V. p. 195. *d* ad Dan. l. 1. ſect. 11. c. 15. p. 424.

phyrii ª veſtigia prementes, in novam aliquam expeditionem, circa finem vitæ, ſeu ann. 11*mo* regni, a ſuperioribus diverſam, oculos animosque defigunt. Quam poſteriorem hypotheſin, ſed paulo aliter adplicitam, ſi alterutra eligenda foret, tanquam longe probabiliorem prætulerim; çum *prior* ſeſe nulla commendet veri ſpecie. Quod hæ rationes facile evincunt. 1. Repetitionis nullum ſeſe in textu offert indicium, nulla eſt neceſſitas, nec ulla dari poteſt ratio; ſine qua temere & pro arbitrio, quod fas non eſt, admittitur. 2. *Tempus finis*, cui adnectitur expeditio, ſive de Antiocho, ut verſ. 45., ſive de periodo iræ Dei in Israelem, alterutrum neceſſe eſt, capiatur, in ſuperiores expeditiones, initio iræ Dei in populum, & circa medium regni ejus, ſusceptas, nullo modo convenit. 3. Judæorum hoſtilis oppugnatio hic præmittitur invaſioni Aegypti, ſed ſuperiores expeditiones ſemper excepit. 4. Præcedentes, altera ab ipſo Antiocho, cui res ex voto ſucceſſerant, altera a Romanis per legatos, finitæ ſunt: ſed ab hac cum *rumores ex oriente & ſeptentrione* abſtraxerunt. 5. Superioribus aliquandiu ſupervixit, ſed hanc exitus ejus brevi ſecutus eſt; verſ. 45. 6. Denique ipſam Hieroſolymam cum Templo antea tenuit & polluit, multisque modis vaſtavit; ſed hic *tentoria* tantum *figuntur in monte decoris ſancti inter maria.* De quo mox dicam.

§. CCXV. Altera hypotheſis, prout jacet & explicari ſolet, quæ habet, Aegyptios, Libyas & Cuſchæos, ſubactos & ſpoliatos fuiſſe ab Antiocho ſub finem vitæ, ſeſe nullo modo tueri quoque poteſt. 1. Quia apud omnes hiſtoricos, etiam Joſephum & libros Maccab., in rebus Antiochi cum Judæis & Aegyptiis enarrandis ſatis prolixos, altum de eo eſt ſilentium; unius Porphyrii teſtimonio unice nititur: cujus num tanti ſit autoritas facienda, neſcio? maxime cum ſcopo ſuo convenienter, ut librum Danielis poſt even-

ª apud Hieron. in h. l.

eventum eſſe ſcriptum demonſtraret, ejusmodi quid ex ipſa hac pericopa, alium ſenſum, ut videbatur, non ferente, elicere potuerit. Ipſe Hieronymus ei hic non fidit, quin *licentiam mentiendi* adtribuit in nonnullis, & *in ſugillationem noſtri ipſum artificioſiſſimo ſermone baec compoſuiſſe tradit*. De quo rectius judicari poſſet, ſi ipſa Porphyrii verba nobis reliquiſſet Hieronymus. Sciremus & tunc, quod nunc dubio non vacat, num ſuperiores expeditiones Antiochi & hanc non confuderit Porphyrius? Quicquid ſit, famoſior fuiſſet expeditio, ſi vera, quam ut ab hiſtoricis fuiſſet penitus prætermiſſa. 2. Res Antiochi, ex quo Aegypto excedere juſſus eſt, nimis adtente & accurate a Romanis obſervatæ ſunt, quam ut tale quid exſequi potuerit; reſpectus Romanorum major, quam ut auſus fuerit. Quod nemini non notum eſt. *Ludicro* Daphneo *peracto*, ut uno alterove teſtimonio defungar, *legatus advenit Tiberius Gracchus*, inquit Diodorus Siculus *a*, *ad inſpiciendas res Syriae miſſus*, poſt finitas expeditiones ſuperiores; qui omnia amica & pacifica de Antiocho retulit. Deinde Eumenis Pergameni & Antiochi cum ſuſpecta haberent conſilia Romani, C. Sulpitium & Manium Sergium miſerunt legatos, teſte Polybio *b*, ut *de iis accurate inquirerent, numquid bello neceſſaria pararent, ac ſocietatem adverſus Romanos junxiſſent?* 3. Opes, divitiasque Aegyptiorum, ac vicinorum populorum, ſi, quod 43 habetur, Antiochus ſub finem regni, ſecundum hanc hypotheſin, ſibi adſeruiſſet: qui quæſo verum foret, quod 1 Macc. III: 29, 30. traditur, eum tanta pecuniæ penuria laboraſſe, ut vacuos habuerit theſauros, & fana denuo opus ei fuerit diripere? 4. Nec faciles habet explicatus, regem tanta uſum proſperitate, tot populorum domitorem, ut hic habetur, *rumoribus ſolis* ex oriente & Septentrione de Armeniorum, vel & Parthorum, de quo mox, motibus, quo verſ.

a Excerp. Valeſ. p. 321. *b* Excerpt. legat. 106. p. 1299.

verſ. 44. reſpici cenſetur, adeo fuiſſe *conſternatum*, ut victoriarum curſum abrumpere debuerit; uti verbum בהל, de quo mox, indicat.

§ CCXVI. Sed ſi vel benigniore interpretatione adjuvetur hæc hypotheſis, regemque Septentrionis molitum magis, quam executum fuiſſe propoſitum hoſtile in Aegyptios, ſolosque Judæos infeſtaſſe ſtatuatur, de quo ſtatim, ne ſic quidem Antiochi Epiphanis lineæ hic cenſeri posſunt duci. 1. Quia, ex quo Judas Maccabæus cauſam populi Judæi palam & armis adgreſſus eſt vindicare, Antiochus nunquam in Judæa repræſentatur in libris Maccab. & apud Joſephum, quod tamen hic clare innuitur, ſed per duces tantum bellavit cum Chaſidæis. Nec ab ullo hiſtorico, Aegyptum denuo, poſtquam a Romanis ejectus eſt, petiiſſe, traditur; contra diſceſſus iſte cum morte, deinceps ſecuta, connectitur. *Reverſus in regnum Antiochus*, inquit Juſtinus [a], *decedit*, *relicto parvulo admodum filio*. 2. Quia hoc ipſo tempore, quo in Judæam & Aegyptum moviſſet, ſub finem regni, otio & luxui ſe dedit, genioque adeo indulſit, ut opes inſane diſſipaverit, nomenque *inſani* meruerit, ἐπιμανὴς adpellatus, & non amplius *Epiphanes*; uti ſpectaculorum & ludorum, circa hoc tempus habitorum, deſcriptio apud Athenæum, ſupra citatum, edocet. 3. Bellum, quod cum Juda Maccabæo geſſit, nimis fuit improſperum, victoriæ Judæ, ſine interruptione, nimis glorioſæ, quam ut *terram decoris*, maximam partem, *ſubjugaſſe*, ut verſ. 41. requirit, dici poſſit. 4. *Parthorum* quoque & *Armeniorum* motus, quorum meminerunt Hiſtorici, illorum Tacitus [b], horum Appianus [c], per *rumores illos ex Oriente & Septentrione* verſ. 44. vix, quod tamen hæc hypotheſis requirit, intelligi posſunt, cum quod Parthorum motus nulli fuerint, *Armeniorum* vero eum non legantur in tantum conjeciſſe *conſternationem*, nec a Judæis opprimendis abſtraxerint, ut hic habetur,

[a] L. XXXIV: 3. [b] Hiſt. l. v. c. 8. [c] Syr. p. 188.

betur, tum quod cum *exitu ejus* non cohæreant, ut hic connectuntur. Opum potius penuria, improba in ſacros Templi Elymaidis theſauros molimina, in fumum abeuntia, nuncii de rebus ſuis in Judæa dilapſis, & ſimilia ipſum conturbarunt, & morti connexa fuerunt; ut ex libris Maccab. & Joſepho conſtat. Tacitus quidem tradit, eum, *quominus teterrimam gentem*, quam notam Judææ genti inurit, *in melius mutaret*, *Parthorum bello probibitum eſſe:* ſed, quo fundamento? neſcio, cum nullus hiſtoricus ejus rei meminerit. Ubi vero addit, *nam ea tempeſtate Arſaces deſciverat*, ſuſpectam non tantum, quin falſam, reddidit narrationem, ſed & fontem erroris detexit, Antiochum *Epiphanem* & *Deum* confundendo: ſub Antiocho enim *Deo*, cujus etiam meminit Athenæus [a], & non Epiphane, prima defectionis Parthorum ab Arſace jacta eſſe fundamenta, notum eſt. De quo videndus eſt Rupertus [b]. Parthorum itaque ratio hic nulla eſt habenda. *Artaxiam* Armenium ab ipſo in ordinem eſſe redactum, Appiano adcrediderim, ſed ſub finem vitæ, cum in Perſiam tetendit, id contigiſſe, mihi nondum liquet. Dicit quidem Appianus, *κὴ αὐτὸν ἑλων ἐτελεύτησεν* & *ipſo* (Artaxia) *ſublato mortuus eſt* Antiochus: ſed latitudinem phraſis admittit, ſenſumque ſimpliciter fundit, hoc præcipuum fuiſſe præclarum facinus, quod Hiſtoricus ab ipſo patratum narrat; poſt quod defunctus eſt, citius tardius, non determinat. Quo ſenſu eum, ex Aegypto reverſum, *deceſſiſſe*, Juſtinus, ut modo vidimus, dixit. Hac ratione niſi Interpreteris, qua ratione ſecum ipſe conciliari poſſit Appianus, non video: cum poſtea alio loco [c] Artaxiæ ſubjugationem præmittat expeditioni in Aegyptum, & in genere, tempore regni ejus brevis, contigiſſe tradat. Antiochum cum narraſſet *δύο ἐ πλήρεσιν*, rectius *δώδεκα duodecim*, *non plenis*, ut ab aliis jam eſt obſervatum, regnaſſe, ſic pergit, *ἐν οἷς*

Sſſſ 2 Ἀρ-

[a] lib. XII. p. 540. [b] ad Beſold. cap. XIII. p. 224. [c] Syr. p. 212.

'Αρταξίαν 'Αρμένιον εἷλε, καὶ ἐς Αἴγυπτον ἐςρατεύσεν ἐπὶ ἕκτον Πτολεμαῖον, ὀρφανευόμενον μετὰ ἀδελφοῦ, *quo tempore Artaxiam cepit Armenium, & in Aegyptum ſuſcepit expeditionem contra Ptolemæum ſextum, patre orbum cum fratre* &c. Tantum denique abeſt, ut hoc tempore contra Armenios moverit, & eos in ordinem redegerit, ut pecuniæ inopia eum ad iter in ſuperiores regni regiones coegerit, ipſeque eas peragraverit, & in Perſidem ad Templum Dianæ vel Veneris ſpoliandum contenderit. Quæ omnia ex 1 Macc. III: 29. & VI: 1. in vulgus nota ſunt. Ex eo vero, quod partem exercitus ſecum duxerit Antiochus, colligi cum Jungmanno [a] non poſſe, eum non ad opes colligendas tantum abiiſſe, ſed & Armenios puniendos, de quo ne verbum quidem habet hiſtoricus, haud difficulter cernitur: maxime cum rex partim ad tributa exigenda, quæ recuſaverant pendere populi earum regionum, teſte eodem ſcriptore [b], partim ad ſpoliationes, data occaſione, exercendas, ut eventus comprobavit, copiis indigeret.

§. CCXVII. 5. Terribilia denique *tentoria* qua ratione *inter maria ad montem decoris ſanctitatis*, ſeu Tſionis, tetendiſſe dici poſſit; ut eſt verſ. 45., quo tempore nondum ad orientales regni partes profectus fuit, percipi plane nequit; cum hoc tempore montem Tſionis & Templum nondum occupaſſent aut purgaſſent Maccabæi: *quod poſt* iter ab Antiocho ſuſceptum demum factum eſt [c]: nec Tſionem a copiis Antiochi tunc fuiſſe obſeſſum, quod phraſis indicat, legimus. Audiendus non eſt Porphyrius, qui montem *Sabin* in Armenia vel Meſopotamia quærit, & hic intelligit, teſte Hieronymo, quo nihil eſt alienius; phraſes enim ad *montem* terræ decoris, ſeu Judææ, *ſanctum*, adeoque Tſionem, clare ducunt, nec *Sabin* montem ibi monſtrare, aut rationem dare, quare hic memoretur, quis poterit. 6. Denique deſcriptio mortis hujus regis, *& veniet ad finem ſuum, nec erit adjutor ipſi*, verſ. 45.

[a] l. c. p. 429. [b] 1 Macc. III: 29. [c] ib. c. IV.

45. de homine cogitare jubet, qui ab omnibus deſertus in violentam præcipitatur mortem: de quo mox. Quod in Antiochum Epiphanem, divina quidem plaga adfectum, attamen ſua morte defunctum, & ſuorum comitatu cinctum, non convenit.

§. CCXVIII. Quæ ſi recte diſputata ſint, oculos ab Epiphane avertamus, & ad filium ſucceſſoremque ejus Antiochum Eupatora flectamus: qui ab improbis Judæorum, de Juda, *acram*, Templo imminentem, oppugnante, conqueſtis, excitatus, & ira inflammatus, ingente & valido cum exercitu, duce Lyſia, in Judæam per Idumæam irruit, Bethſuram, munitiſſimum locum, occupavit, Judam cum ſuis in Templum compulit, & arctiſſime obſedit, adeo ut, alimentis quoque deficientibus, & pluribus dilapſis ſociis, ad incitas redactus brevi ſeſe traditurus fuiſſet Judas. Quando, ad regem nuncio de Philippo, cui Antiochus moriturus regni adminiſtrationem regisque pueri tutelam commiſerat, ſed Lyſias præripuerat, cum copiis ex Media & Perſia Antiochiam petente & occupante, regnumque ſibi rapiente, adlato, Eupator timore perculſus pacem, ſuaſu Lyſiæ, cum Juda fecit, & foedus pepigit, indeque diſceſſit. Sed Philippum licet oppreſſerit, ipſe mox, Demetrio Seleuci Philopatoris filio, qui Roma, ubi obſidem egerat, clam dilapſus, in regnum Syriæ, illud ſibi vindicaturus, appulerat, populum ſibi devinciente,, a ſuis deſertus, & cum Lyſia obtruncatus eſt. In quo domus Antiochi Epiphanis ſimul exſtincta eſt. Quam hiſtoriam, ex libris Maccab. [a], & Joſepho [b] facile repetendam, qui cum noſtra pericopa contulerit, eamque dextre fuerit interpretatus, lucem ſibi exoriri forte experietur. Ex nulla utique hypotheſi hæc pericopa rectius mihi videtur explicanda, cum quod *nota* temporis in eam apte quadret, tum quod *regis Septentrionis* expreſſa mentio ad alium ab Antiocho nos vocet, tum denique quod

 hiſto-

[a] 1 Macc. VI. & 2 Macc. XIII. [b] Ant. l. XII. c. 9.

hiſtoriæ non male reſpondeat prophetia. Quibus illuſtrandis operam impendiſſe, operæ pretium fuerit.

§. CCXIX. Quod antequam adgrediar, una alterave difficultas, ex male intellecta pericopa, & hiſtoriæ ſilentio, inprimis nata, ne quis in limine offendat, e medio tollenda eſt. Aetas enim regis, adhuc pueri, neminem credo offendet, cum regibus tribui ſoleant, quæ conſiliarii egerunt. Quod ſicut Hiſtorici ſolent, ita & a Prophetis, qui hiſtoriarum prænuncii ſunt, alienum eſſe nequit. *Ut nos, qui res geſtas componimus*, inquit Polybius [a], *ſententias, quæ in deliberationibus & conſiliis ſumendis ratæ fuerunt, adſcribere iis par eſt, qui rerum ſummæ præſunt* &c. dixerat, *veriſimile non eſſe, ejus ætatis puerum, annorum vix ſeptendecim, ſtatuere de tantis rebus poſſe;* quando ſubjungit verba citata. Verum cum & impetus hoſtilis regi Aegypti in regem Septentrionis adtribuatur, indeque hujus in illum exacerbatio repetatur, & rex Septentrionis, tanquam qui Aegyptum occuparet & ſpoliaret, in ſcena ſiſti videatur, neutrum vero hiſtoriæ Antiochi Eupatoris conveniat; hypotheſi noſtræ, quantumvis ſpecioſæ, & reliquis pericopæ partibus haud male reſpondenti, ingens inde creari præjudicium, mirum non foret. Sed bene ſeſe habet, quod ante omnia recte obſervandum eſt, nihil horum in textu noſtro occurrere. Solet quidem primum verſ. 40. membrum verti, *& in tempore finis arietabit cum ipſo*, rege Septentrionis, *rex Auſtri*, adeoque de rege Auſtri, autore belli, capi: ſed reddenda eſſe verba, *arietabit cum ipſo*, ſcilicet, *rege Auſtri*, *& inhorreſcet ſupra ipſum rex Septentrionis*, & de ſolo rege Septentrionis regem Auſtri invaſuro accipienda, mox docebo. Præterea, moliturum tantum, non exſecuturum, regem Septentrionis Aegypti invaſionem, adeoque intra conatus manſurum regis propoſitum contra regem Auſtri, prophetia haud uno indicio prodit, cum quod non dicatur *venturus* in Aegy-

[a] Lib. IV. p. 408.

Aegyptum, ut in *terram decoris* verſ. 41., ſed *manum* tantum *immiſſurus*, quatenus ſui juris ſuæque poteſtatis reputaturus ſit, verſ. 42., tum quod *dominaturus* opibus Aegypti tantum dicatur *in inceſſibus* ſuis, verſ. 43., ſeu ſuperbis & vanis ſuis præſumtionibus; tum quod *nunciis ex oriente* & *Septentrione* diſerte dicatur a moliminibus ſuis abſterrendus, verſ. 44., tum denique, quod *tentoria* in ſolo monte *decoris & ſancto* legatur fixurus, verſ. 45. nusquam alibi terrarum; non ergo in Aegypto.

§. CCXX. Verum quidem eſt, nec *moliminum* Antiochi Eupatoris contra Aegyptios mentionem facere hiſtoriam; ſed tale quid animo volviſſe, & eo quoque deſtinaſſe expeditionem, propterea infi[c]ias ire non licet. Præterquam enim, quod inſigni laboremus hiſtoriæ defectu, 1. occulta regum molimina, maxime quæ effectu caruerunt, negligi ſæpe ſolent ab hiſtoricis. 2. Conſilia contra Aegyptios tegendi, &, ne in vulgus emanarent, quam accuratiſſime cavendi, graves rationes habebat rex Septentrionis, non tantum ut Aegyptios imparatos & improviſo eo facilius ſibi ſubjiceret, ſed inprimis, ut Romanos laterent, qui omnia regis molimina obſervabant. Decreverat quoque jam Senatus R[o]manus legatos, ad regnum Syriæ ex voluntate ſua adminiſtrandum mittendos, teſte Polybio *a*; qui non niſi finita expeditione venerunt; ut mox notabo. 3. Suppeditat quoque hiſtoria nonnullas rationes, quæ Eupatorem ad Aegyptios petendos movere aptæ natæ erant, & expeditionem ſuſceptam reddunt probabiliorem. *a*. Philippus, cui Antiochus, morti proximus, regni & filii minorennis Eupatoris curam commendaverat, a Lyſia, qui Eupatorem in poteſtate habebat, & regni adminiſtrationem tenebat, excluſus, in Aegyptum ſeſe contulit ad regem Aegypti contra Lyſiam & regem minorennem excitandum; ut teſtatur 1 Macc. IX: 29. *b*. Motus quoque inteſtini, inter duos fratres Ptolemæos, *Philometoris*

a Legat 107. p. 1320.

tora & *Phyſconem*, qui jam hoc tempore ſeſe manifeſtarunt, ut ex Polybio [a] patet, Eupatori, ſeu Lyſiæ curatori regni, occaſionem dabant injuriam, regno Syriæ ſub Patre Antiocho Epiphane illatam, vindicandi; quemadmodum ſimili ratione ad expeditionem in Judæam motus fuit, uti ex 2 Macc. XIII: 9. colligi poterit. Quibus non obſtat, quod Eupator ab impiis Judæorum fuerit excitatus, & ira in Judæos accenſus expeditionem ſuſcepiſſe dicatur in Judæam; cum unius ejuſdemque expeditionis plures & diverſæ poſſint eſſe rationes, fines varii, & ad Judæos ex ira deſtruendos, & ſimul, hoc facto, Aegyptum occupandam.

§. CCXXI. Libera non tantum eſt hypotheſis a præcipua difficultate, qua premebatur, ſed habet quoque, quo ſe commendat. 1. Titulus *regis Septentrionis* expreſſe memoratus, verſ. 40., de alio, ac Antiocho Epiphane, cogitandi anſam præbet. Cum enim in prolixa de ipſo prophetia ne ſemel quidem hoc titulo veniat, ſed uno eodemque tenore de ipſo decurrat ſermo: quid quæſo rationis fuiſſet, *regem Septentrionis* expreſſe adpellandi? niſi eo ſignificatum voluerit propheta, ſe ad alium tranſire regem, ſucceſſorem ejus. 2. Phraſis, *in tempore finis*, verſ. 40., notam temporis, quo expeditio contingeret, figens, & ad Antiochi Epiphanis domum, & ad calamitatem Judæorum inde ortam ſeſe porrigens, ut ex verſ. 45, & 35, 36., nec non c. XII: 6. eluceſcit, ſicut Epiphanem oculis dimittere jubet, ut modo diſputavimus, ita in Eupatorem recte & unice quadrat. Fuit enim is ultimus ex domo Epiphanica; quo exſtincto, *ira Dei* hac parte fuit *conſummata*, ut verſ. 36. habetur; Judæorum quoque res ab eo tempore fortunatiores fuerunt & firmiores. Hieroſolymam & Templum paulo ante mortem Epiphanis receperant & ſacra inſtauraverant, hoſteſque ad deſperationem de Judæis debellandis redegerant: ab Antiochi Eupatoris oppugna-

[a] l. c. p. 1301.

pugnatione, cujus hic mentio ſit, liberati, *foedus* prima vice cum rege Septentrionis pepigerunt, & in libertatis ſtatu confirmati ſunt, Judæ quoque principatu agnito a rege & firmato *a*. Quam epocham principatus Judæ Joſephus *b* adhibuiſſe videtur, ubi domus Aſſamonæorum principatum duraſſe tradit annos 126, uti recte advertit Uſſerius *c*. Paulo poſt Judas ſub Demetrio, Nicanore & Bacchide devictis, firma adeo jecit libertatis fundamenta, ut pro *liberatore* populi fuerit celebratus, uti diſerte teſtatur Joſephus *d*, Judæi quoque Hieroſolymam ab eo tempore ſemper tenuerint, teſte 2 Macc. XV: 37. 3. Rerum malarum *nuncii*, regem perturbantes, & curſum moliminum intercipientes, ex *Oriente & Septentrione*, verſ. 44. in Epiphanem ſicut non quadrant, ut ſupra vidimus, ita characterem quaſi *Eupatoris* ducunt; cum hæc ſola cauſa fuerit conaminum ipſius in vanum exeuntium; uti ſupra narravi, & mox obſervabo. 4. Clarum etiam & certum criterium expeditionis Eupatoris eſt in *tentoriis* regis in monte Tſionis tenſis, verſ. 45., cum ipſe ſolus legatur *Templum* Hieroſolymitanum obſediſſe: de quo etiam poſtea. 5. Deſcriptio *finis* ejus, absque ut aliquis ipſi opem ferret, verſ. 45. Eupatori etiam aptiſſime reſpondet; cum is ab omnibus deſertus, & a ſuis obtruncatus ſit, haud diu poſt hanc expeditionem. 6. Quibus tandem adjungere liceat, irruptionem Eupatoris in Judæam fuiſſe celebriorem, & ejus interitum, qui domus Antiochi Epiphanis ruinam ſecum traxit, nobiliorem, quam ut prophetia, in Epiphanis facinoribus tam prolixa & accurata, earum rerum mentionem præterire debuerit; quæque præterea in hoc eventu aptisſime terminatur.

§. CCXXII. Occurrit in hac pericopa, ut ad ejus expoſitionem, hypotheſi jactæ congruam, me adcingam, κ. occultum

a 2 Macc. XIII: 24. *b* Ant. L. XIV. fin. *c* Ann. ad A. M. 3841. p. 56. & 3967. p. 436. *d* Ant. L. XII. fin. & XIII. init.

cultum & primarium regis Septentrionis conſilium, ac propoſitum Aegyptum invadendi, præparatioque ad id exſequendum neceſſaria, verſ. 40. his verbis. *Et tempore finis arietabit cum ipſo, rege Auſtri, ſeſeque inhorreſcere faciet ſuper eum rex Septentrionis cum curribus, equitibus & navibus multis.* Quæ de regis Septentrionis propoſito & præparatione, non de bello publice & actu ſuſcepto aut prælio, intelligenda eſſe vel illud arguit, quod ſequentia, quid rex iſte præſtiterit, & quousque proceſſerit, declarent. Pertritum quoque in omnibus eſt linguis, verba, quæ effectum ſignant, pro *conatu* & *molimine*, licet non perfecto, ſumi. Quod exemplis jam adſtruxit S. Glaſſius [a], poſſim & pluribus aliis, ſi res dubia eſſet. Sic נתן *dedit* ſæpe eſt *dare* propoſuit, conſtituit [b], & Gr. διδέναι *dare* [c], ut & עשׂה *facere* in *animo habuit*: quo ſenſu etiam occurrit Jon. IV: 5. Jonas enim *tuguriolum* non exſtruxit, ſed id intendit tantum, quando ſubito ſeſe oſtendit *Kikajon*, *ricinus*. Sic & Act. VII: 26. συνήλασεν *compellere* inſtituit, ſtuduit, *eos ad pacem*, nec non ἔφευγ' ἀναΐξας *cum impetu exſiliens fugit* pro fugere ſtuduit, apud Ariſtophanem [d]. Plura ex Græcis ſuppeditabunt Docti, Weſſelingius [e] meus, & Abreſch [f]. Videtur præterea eo ſcopo Propheta forma Hitph. uſus in verbis יתגנח & ישתער; quæ ſe exitare, adcingere ad quid agendum in ſpecie exprimit, ut Joſ. IX: 2. populi Cananææ, audito mirabili Joſuæ progreſſu, יתקבצו *congregarunt ſe ad pugnandum cum Joſua;* quod de *propoſito* eorum capiendum eſt, nondum enim in unum coierant, nec omnes ſimul, quod poſtea demum factum eſt, & per partes. Sic & ſupra verſ. 10. in יתגרו *ad ſe miscendum adcinget;* ſequitur enim copiarum congregatio, & iter ſuſceptum. Obſervandum præterea eſt, *primum* verſus membrum non eſſe, ut ſolet, reddendum, *arietabit cum ipſo*

rex

[a] Gr. S. l. III. tr. III. can. 8. [b] Vid. Vener. W. Koolhaas Diſſ. Gr. Sacr. II. § 4. [c] 1 Cor. IV: 57. 2 Tim. I: 9. & alibi. [d] Plut. verſ. 723. [e] ad Diod. Sic l. XIII. p. 544. [f] anim. ad Aeſchyl. l. I. c. 22.

rex Auſtri, ſed, ut feci, *cum ipſo*, *rege Auſtri*, uti recte Græcus Interpres inſtituit, vertens; *συγκερατισθήσεται μετὰ τοῦ βασιλέως τοῦ νότου cornuferiet cum rege Auſtri*; ſive ו in עמו ſit paragogicum, cum emphaſi abundans, ut ſæpe alias, ſive voces *regis Auſtri* per adpoſitionem, explicationis ergo, cenſeantur additæ, uti frequenter fit, ſicut ſupra verſ. 11. pugnabit *cum ipſo*, *cum rege Septentrionis*. Confirmat, quod relativum ו in עמו ceteroquin non habeat, rege Septentrionis poſtea demum nominato, quo referatur. Reliqua ſunt facilia. De *tempore finis* ſupra dixi. Senſus itaque eſt, regem Septentrionis, invaſionem ſubitam in Aegyptum animo volventem, ingentem facturum *curruum*, *equitum & navium* adparatum, ut *cornu* quaſi, inſtar animalis cornupetæ, *feriat*, (quod eſt נגח proprie *κόπτειν ferire*, & in ſpecie *cornu*, ut ſolent animalia cornibus prædita, uti notum) & procellæ ac ventis urentis, *horridæque tempeſtatis*, inſtar *irruat* in regem Aegypti. Quam emphaſin habet verbum שער, proprie *φρίσσειν horrere*. De quo conſuli meretur Cl. Kuypers *a*, qui ſub Magni Schultenſii auſpiciis vim uſumque bellicum hujus verbi recte enucleavit & illuſtravit. Ceterum Eupator narratur exercitum duxiſſe 100 millium peditum, & 20 millium equitum, elephantorum 32, 1 Macc. VI: 30. cui conſentit Joſephus *b*: ſed ab utroque diverſus eſt in copiarum numero autor 2 Macc. XIII., qui & aliis in hujus hiſtoriæ partibus diſſentit, uti expoſuit Cl. Capellus *c*. Quæ ad nos nunc nihil pertinent. Admitto, quod *currus falcatos* addidit, cum & hic mentio fiat expreſſa *curruum*. Naves ab Hiſtoricis prætermiſſæ ſunt, quia copias in Judæam immiſſas tantum memorant, conſiliorum regis contra Aegyptum, quibus *naves* inſerviebant, neglecta mentione. Eas autem inſigni numero ab Eupatore fuiſſe paratas, ex eo facile colligere eſt, quod Legati Romanorum, finita

 hac

a Disp. Acad. ad V. T. loca p. 64.

b Ant. l. XII. c. 9.

c Hiſt. a. M. 3837.

hac expeditione in Syriam adpulſi, *naves* regis *exuſſerint*; uti Polybius *a* tradit, & Appianus Alexandrinus *b*.

§. CCXXIII. 2. Succeſſum & eventum moliminum illorum vaſtorum Propheta *a*. *generali* quidem phraſi proponit verſ. 40. his verbis, *& veniet in terras, & inundabit & transibit*, ſcilicet hoſtiliter inſtar fluvii tumidi, terras inundantis & pervadentis, omniaque occupantis; quam metaphoram verba continent, uti ad verſ. 10 & 22. obſervavimus; ſed *β*. explicatius dein & multa cum reſtrictione exhibet; verſ. 41--44. Terras enim cunctas *auſtrales*, quæ hic intelliguntur, ne quis, generali phraſi adductus, ab ipſo actu fore occupandas opinaretur, prophetia in ſpeciali deductione *a*. ad Judæam reſtringit, verſ. 41. *b*. terras Edomitarum, Moabitarum & Ammonitarum expreſſe excipit verſ. 41. *c*. Aegyptum, terraſque vicinas, certa ſpe ac opinione quidem regem ſibi vindicaturum, ſed rumoribus ex Oriente & Septentrione fore ab iis invadendis abſterrendum, tradit, verſ. 42--44. *a*. De *Judæa* hæc in verba loquitur verſ. 41. *Et veniet in terram decoris, & multæ impactæ hærebunt*. De Judæa hic agi, *terræ decoris* epitheton, quod eſt terræ populi Dei, veræque religionis, proprium, in hoc etiam libro *c*, ut ſuis locis vidimus, obvium, extra dubium collocat. In hanc terram primum faceret impetum hoſtilem, adeo ut *multæ*, רבות, ſive regiones, ſive urbes, ſive res & divitiæ, ſint ab ipſo occupandæ, & diripiendæ, vel deſtruendæ. Vox רבות ad *terram decoris* clare reſpicit, & ejus partes ac opes ac multitudinem complectitur. Quod non eſt in obſcuro. Verbum vero נכשל cum proprie ſit *adpactus haeſit*, unde ad *ruinam* transiit, & ſubjugationem & deſolationem ambitu ſuo continet. De quo ſupra *d* dixi. Nec ſine ratione ac emphaſi repetitur verbum בא *venire*, ſeu ſupervenire & irruere. Cum enim modo fuiſſet dictum, *veniet in terras*, illud-

a Legat. 107. p. 1301. *b* Syr. p. 188. *c* c. VIII: 9. XI: 16. *d* ad v. 23, 34.

illudque ex mente prophetæ generalius eſſet, nec ſine exceptione, ſeſe ad propoſitum & præceptam ſpem ac confidentiam *intrandi* quoque extendens; ut ex ſequentibus patet; repetitur, ubi de *terra decoris* agitur, illud *venire*, ut eam actu & cum effectu eſſe intrandam indicaretur: acſi diceret, *veniet in terras, & inundabit; utique in terram decoris veniet & inundabit.* Ceterum *multa* iſtius terræ fuiſſe occupata & vaſtata, ex hiſtoricis, ſupra citatis, teſtatiſſimum eſt. Tota enim terra cum ingentibus copiis peragrata, & Bethſura, munitiſſima arce in confiniis Idumææ & Judææ, ad deditionem redacta, Hieroſolymam, quæ ſola reſtabat, perrexit, *Templumque* oppugnavit; ut mox ad verſ. 45., exponam.

§. CCXXIV. *b.* Vicinas terras ubi expreſſe excipit, verſ. 41. *Et hae eripientur e manu ejus, Edom & Moab, & primitiæ filiorum Ammon*, populos illos hoc quoque tempore, ut fere ſemper, fuiſſe Judæis inimicos & infeſtos, nec non cum rege feciſſe, & in Judæam quoque irruiſſe, eamque ob rationem ab hoſtilibus illis copiis nihil paſſuros eſſe mali, haud obſcure innuit. Quod hiſtoriæ accurate convenit. Antiocho enim Epiphane in Perſidem profecto, gentes illæ, Eſavitæ, Ammonitæ & Galaaditæ, undiquaque in Judæos inſurrexerunt, paulo ante mortem Epiphanis, adeoque haud diu ante hanc Eupatoris expeditionem; cum quibus grave, ſed auſpicatiſſimum, bellum geſſerunt Maccabæi; ut 1 Macc. v. fuſe refertur. Hos itaque populos mirum non eſt intactos reliquiſſe Eupatorem, partim quia amici erant regis, & Judæorum acerrimi hoſtes, partim ut Judæis ægre faceret, hoſtes eorum complectendo, ſeſeque Judæos unice petere manifeſtum redderet. Nec legimus aliquem impetum eos ab Eupatore hoc tempore ſubiiſſe. Quod ad implementum abunde ſufficit. In phraſibus nihil eſt obſcuri, ab Interpretibus non expeditum. *Primitias* Ammonitarum, ſicut alibi a *Amaleki-*

a Num. XXIV: 21.

l:kitarum memorantur, forte ideo adpellavit, quod bellicoſiſſimi & fortiſſimi hoc tempore eſſent. Utique χεῖρα κραταιὰν ϗ λαὸν πολῦν *robuſtam manum & multum populum* iis expreſſe præ reliquis adtribuit. 1 Macc. v: 6.

§. CCXXV. *c.* Reliquas terras, Aegyptum ſcilicet ipſam, Cuſchæam & Libyam, actu quidem non intrabit, ut Judæam, attamen eas partim ſui juris eſſe, & ſuæ poteſtati ſubjectas, reputabit, ſibique vindicabit, partim eas ſibi adſerere tanta cum fiducia & præſumtione adgredietur, ac ſi jam reapſe poſſideret, & opum earum omnium Dominus eſſet. Quo hæc autumaverim verba tendere, verſ. 42, 43. *Et manum immittet in terras, nec evadet Aegyptus. Et dominabitur theſauris auri & argenti, omnibusque deſiderabilibus, Aegypti & Libyae & Cuſchaeae, in inceſſibus ſuis.* Ubi ante omnia notandum eſt, regem Septentrionis non dici *intraturum*, ſed *manum injecturum*, nec abſolute & actu poſſeſſurum terrarum illarum divitias, verum *in ſuis* tantum *inceſſibus*, ſeu vanis præſumtionibus, & ſuperbis cogitationibus. Phraſis *immittere manum* etſi pro ſpoliatione ac deprædatione, actu præſtita, uſurpatur; juris tamen in rem adrogationem, ejusque vindicationem quoque exprimit, adeo ut quis eam rem, in quam *manum* dicitur *immittere*, conſideret ut ſuam, ejusque ſe jactet Dominum & poſſeſſorem. Sicut *immiſſio manus* pro quibusvis facultatibus, quas quis vel habet, vel ſuas eſſe reputat, *de quibus* pro arbitrio diſponere poſſit tanquam ſuis: ut loca *a*, infra citata, docent. Præterea rei vindicationem adgredi & ſuscipere quoque involvit, ſucceſſus ſequatur, nec ne, perinde eſt: ut Obadj. 13. Ezr. VI: 12. Sed ne dubius maneret ſenſus, Propheta mox explicationis ergo adjungit, *& dominabitur* opibus terrarum illarum במצעדיו *in ſuis inceſſibus*. Hæc enim vox cum משל *dominari* omnino eſt conſtruenda; ſecus ac Interpretibus viſum, qui cum *Libyis* & *Cuſchaeis* conjungunt; nullo ſenſu, nec ulla cum empha-

a Deut. XII: 7. XV: 10. XXXVIII: 8, 20.

emphaſi. *Libyes* enim & *Cuſchaei*, ſeu Africani & Arabes, qua ratione *in ejus inceſſibus* futuri dicantur, explicari nequit, cum quod phraſis pro pediſſequis aut bello captis, quo inclinant Interpretes, magis pro *transitu* regis per illas terras, quod Porphyrio & Jungmanno placet, ſit inſolens, tum quod, quid huc faciat, non adpareat, tum denique, quod gentes illæ Aegyptiis ſoleant adſociari. Sic, ex. gr. cum Seſako, rege Aegypti, intrarunt regnum Judæ ſub Rehabeamo; 2 Chron. XII: 3. & alibi conjunguntur *a*. Accentuum itaque diſtinctione miſſa, Libyas & Cuſchæos cum Aegyptiis jungamus, eorumque opibus ſe dominaturum eſſe jactaſſe Antiochum Eupatora ſtatuamus, vocem *inceſſus* cum *dominari* conſtruentes. In quo nihil eſt inſoliti, cum & alibi vox a verbo, quocum cohæret, ſejungatur, nonnullis vocibus interpoſitis, ut ſupra adfirmavi *b*. *Dominari* vero *in inceſſibus ſuis*, elegante phraſi, denotat fortunæ & potentiæ ſuæ nixum ſe omnium rerum Dominum gerere & jactare; omnia ſibi per vanam & ſuperbam præſumtionem vindicare. Radix צעד proprie in *magnifico*, ſuperbo, grandiore, etiam *molli* & *delicato*, greſſu & inceſſu teritur, uti a Cl. Schultens *c*, & aliis *d*, demonſtratum eſt. Hinc tritisſima eſt in ſtylo Orientali figura *greſſuum* ad vitæ ſtatum ſignandum, & *greſſuum amplorum* pro *fortunis ampliſſimis*; adeo ut homo *grandiens* ſit, qui in ſumma potentia & fortuna, non ſine faſtu & reſupina ſecuritate, magnifice incedit; uti expoſuit Cl. Schultens *e*. Sunt quoque *inceſſus* illi grandiores & ſuperbi vanæ præſumtiones, & jactabunda conſilia, quibus quis ſe oſtentat, & quævis magnifica ac fortunata ſibi promittit: quod Prov. XVIII: 11. egregie dicitur במשכית *in imaginatione: ubi opulentia divitis* dicitur *tanquam murus celſiſſimus in ejus imaginatione*. Quo etiam fere ſenſu הליכות Nah.

II:

a Nah. III: 9. *b* ad v. 20. 23, 34, 39. *c* ad Job. XVIII: 14. *d* Cl. Schroeder ad Jeſ. III: 8. Rev. Hackman ad Gen. XLIX: 22. *e* ad Job. XVIII: 7.

11: 6. & πορείαι *inceſſus* Jac. 1: 11. occurrunt, pro *imaginationibus cordis*, ſive *conſiliis*, ut recte Pricæus, *in quibus, tanquam in via, dives ambulat.* Exemplum ſi velimus hominis *in ſuis illis inceſſibus dominantis*, oculos flectamus in Aſſyrium, quem Jeſaias in hæc jactabunda verba ſiſtit loquentem c. x: 8--10. *an non principes mei pariter ſunt reges? an non ut Carchemis Calno? nonne ut Arpad Chamat? an non ut Damascus, Samaria? quemadmodum prehendit manus mea regna illa Nihili, quorum idola præſtantiora ſunt idolis Hieroſolymæ & Samariæ: an non, ſicut feci Samariæ & vanitatibus ejus, ſic facere licebit Hieroſolymæ & idolis ejus?* Poſſem plura alia hominum, ſibi rerum & moliminum ſuorum ſucceſſus ſuperba præſumtione, & improba confidentia, promittentium, ſed qui turpiter proſtituti ſunt, proferre exempla, ſi opus foret. Senſus itaque eſt, Eupatora potentiæ ſuæ, fortunæque, nixum, opumque Aegyptiorum, Libyorum & Cuſchæorum, avidum, ſeſe earum præ vana præſumtione ante exiſtimaturum dominum, quam in poteſtate habuerit; eorumque in numero futurum, qui, ut Polybius eos alibi a deſcribit & perſtringit, *de futuro ceu de re jam facta deliberant, & ſpem quaſi certam præcipiunt eorum, quæ ſecus evenire poſſunt.* Reliqua ſunt facilia, ſeu noſtra non indigent opera: nec de Aegyptiis, Libyis ac Cuſchæis hic locus eſt diſſerendi, nec opus eſt.

§. CCXXVI. 1. Succeſſum expeditionis Antiochi Eupatoris, partim verum in Judæos, partim imaginarium, in præſumtione ſitum, in Aegyptios populosque vicinos, cum in lucem protuliſſet Propheta, mox aptiſſime omnium moliminum, & exſpectationum ejus disturbationem, regisque perturbationem per malarum rerum nuncios, ſubjungit his verbis, verſ. 44. *Et nuncii ex Oriente & Septentrione terrore ipſum præcipitem agent.* Quorum ſenſus, nemini non obvius, eſt; regem, qui Judæos fere ſubju-

a Hiſt. l. 11. p. 129.

ſubjugaverat, Hieroſolymam ſeu Templum mox expugnaturus, Aegyptios & alios opinione ſua jam tenebat, & opum illorum poſſeſſione animum lactabat, ſubito per nuncios de motibus in regno ſuo exortis adeo eſſe perterrefaciendum, ut, omnibus moliminibus miſſis, ſeſe præcipitanter in regnum ſuum recepturus ſit: fere ut Aſſyrio, Hizkiam oppugnanti, & omnia proſpera ſibi pollicenti, contigit, ſecundum vaticinium Jeſ. XXXVII: 7. *ecce indam ei ſpiritum*, ſcilicet metus & terroris, *cum audiverit rumorem*, *& revertetur in terram ſuam*, *& faciam*, *cadat gladio in terra ſua*, quod ultimum Eupatori quoque evenit, uti ad verſ. 45. videbimus. Verbum נבהל & *præcipitari*, *feſtinare*, & *conſternari*, *mente emoveri*, uſu ſatis vulgato continet, a primigenia *quatiendi* poteſtate, quæ in בלה ineſt, unde נ. בהל partim *præcipitem feſtinare*, quod eſt *quati*, *excuti*, partim, ad animum translatum, *conſternari*, dicit, ſeu mente excuti. De quo adeundus eſt Cl. Schultens [a]. Vox שמועה non *rumorem* ſimpliciter & *famam*, ſed rei geſtæ certam relationem, ſeu *nuncium* ſæpe denotat, ut pluribus adſtruxit Cl. Guſſetius [b]. Cum vero regem terrore repleret, & præcipitem ageret; *malus* ſit nuncius, de quo hic agitur, adparet. Cujus autem rei foret nuncius, non niſi ex hiſtoria cognoſci poteſt: quæ nos hic minime deſtituit. Eupator cum Hieroſolymitanum Templum, quod obſidebat, & ſolum de tota Judæa reſtabat, mox in poteſtatem redegiſſet, Judæis, & paucis numero, & fame preſſis, ad incitas redactis; nuncius, ecce! de Philippo cum copiis ex Media & Perſia Antiochiam, metropolin regni Syriaci, tendente, eamque tenente, ad regem defertur, quo conſternatus pacem e veſtigio cum Juda Maccabæo fecit, & præcipiti curſu Antiochiam contra Philippum ſeſe movit. Quo omnia ejus molimina in vanum ceciderunt, omnes ejus ſpes evanuerunt. Hiſtorici,

[a] ad Prov. XX: 21. & inprimis XXVIII: 22. [b] de Verit. rel. Chriſt. p. 171. & Lex.

ſupra citati, qui hæc retulerunt, haud diſſimilibus phraſibus utuntur. Utique rex ad hunc nuncium cum Lyſia duce συνεχύθη *confuſus* eſt, dicit autor 2 Macc. XIII: 23. καὶ ἀπῆρε κατὰ σπουδὴν, καὶ ἀπέστρεψεν εἰς Ἀντιόχειαν *& feſtinanter inde digreſſus Antiochiam repetiit*, inquit autor 1 Macc. VI: 63. Quam accurate quoque Propheta locutus ſit, *nuncium ex Oriente & Septentrione* memorans, hiſtoria pariter teſtatur: quæ Philippum *ex Perſide* & *Media*, ut eſt 1 Macc. VI: 5. vel *Perſia* ſecundum Joſephum [a], ubi copias collegerat, tetendiſſe *Antiochiam*, tradit, ut rerum adminiſtrationem ſibi adſereret: imo *Antiochiam* ipſam jam occupaſſe; ut eſt 1 Macc. VI: 63. 2 Macc. XIII: 23. μετέλαβεν ἀπονενοῆσθαι τὸν Φίλιππον ἐν Ἀντιοχείᾳ, *intellexit Philippum deſciviſſe Antiochiæ*, inquit autor. Perſiam vero ad ortum, & Antiochiam ad Septentrionem eſſe Judææ, ubi tunc degebat Eupator, regnum quoque Syriæ adpellari *Septentrionale* in hoc cap., conſtat. *Septentrionem* itaque adpellando, in ipſo Syriæ regno quid ſiniſtri, quod regem perculit, accidiſſe, regemque in Judæa fuiſſe, haud obſcure indicat.

§. CCXXVII. ר. Repræſentat denique prophetia Regis, domusque regiæ Antiochi Epiphanis, pleniſſimum excidium, quod expeditionem proxime exciperet, una cum ipſius expeditionis ſummaria repetitione, per elegantem dictorum & accuratiorem recapitulationem, ad modum concluſionis, verſ. 44, 45. *Et egredietur magna cum excandeſcentia ad delendum & devovendum multos; & plantabit tentoria tincturæ ſuæ rubræ inter maria ad montem decoris ſanctitatis; & veniet ad finem ſuum, nec erit ei adjutor.* Quæ partim res, ante nuncios illos ad regem delatos ab ipſo geſtas, partim funeſtum ejus exitum, qui poſtea contigit, comprehendunt. Ultima itaque verba, *& veniet ad finem ſuum, nec erit ei adjutor*, ordine temporis cohærent tantum cum ſuperioribus, *& nuncii eum præcipitem agent*

ex

[a] l. c.

ex Oriente & Septentrione; quatenus *finis* regis eum caſum ſequeretur, non quidem immediate, attamen proxime. Reticet Propheta, quid de motibus illis, quos nuncii retulerunt, factum ſit, cum ad ſcopum ſuum parum faciat; exitum regis mox ſubjungit, quia paulo poſt quoque contingeret; violentum mortis *modum*, facinoribus & ejus & patris ejus dignum, prædixiſſe contentus. Hiſtoria vero tradit, Eupatora, nunciis illis perterritum, in regnum ſuum feſtinaſſe, Philippum Antiochiæ obſediſſe, & ſuperaſſe, ac morte puniviſſe; ſed brevi poſt, Demetrium, Seleuci Philopatoris filium, qui Romæ obſidem agebat, inde dilapſum in Syriam veniſſe, ut regnum patrium ſibi adſereret, omnesque ad eum defeciſſe; adeo ut a ſuis deſertus & in gratiam Demetrii obtruncatus ſit, cum *biennium* regnaſſet. Exſtat hiſtoria apud Appianum *a*, Livium *b*, Juſtinum *c*, Joſephum *d* & Maccab. *e* Demetrii vero fugam Roma, & adventum in Syriam, fuſius narrat Polybius *f*, qui autor ipſi fugæ fuit.

§. CCXXVIII. Quam apte in hunc Eupatoris caſum conveniant verba Prophetiæ, *& veniet ad finem ſuum, nec erit ei adjutor*, vix, ut exponam opus eſt. Singularem tantum emphaſin vocum, *nec erit adjutor ei*, quæ tragicum mortis modum declarant, verbo eruam. Denotat phraſis 1. eum ab omnibus deſerendum, & infami morte adficiendum eſſe, tanquam hominem perditiſſimæ rei & ſpei, quem nemo ſua cura dignari velit. Quo ſenſu uſu trita eſt Arabibus proverbii inſtar, uti obſervavit Cl. Schultens *g*. 2. Tutore ac vindice ſuo ante quoque eſſe privandum, adeoque eo orbum violenta morte e medio auferendum eſſe. Vox עזר *adjutor* abſolute aliquando *vindicem* promtiſſimum, & *tutorem* deſignat; quod ſupra *h* jam obſervavi. Tradit autem hiſtoria, *Lyſiam*, tutorem

Vvvv 2 ejus,

a Syr. p. 189. *b* epitom. l. XLVI. *c* l. XXXIV. c. 3.
d Ant. l. XII: c. 10. *e* 1 Macc. VII: 1. 2 Macc. XIV: 1.
f Excerpt. leg. 114. *g* ad Job. XXX: 13. *h* ad v. 34.

ejus, paulo ante fuiſſe occiſum, ut Appianus diſerte habet; reliqui Lyſiam cum eo periiſſe narrant. Erravit itaque Juſtinus, ubi dicit, *delatus in Syriam* (Demetrius) *ſecundo favore omnium excipitur; regnumque ei, occiſo pupillo*, (Antiocho Eupatore) *a tutoribus traditur*; niſi *&* *tutoribus*, pro *tutore* Lyſia, ut Livius habet, legas. 3. Denique nullum ipſum *vindicem* mortis ſuæ poſt ſe relicturum. Quo ipſo, ſine maſcula prole, ſine ſucceſſore ex ſe orto aut ex patre ſuo, ipſum obiturum eſſe, tacite inſinuatur. Exſtincta quoque in ipſo eſt univerſa Antiochi Epiphanis domus, nec ipſe reliquit filios, οὐδὲ οἱ τιμωροὶ παῖδες, ut Pauſaniæ [a] phraſi de Pandione utar, ἀπ' αὐτοῦ ἐλείφθησαν, *neque filios, qui ſuas perſequerentur injurias, reliquit*. In ſcenam quidem poſtea prodiit Alexander Bala, rex Syriæ deinceps factus, qui Epiphanis filius adpellatur, ſed, eum fuiſſe ſuppoſititium, præſtantiſſimi autores, Polybius [b], Appianus [c], Livius [d], qui eum *hominem ignotum & incertæ ſtirpis* adpellat, Juſtinus [e], cui *ſortis extremæ juvenis* dicitur, Athenæus [f], aliique adſerunt. Solus, quod ſciam, autor 1 Macc. x: 1. quem Joſephus ſequitur, eum *Antiochi Epiphanis* filium, ſine addita nota, adpellat. Quod qua ratione excuſari poſſit, ſalva hiſtoriæ veritate, expoſuit Albericus Gentilis [g].

§. CCXXIX. Hanc exitus regis prædictionem propheta non immediate cum *nunciis* eum *excutientibus* connexuit, ſed ſupra memoratorum moliminum & geſtorum ſummariam repetitionem præmiſit & inſeruit, non ſine ratione & emphaſi, cum, ut quantis auſis brevi exciderit, fortius inculcaret, tum inprimis, ut infauſti ac repentini exitus cauſam in ipſis illis facinoribus, maxime in gentem Judæam, quærendam eſſe, in oculos defigeret. Eo etiam aptius Templi Hieroſolymitani obſidio expreſſe locum accepit

[a] Att. c. 5. p. 13. [b] Exc. Leg. 140. [c] Syr. p. 213. 215. [d] epitom. l. LII. [e] l. XXXV: c. 1. [f] l. V. p. 211. [g] Diſp. ad 1 Macc. cap. 8.

cepit in hac repetitione, quod eo ipſo tempore *nuncii* illi ad eum venerint. Verba ita habent, *& exibit cum magna excandeſcentia ad delendum & devovendum multos: & plantabit tentoria tunicæ ſuæ coccineæ inter maria ad montem decoris ſanctitatis.* Dixerat propheta, *rumores* vel *nuncios* malos ipſum concuſſuros & excuſſuros eſſe; dein, ipſi haud diu poſt violentam mortem infligendam eſſe, ſubjunxit; interſerit eum violentum multos deſtruendi propoſitum, quod per nuncios illos impeditus eſt executioni dare, tum montis ſancti obſidionem, a qua per ipſos illos nuncios abſtraheretur, & in qua moſimina ejus contra populos finirentur: quæ & ipſa cauſam excidii, mox ſecuturi, poenæ divinæ conſpectum ferentis, præberent. Repetitio itaque, quæ per ſe nihil habet inſoliti, hic aptiſſime & ſapienter inſtituitur; ſeſeque & eo commendat, quod verba intermedia illa, de quibus agimus, ad geſta regis poſt præcipitem ejus diſceſſum, quæ Interpretum eſt hypotheſis, ſe adcommodari non patiantur, ad præcedentia vero quam optime. 1. Verbum ויצא *& exibit* ſicut ad egreſſum ex regno, ſeu *terra* ſua, adeoque expeditionis in terras aliorum initium, nos manu quaſi ducit, ita ad *reditum* in regnum, quem *nuncii* illi effecerunt, vix adplicari poteſt: ſed, hoc ſi voluiſſet propheta, verbo שוב *reverti*, ut paſſim in ſuperioribus hujus cap., aut ſimili, uſus fuiſſet 2. Modo cum dixiſſet, regem per *nuncios* fuiſſe *perterrefactum*: eum magna cum *excandeſcentia*, & ſuperbo propoſito *multos delendi*, mox egreſſurum eſſe, vix recte ſubjungere poterat, cum in terrore concuſſum illud non quadret. 3. Comparatio horum verborum & præcedentium verſ. 40--43., de iisdem utrobique agi moliminibus, haud obſcure demonſtrat; ut mox patebit. 4. *Tentoria* regis, ad *montem decoris ſancti* fixa, nec in Antiochum Epiphanem, ut ſupra diſputavi, nec in *Eupatora* poſt nunciorum adventum, regemque conſternatum, conveniunt; ut ex hiſtoria nemini non in promtu eſt; rectiſ-

ſime vero ex noſtra hypotheſi de recapitulatione præcedentium: cum *venire* in *terram decoris*, & figere in *monte decoris tentoria*, eodem reſpiciant. Nec officit præfixum ו in verbo ויצא *& exibit*: inſervit enim haud infrequenter *repetitioni*, & ſubinde idem ac Lat. *itaque*, vel *atque ita*, habetque vim *concludendi*, ut Gejerus alibi *a* obſervavit, & Noldius *b* pluribus comprobavit exemplis, ſignat, ut notum eſt.

§. CCXXX. Verba autem *a.* propoſitum ſuſceptæ expeditionis ob oculos ponunt, verſ. 44. *Exibit magna cum excandeſcentia ad delendum & devovendum multos.* Quæ hypotheſin noſtram de tentata magis quam perfecta expeditione in Aegyptios, aliosque populos, quam ad verſ. 40, 42, 43. adplicui, egregie confirmant; cum propoſitum regis exhibeant, executionem vero non tradant. De *ira* vero ejus in Judæos concepta teſtatur quoque hiſtoria. Eupatorem *in iram exarſiſſe*, ad improborum Judæorum querelas de progreſſu Judæ Maccabæi, diſerte teſtatur 1 Macc. VI: 28. & Joſephus *c*; τοῖς δὲ φρονήμασιν ὁ βασιλεὺς βεβαρβαρωμένος, inquit autor 2 Macc. XIII: 9., ἤρχετο *efferatus vero animo rex pergebat, teterrima eorum, quæ ſub ejus Patre facta fuerant, patraturus in Judæos*, tanquam κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠὸν *mali corvi malum ovum*, ut ad eum locum recte addit Ill. Grotius. Nec aliter in Aegyptios adfectum fuiſſe, ex verbo ישתער *horreſcere ſe faciet* verſ. 40. eluceſcit. Scopus, iræ vehementiori congruus, traditur fuiſſe, ut *funditus deleret* & *devoveret multos*; quod verſ. 40. dictum erat, *& veniet in terras & inundabit & tranſibit*, inſtar fluvii tumidi, omniaque poſternentis. Verbum השמיד, proprie σκυβαλίζειν *inſtar ſtercoris everrere*, quæ proprietas nonnullis in locis *d* adtenditur, & ex Arab. lingua ſeſe offert, ubi de *fimo* & *aliis purgamentis* adhibetur,

a ad Pſ. II: 10. *b* Partic. p. 303. *c* Ant. l. XII. c. 9.
d 1 Reg. XIV: 10. coll. XV: 29. nec non Ibid. XVI: 3. coll. verſ. 12. ita & Jer. XIV: 23. Pſ. LXXXIII: 11.

tur, ideam *perditionis* graviſſimæ & *ignominioſiſſimæ* ſuſcitat. Emphaſin auget, & intendit ſignificationem, alterum verbum החרים, *devovit*, quod additur; quippe quo indicari autumaverim, regem partim animo efferato & inflexili, ſine ulla miſericordia, *perditionem* inſtituturum eſſe, partim populos, inprimis Judæos, tanquam devota capita, ſceleratos, rebelles, & peſtes regni, cum diris & exſecrationibus mala morte puniturum eſſe. Radix Hebr. proprie eſt, *incidit*, *præcidit*, *reſecuit*, ut ex Arab. lingua, & derivato חרים pro *mutilo* apud Hebr. ſuperſtite, elucet: unde cum *conſecrationis*, tum *devotationis* uſus facile ſuccrevit; quod verbo monuit Cl. Schultens [a]. Cum vero חרם redimi non poſſet, ſed certa morte delendum, nec niſi in homines ſceleratos, ſacros & devotos, quadret, ut ex Lev. XXVII: 29. & aliunde patet, emphaſis, modo prolata, ſeſe clare conſpiciendam præbet. Imitari itaque voluit Patrem Epiphanem, uti modo ex 2 Macc. vidimus, ejusque ultima mandata, cum in Orientem proficiſceretur, Lyſiæ data, de *Iſraelitarum viribus, & Hieroſolymæ reliquiis evertendis, delendisque, &, ſublata eorum eo ex loco memoria, exterorum coloniis in terram eorum deducendis*, 1 Macc. III: 35, 36. populoque faciendo εἰς ἀπώλειαν καὶ συντέλειαν ib. verſ. 42., executioni mandare.

§. CCXXXI. *β*. Quod quousque ei ſuccederet, hæc verba, verſ. 45., exponunt, *& plantabit tentoria tunicæ ſuæ coccineæ inter maria ad montem decoris ſanctitatis:* id eſt. Pernicioſa ſua conſilia in populos non niſi in Judæos efficiet, nec plene, ſed ex parte tantum usque ad Templi obſeſſionem. Judæorum terram ipſum occupaturum & vaſtaturum, prædicitur, usque ad Templum Hieroſolymitanum; quod quidem obſideret, ſed non expugnaret; improbis ejus moliminibus omnibus ibi intercipiendis & terminandis, & in propriam perniciem brevi poſt exituris, ut mox ſubjungitur, *& ad finem ſuum veniet.* Nihil hic

[a] ad Har. conſ. VI. p. 239.

hic ex noſtra hypotheſi, nec in ſenſu, nec in implemento, difficilis, niſi in phraſibus nonnullis. Montem Templi, decorum & ſanctum, ejusque obſeſſionem a copiis regiis, hic repræſentari, quod nonnulli recte notarunt, vel ex epithetis *decoris* & *ſancti* dubio procul eſt. Docet quoque Hiſtoria, Eupatorem cum hoſtili exercitu ad montem Templi veniſſe, & Templum acriter oppugnaſſe; καὶ παρενέβαλεν ὁ βασιλεὺς, inquit autor 1 Macc. VI: 48. εἰς τὴν Ἰουδαίαν, καὶ εἰς τὸ ὄρος Σιὼν, *caſtraque poſuit rex in Judæa ad montem Tſionem*; cuius colli Templum inſidebat: addit mox autor verſ. 51. καὶ παρενέβαλεν ἐπὶ τὸ ἁγίασμα, *oppugnavit autem ſanctuarium*, ſeu Templum, *multos dies*, &c. Sic & Joſephus [a], πολλῷ δὲ χρόνῳ τὸ ἱερὸν πολιορκῶν τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις προσεκαθίζετο *longo vero tempore adſidebat oppugnando fanum Hieroſolymitanum*: donec, per nuncios ex Oriente & Septentrione confuſus & abſterritus, pacem cum Maccabæo fecit, & in Syriam diſceſſit; brevi poſt obtruncatus.

§. CCXXXII. Sed quid ſunt tentoria אפדנו? & quid ſibi vult בין ימים *inter maria?* Vox אפדנו, ſi veteres conſulas Interpretes, qui eam vertere conati ſunt, Theodotion enim ἀφαδανῶ retinuit, LXX. prorſus prætererierunt, teſte Hieronymo, vel *ſtabulum bellicum curulium equorum* erit, ut Symmachus ἱπποστάσιον reddens, ex Fulleri *obſervatione* a פדן *jugo*, *pari* jumentorum, ex lingua Syr. Chald. & etiam Arab., ſed verius eſt, cum Gr. φάτνη *ſtabulo* confudiſſe Hebr. אפדנו autorem, nam φάτνη redditur ἱππόστασις Polluei [b], nec præſepe, ſed & *ſtabulum* totum *dicit*: vel *praetorium* dicet, ut Aquila, teſte Hieronymo, reddidit: quo ſenſu apud Chaldæos venit, ſed incertum num antiquiores? & a nonnullis, Judæis & Chriſtianis, huc etiam adplicatur. Quod ex propria verbi אפד poteſtate apud Arab., qua *eminere* & *immittere* ſignat, ejusque derivato, quod

a Ant. l. XII. c. 9.
b in Onomaſtico l. I. p. 116.

quod *amiculum* dicit ſupra reliquas veſtes injectum ad *dignitatem* & *eminentiam*, unde אפוד Ephod, *palliolum ſuperhumerale* Pontificis Hebræorum, aliquid roboris acquirit. Tentoria utique אפדנו poſſent eſſe *eminentiæ* & *majeſtatis* ejus, magnifice & ſplendide amicta & tecta, τῆς ὑψιφανοῦς καὶ χρηματιστικῆς σκηνῆς, *illuſtris & ubi reſponſa dabantur tentorii* regii, phraſi Polybii *a* de prætorio Ptolemæi caſtrenſi; quemadmodum שפרירו Jer. XLIII: 10. *prætorium* Nebucadnezaris ſplendide *nitens* ſignificat, ſi a שפר *nitere*, *renidere*, *clareſcere*, unde pro *aurora* ſumitur, derivetur. Quam vocem ibi Chald. vertit אפדניה *prætorium ſuum*. *Tentoria* vero *prætorii* eſſe poſſent plura caſtra diviſa, quibus mons Templi cinctus fuit. Sic *tria prætoria circa Capuam erecta*, *tres & exercitus diverſis partibus opus aggreſſi*, occurrunt apud Livium *b*. Numantiam quoque *quatuor caſtris* a Scipione *circumdatam* memorat Florus *c*. Sed Syrum Interpretem ſi audiamus, tentoria erunt in *plano* & *lato campo* poſita; vertit enim *in loco* שפיא, non *clivoſo*, ut reddi ſolet, quod huc non quadrat, ſed *plano*. Vox enim paſſim non *clivum*, ſed *planitiem*, vallem, exprimit, ut jam notavit Cl. Dieu *d*. Quod ſi Gejero in promtu fuiſſet, non dixiſſet, *quid Syrus intenderit*, *vertendo* באתרא שפיא *in loco clivoſo*, *vix liquet*. Planum enim ſi intelligas locum, mox ſuccurrit Syr. & Chald. פדן *campus late patens*, unde פדן ארם *Paddan aram*, Syria campeſtris, alias שדה ארם ager Syriæ *e*, nomen traxit, ſicut Arab. פדאן eſt *ager ſativus*, de quo videndus eſt Cl. Bochartus *f*, & radix פד *longius extendit* ſtructuram, &c. Quam longioris ſtructuræ poteſtatem ſi in genere & ſimpliciter adtendas, *tentoria longe lateque extenſa* interpretari liceret, & ex phraſi *inter maria* corroborare, de qua mox. Littera vero א cum heemantica ſæpe ſit, & formativa nominis, uti in vulgus notum

Xxxx eſt,

a Lib. V. p. 590. *b* L. XXXV: c. 22. *c* l. II. c. 18. *d* ad Num. XXIII. *e* Hoſ. XII: 13. *f* Phal. l. II. c. 6.

eſt, a פרן recte אפרן oritur & faciſſime. Sed cunctas vocis אפרן litteras ſi quis radicales eſſe velit, nihil commodius videtur, quam duas radices אפר & פרן in unam ſtatuere conflatas eſſe, & vocem compoſitam *palliolum tincturæ rubræ* ſiſtere; cum פרן colorem *ſaturum* & *rubrum* denotet apud Arab., ſicut & vicina vox פרס. *Tentoria* vero *pallioli rubri* erunt, quæ *tunicæ coccineæ* ſignum ad pugnam denunciandam præferunt: uti Romanis & Græcis, Perſisque etiam, in more fuit poſitum; quod Fullero jam obſervatum eſt, & ex Plutarcho [a] confirmatum. Sed plura dabit teſtimonia J. Lipſius [b]. Quibus Diodorum Siculum [c] addo, qui ἐκ τῆς Τισσαφέρνους σκηνῆς ἀρθείσης φοινικίδος *ex Tiſſaphernis*, ducis Perſarum, *tabernaculo purpurei oſtentati vexili*, in ſignum necis inſtituendæ, meminit. Quod ab hoc noſtro loco non adeo abhorreret, modo de conſuetudinis vetuſtate conſtaret. Poſſem & alias adferre conjecturas, vocemque derivare ex אף *naſo* & פרן *extendere*, vel דין *judicio*, ut ſit vel *naſus elatus* & *longus* pro majeſtate terribili & tumida; metaphora Orientalibus uſitata [d], vel *naſus judicii* pro eminentiſſimo, ſeveroque, judicio, in Judæos exercendo. *Naſus* enim Orientalibus de quacunque re dicitur, & eminentiam, terribilitatem, ſuperbum faſtum, & ſimilia dicit [e]. *Naſus judicii* itaque fere idem erit, ac *naſi poſitio* & *contentio*, דין, *improbi* contra Deum Job. XXXVI: 13, 17. Poſſet etiam ex אף & פרן derivari, & *naſum* flammante *rubedine* tinctum deſignare, ut מִקְנֶה אַף *rubedo flammans naſi* Job. XXXVI: 33. ex Cl. Commentatoris ſententia.

§. CCXXXIII. Quæ hactenus protuli etſi in re obſcura forte ſufficiant, & viam ad verum ſenſum aliqua ratione pandant: in nullo tamen me acquieſcere diffiteri nolim; cum nec rationem vocis inſolitæ, nec emphaſin ullius ſenſus,

[a] in Fabio M. p. 181. [b] de milit. Rom. l. IV. dial. 12.
[c] Hiſt. l. XIV. p. 662. [d] Vid. Cl. Schultens Defect. § 246.
[e] Vid. Id. Ib. § 245 &c.

ſus, quem dedi, perſpiciam: adeoque vel ampliandum cenſuerim, donec major lux adfulſerit, vel ad aliam vocem vicinam confugiendum. Venit, fateor, in mentem, vocem אפרן eſſe ipſiſſimam אבדון, ex lingua Chald., vicinitateque pronunciationis ortam: Litterarum utique ב & פ in dialectis permutatione *a* nihil eſt vulgatius, faciliusque nihil, ut & Gr. φ & β *b*. Poſſet quoque pro אבדון irrepſiſſe, אפדנו, ſi illud ſtatuere liceret. Vox vero אבדון in Scriptura nota eſt, dicitque cum *perditionem* in genere, tum in ſpecie infernum, ſeu שאול, ut ex nonnullis locis *c* liquet; imo concrete *vaſtator*, ὀλοθρευτὴς, eo nomine venit, & *Angelus abyſſi* expreſſe inſignitur, Ap. IX: 11. *Tentoria* itaque *perditionis* erunt, quæ ad perditionem inferendam fixa ſunt. Quod quam apte in eum, qui *magna cum excandeſcentia exiret* להשמיד *ad perdendum*, ut modo dictum erat, quadret, ut moneam opus non eſt. Nec deſunt ſimiles phraſes. Sic כסא הוות *thronus profunditatum* Pſ. XCIV: 20. imperium & judicium pingit inſatiabilis avaritiæ, & perdendi cupiditatis, quo Antiochus ſeſe Hieroſolymis nobilitavit; quo ibi reſpicitur. Sic *ſedes violentiæ* Am. VI: 3., אבדה Prov. XXVII: 20. *orcus & deſtructio ejus*. Nec multum abit, licet paulum diverſum, epitheton *tentoriorum muneris*, Job. XV: 34. ſcilicet quæ inhabitant injuſti principes, qui munera & corruptelas amant, & corradunt. Nec abludit *pelvis tremoris*, quem conſpectum præferret Hieroſolyma reſpectu hoſtium, Zach. XII: 2. quo corpus & mens eorum *quatitur; quod* eſt רעל. Prope etiam accedit illud Job. XXX: 12. *aggerarunt ſuper me* אבחות *vias ſuas pernicioſas*, pro, graſſantur ad me evertendum: ſimilis etiam phraſis eſt, γένος ὀλέθριον, ſeu ὀλεθρείμος, qua Aquila & Theodotion utuntur Iſeph. II: 5. ad exprimendum גוי כרתים; ψῆφος ὀλεθρία Aeſchylo quoque,

 ut

a Vid. Cl. Schultens clav. p. 195 & 274. Rev. Kuypers ad Alf p. 84. *b* Boch. H. p. II. l. IV. c. I. p. 448. *c* Job. XXXI: 11. coll. Deut. XXXII: 22. & Pſ. LXXXVIII: 12.

ut recte Cl. Abreſch [a], eſt ejus reſpectu, cui ὄλεθρον intentat. Denique non poſſum, quin huc adferam שפרירו thronum *fractionis ejus*, quem Nebucadnezar in Aegypto erigeret, Jer. XLIII: 10. ad eam perdendam. Rectius enim forte ש habetur pro littera heemantica, & radix פרר, *rupit*, *confregit*, unde in Hiph. הפר, ſupereſt, ſtatuitur.

§. CCXXXIV. Reliquæ voces, בין ימים *inter maria*, quæ, cum *mons Templi* mox memoretur, alia eſſe nequeunt, quod nonnulli recte jam notarunt, ac *Occidentale* Mediterraneum, & *Orientale* Sodomæum cum Jordane in illud influente, expreſſe additæ, quid ſibi aliud velint? neſcio, ac ut vel copias regis longe lateque præ immenſo numero fore expanſas, totum fere Judææ ſpatium inter duo maria replentes, indicaretur, vel potius ad meditullium Judææ digitus intenderetur, & *inter maria* ſit *medium* inter ea: quod בין *inter* ſignificare ſolet. Meditullium vero terræ Judææ, ortus & occaſus reſpectu, fuit, ſi res latius & populariter conſideretur, *Hieroſolyma*, μεσαιτάτη αὐτῆς πόλις *in medio ejus*, Judææ, *ſita urbs* dicta Joſepho [b], quam propterea, eodem teſte, adpellarunt nonnulli οὐκ ἀσκόπως ὀμφαλὸν τῆς χώρας *non ſine ratione umbilicum regionis.* Præbet autem *umbilicus* figuram *meditullii* & *centri* apud Orientales non tantum, ſed & Græcos, uti oſtendit Cl. Schultens [c]. Addo Livium [d], qui, Græcos [e] imitatus, Delphos *umbilicum orbis terrarum* adpellat. Quid? quod Hieroſolyma טבור *umbilicus terrae*, vel Cananæa *umbilicus orbis*, eandem ob rationem adpellari videatur Ezech. XXXVIII: 12.

[a] ad Aeſch. l. 1. c. 14. p. 91. [b] B. J. l. III. c. 3. [c] ad Prov. III: 8. [d] l. XXXVIII. c. 48. [e] Vid. Hoeſchel. ad Horapoll. lib. 1. c. 21.

CAP.

C A P. XII: 1--3.

§. CCXXXV.

ANtiochi Epiphanis expeditionibus in Aegyptum, & oppreſſionibus populi Judæi per ipſum, ejusque filium Eupatora, usque ad utriusque regis mortem, ac totius, domus Antiochi exſtirpationem, ob oculos poſitis, regnorum Septentrionis & Auſtri fata, quippe a ſcopo aliena, ulterius non pertexit Prophetia, ſed ad laetam reip. Judaicæ cataſtrophen, tunc maxime perfici coeptam, pergit, & cum liberationem, tum glorioſam inſtaurationem ejus per Maccabæos, ope Michaelis ſeu principis populi, in adflicti populi ſolatium, ſummatim, loco plane ſuo, & ordine juſto, depingit cap. XII: 1, 2, 3. his verbis: *& illo tempore ſtabit Michael, Princeps ille magnus, qui ſtat a filiis populi tui, eritque tempus anguſtiarum, quale non fuit, ex quo gens fuit, usque ad hoc tempus; quo ipſo tempore eripietur populus tuus, quicunque inſcriptus deprebendetur libro: & multi ex iis, qui in pulvere terræ obdormiſcunt, evigilabunt, illi ad vitam æternam, alii ad opprobria & dira æterna: & Doctores ſplendebunt inſtar ſplendoris expanſi; & qui juſtificarunt multos inſtar ſtellarum in ſeculum & perpetuum.* Quæ antequam exponam, hypotheſis modo jacta, de liberatione ac inſtauratione reip. per Maccabæos hic agi, demonſtranda eſt, cum communis fere opinio Interpretum habeat, fata Eccleſiæ Chriſtianæ inprimis ſub Antichriſto, ejusque ab hujus dominio & tyrannide vindicationem, in vita æterna terminandam, repræſentari. Cui tam mordicus adhærent multi, ut alteram illam, quam meam feci, vix ferendam, aut refutatione dignam, cenſeant, & tanquam a Porphyrio, hoſte Chriſtiani nominis, profectam traducant; non ſine inſigni injuria Doctis, Piſcatori, Ill. Grotio, Jungmanno, Launæo, aliisque, qui nobis præiverunt, illata; quam

non niſi per argumenta, quibus noſtram hypotheſin ſuperſtruam, ulciscar. Cum enim rationibus, & non hominum *autoritate*, niti debeat verbi Dei interpretatio, ad calculos ſedeamus, &, a qua parte ſtet veritas, examinemus.

§. CCXXXVI. 1. Pericopa cum ſine controverſia ſuperioribus connexa ſit, quod ſeries orationis, phraſis *illo tempore*, tempus *anguſtiarum* expreſſe memoratum, relate ad ſupra memoratas populi Dei infeſtationes, aliaque indicia clare evincunt: præcedentia ſi Judæorum adflictionem ſub Antiocho Epiphane, vel ſolo, vel & Filio ejus, de quo ſupra diſputavimus, complectantur; quod a me opinor eſſe evictum: hic ipſe nexus indubium pro hypotheſi noſtra præbet argumentum, nulla ſubtilitate eludendum. Quod enim nonnulli reddant *poſt hoc tempus*, vel phraſin, *hoc tempore*, nullum ſubinde ad ſuperiora reſpectum habere, contendant; refutatione cenſeo indignum; & deſperatæ cauſæ indicium. Præterquam enim quod nexus in hac ſola phraſi non ſit fundatus, ut modo obſervavi; phraſis illa nec alium hic fert ſenſum, ac *tempore illo*, nec tantum admittit hiatum, ut ab Antiocho Epiphane immani ſaltu prophetiam ad Antichriſtum ferat tranſeuntem. Quæ ratio eſt, quare Interpretes, ſuperiora de Antichriſto quoque interpretati, eundem nobiscum nexum urgeant, hujus pericopæ intellectum a præcedentibus dependere agnoſcentes. Quo admiſſo, vel ſuperior noſtra demonſtratio ac tractatio ruat, vel hæc pericopa de reip. per Maccabæos reſtitutione agat, neceſſe eſt.

§. CCXXXVII. 2. *Michaelis*, *ducis illius magni pro populo ſtantis*, titulus, Meſſiæ ſub Vetere Oeconomia, tanquam *Angeli Jehovæ* proprius, nec ei niſi eo tempore dari ſolitus, aut congruus, *populi Danielis* epitheton, non niſi in gentem Judæam quadrans; de Meſſia jam manifeſtato & exaltato, Eccleſiaque Chriſtiana, cogitare vetat,

nosque

noſque Judaicæ Eccleſiæ certo adſtringit. Egit Meſſias, durante Oeconomia Vetere, tantum *Angeli Jehovæ* perſonam, qualis Michael, *unus principum primorum* dictus *a*, fuit; *Ducem* exercituum Israelis, quo haud uno in loco venit nomine, ſeſe præſtitit eo tempore; ſed filius hominis factus, & ad dextram Dei collocatus, eam depoſuit perſonam, *rex* ipſe & *Dominus* conſtitutus *b*. Quod, tanquam notum & indubium, tetigiſſe ſuffecerit. Populus vero Israelis ſicut rectiſſime *populus Danielis*, qui ejus nobiliſſimum membrum & propheta erat, & populi interceſſorem egerat, cap. IX & X., quo nomine etiam venit c. IX: 24. X: 14. & hac ipſa in prophetia c. XI: 14.; ita Eccleſia Christiana nullo ſenſu tolerabili, uti facile cernitur, nec usquam inſignita reperitur.

§. CCXXXVIII. 3. Comparationem verſ. 2 & 3. qui inſtituerit cum aliis hujus libri partibus, & parallelis prophetiis, de adflictione Epiphanica & liberatione Maccabaica agentibus; is ſponte ſua clariſſime perſpexerit, cum *maturos reddentes* verſ. 3., eos eſſe, qui c. XI: 33, 35. eodem titulo honorati erant *doctores* Judæorum, & *ſtellarum* emblema, quibus vindices populi conferuntur, manifeſte ad *ſtellas* ab Antiocho oppugnandas, c. VIII: 10. reſpicere, tum parallela vaticinia, ut Jeſ. XXVI: 19. eadem ſub *reſurrectionis* & *viviſicationis* figura de reip. per Maccabæos inſtauratione agere, ut mox patebit, quam aptiſſime. Quo præcipuo argumento, a *reſurrectionis* deſcriptione verſ. 2. petito, cui recepta innititur ſententia, nervi ſimul inciduntur. De quo mox accuratius dicam. 4. Momentum quoque haud leve noſtræ hypotheſi addit phraſis, *usque ad tempus finis*, verſ. 4, 6, 9. quem finem adflictionis, & epocham reſuſcitationis continet, cum hoc in Danielis libro periodum vel terminum adflictionis Epiphanicæ conſtanter denotet, c. VIII: 19. XI. 35, ut & *finis dierum* XII: 13. cui *extremum dierum* c. X: 14. reſpondet; nec non *finis*

a Dan. X: 13. *b* Act. II: 36.

finis הפלאות *arduorum & portentoſorum* verſ. 6. cum manifeſta adluſione ad פלאות *portentoſa* illa, quæ loqueretur ageretque Epiphanes, c. XI: 36. & VIII: 24.

§. CCXXXIX. 5. Epocha denique adflictiſſimi ſtatus, *ablatio jugis ſacrificii*, & *abominabilis ſiderantis collocatio*, verſ. 11. cum c. VIII: 12, 13. & XI: 31. comparata, *duratio* quoque calamitatis, per *tempus*, *tempora* & *dimidium* verſ. 7. expreſſa, cum c. VII: 25. collata, & certo dierum numero definita verſ. 11: 12., cui concinit numerus c. VIII: 14., in quibus parallelis locis Epiphanica omnino intenditur adflictio, hic de eadem agi, adeoque Eccleſiæ Maccabaicæ inſtaurationem depingi, vix relinquit dubium. Qua de re cum pluribus diſputaverim in Diſſertationibus *a* ad Danielis *vaticinia emblematica*, hic nihil addam, niſi obiter illud unum alterumve: *α*. eos a ſtilo hujus libri nimium aberrare; qui per *dies* cenſent *annos* intelligi c. XII: 11, 12. eoque ſuperſtruunt fundamento male coctas cogitationes de Antichriſtianiſmi, mundique, duratione. *Dies* hoc in Danielis libro proprium ſuum retinent ſignificatum, ſi *numerus* addatur, abſolute poſiti brevius temporis ſpatium, per dies potius quam annos ſupputandum, deſignant, uti plus ſemel in hoc *commentario* obſervavimus: longior temporis periodus ſi adtendatur, ימים רבים *dies multi*, ut c. VIII. 26., dicuntur, & *dies* in genere pro *tempore* uſurpatur. Quo nihil eſt vulgatius. Tantum *hebdomades* pro ſeptem annorum veniunt periodo, c. IX: quia æque *annorum* ac *dierum* poſſunt intelligi hebdomades. Quo clare nos ducit, quod c. X: 2, 3. *hebdomades dierum* expreſſe memorentur, argumento, tales etiam in hoc libro *annorum* occurrere; & *dies* cum *annis* non eſſe permiſcendos. *β*. Nullo ſenſu dici poſſe *tempus anguſtiarum*, verſ. 1. memoratum, tanto temporis ſpatio duraturum; per 1290 vel 1335 *annos*. *γ*. Periodum 430 annorum, quibus ſtatus ſervitutis & adflictionis Judæorum duraret, ſecundum

a Diſſ. VI. § 27. &c.

cundum portentum Ezech. IV. terminatam eſſe in principatu *Jonathanis*, circa illud tempus, quo dies 1335. Dan. XII: 12. finiti ſunt. Quod noſtram hypotheſin, in Diſſ. ad Dan. demonſtratam, ulterius illuſtrat. A deſtructo enim Templo per Chaldæos usque ad Principatum Judæ Maccabæi ſunt anni 421., adde Judæ 6., & *tres* Jonathanis, habes 430. Signum vero Ezechielis non ad periodum defectionis, quæ præceſſerat, ut vulgo putatur, ſed partim *dierum* reſpectu ad obſidionem Hieroſolymæ, partim *annorum* reſpectu ad ſervilem populi ſtatum in futurum reſpicere, præclare demonſtravit Cl. Vignolius [a]: qui tamen poſterius nec expoſuit, nec adplicuit ad Judæorum ſtatum.

§. CCXL. 6. *Anguſtiarum* exaggeratio, qua tantæ dicuntur, quantæ nunquam antea genti evenerant, a Chriſto repetita cum majore adhuc emphaſi Matt. XXIV: 21., tantum abeſt, ut ad ultima mundi tempora nos trahat, quod jam refutavit Jungmannus [b], cum nihil a calamitate Epiphanica habeat alieni, de quo mox agam, ut ab Eccleſiæ Chriſtianæ adflictiſſimo ſtatu oculos abſtrahere cogat, & communem hypotheſin ulterius deſtruat, *cum* quod nullæ tantæ anguſtiæ in Chriſtianum populum demonſtrari poſſint incidiſſe, aut immittendæ, quæ omnes omnium temporum præcedentium gentis ſuperent, ut hic diſerte habetur, loquor non de Antichriſtiana, ſed Chriſtiana Eccleſia, cujus hic omnino ratio foret habenda, nam ejusdem gentis ſunt anguſtiæ cujus foret liberatio, *tum* quod Chriſtus, de excidio Judæorum per Romanos locutus, tales tantasque eas adfirmet *anguſtias* fore, quales nunquam *poſtea* contingerent. Qua itaque ratione hic de ultimorum temporum populi Chriſtiani adſeri poſſit *anguſtiis*, eas omnium præteritorum temporum fore majores? Loqui vero Dominum non de ultimi temporis, ſed Judæorum per

 Roma-

[a] Chron. S. p. 1. p. 468. [b] ad Dan. l. 1. ſect. 11. p. 431.

Romanos *anguſtiis*, clarius & certius eſt, quam ut demonſtrari debeat.

§. CCXLI. Hac jacta hypotheſi, ad pericopæ explicationem, quæ ei haud leve pondus addet, accedamus, & ſingulas ejus partes conſideremus; quæ *tres* ſunt, in quas ſeſe ſponte ſua dividit. *Prima*, quæ populi adflicti liberationem, a ſupremo duce per ipſos ex populo heroas efficiendam, quo tempore res ad ſummum venerit, continet, ita habet verſ. 1. *Et illo tempore ſtabit Michael, princeps ille magnus, qui ſtat a filiis populi tui, eritque tempus anguſtiarum, quale non fuit, ex quo gens exſtitit, usque ad hoc tempus; & hoc ipſo tempore eripietur populus tuus, quicunque inſcriptus deprehendetur libro*: id eſt; eo ipſo tempore, quo hæc adflictio, ſupra deſcripta, cujus ſimilem populus Israelis, nec ulla gens, hucusque ſubiit, ingruerit non tantum, ſed populum ad ſummas redegerit anguſtias, ſupremus populi dux, fortiſſimus ille, qui ſicut omnes populi heroas per omnia tempora, ita & hac calamitatis periodo, animavit & tuitus eſt, populo tam fortiter ſuccurret, pro ipſo per heroas illos pugnaturus, ut adflictioni & anguſtiis finem ſit impoſiturus, populoque, qui tunc ſuperſtes erit, veroque Israeli, liberationem procuraturus. Comprehendit verſus cum *tempus* liberationis, tum *liberatores*, tum *liberationem*, tum denique *liberandos*.

§. CCXLII. א. *Tempus* non tantum nexu cum ſuperioribus definitur, ſed & a *qualitate* ſua triſtiſſima deſcribitur. *Hoc tempore* dicit prophetia, ſcilicet, quo uterque Antiochus, Pater & filius, Epiphanes & Eupator, hoſtiliter graſſabitur in Israelem, uterque etiam fatum ſuum invenerit. Quæ omnia ſicut ſupra erant prædicta, prophetia in domo Antiochi Epiphanis exſtincta finita, ut ſupra vidimus; ita huc apte quadrare, mox patebit. Adpellatur autem *tempus anguſtiarum*, quales nunquam antea, aut Israeli, aut ulli genti evenerant. Nomine enim *gentis*, גוי, abſolute poſito, & *Israel*, ex quo Aegypto eductus

eductus in *populum* formatus eſt, & quævis alia terræ natio intelligi poteſt. Etſi enim *gentes* a foedere Dei alienæ & peregrinæ eo titulo paſſim inſigniri ſolent, *Iſrael* tamen, quatenus in unam rempublicam, legibus ornatam & colligatam, redactus eſt, eundem ferre poteſt, & aliquando fert *a*. Ipſa quoque phraſis, *ex quo fuit gens*, ad populum adflictum, cujus hic mentio fit, ducit, ſenſumque fundit, talem Iſraeli non accidiſſe calamitatem, a quo tempore *gens* exſtitit peculiaris: uti Exod. IX: 24. de Aegyptiis, *fuit grando*, & *in media grandine ignis admixtus*, & *grando graviſſima*, *qualis in tota Aegypto non fuit*, *ex quo exſtitit* לגוי *gens*: plane ſicut noſtro loco.

§. CCXLIII. *Tempus* vero *anguſtiarum*, proprie arcte *conſtringentium*, & quidem cùm *ſtridore*, quæ verborum צור & צרר poteſtas eſt primigenia, uti Viri Docti, Cl. Schultens *b* & Schroederus *c*, docuerunt, adeoque quæ graviſſimum animi moerorem & metum adferunt; in genere adflictionem Epiphanicam, ſed in ſpecie ejus præciſe periodum illam depingit, quæ mortem Judæ Maccabæi, haud diu poſt domum Epiphanis exſtirpatam, cujus proxime meminerat propheta, excepit. Tantæ, durante illa infeſtatione Epiphanica, fuerunt *anguſtiæ*, quantæ nunquam antea, aut Iſraeli, aut ulli genti evenerant, non tam externorum ſimpliciter malorum, quam *cauſæ*, *modi*, & moleſtiſſimi *ſenſus* eorum reſpectu, adeoque in omni complexu conſideratæ, quatenus 1. religionis cauſa perſecutionem paterentur, 2. eamque diriſſimam, in atrociſſimis cruciatibus, & quibusvis malis 3. religioni etiam publicum eſſet & infenſiſſimum bellum a potentiſſimo ac ſæviſſimo rege indictum, 4. eaque ab exſtirpatione, totali & perpetua, prope abeſſet, 5. ipſi etiam ejusdem alias civitatis & religionis ſocii manus cum hoſtibus jungerent, 6. idololatria publice in terra & loco ſancto eſſet erecta,

 7. deni-

a Joſ. X: 13. Tſeph. II: 19. & alibi. *b* ad Job. XXVI: 8. Prov. XXIV: 10. XXVI: 14. *c* comm. ad Jeſ. III. cap. 17.

7. denique populus religionis erat tenaciſſimus, & ab omni idololatria alieniſſimus, adeoque graviſſimo moerore ac metu adfectus. Quales quantasque moleſtias nulla gens antea ſenſerat, Judæi nunquam experti erant. Quam ob cauſam *tempus anguſtiarum*, & hic & alibi, ut Jeſ. XXVI: 16. XXXIII: 2., emphatice adpellatur, & populo dicitur datus *panis anguſtiæ*, & *aquæ preſſurae*, Jeſ. XXX: 20. & *per ignem* tranſiturus occurrit Iſrael Jeſ. XLIII: 2., cum antea per *aquas* tantum iviſſet. Plura non addo, quia ex ſupra dictis ad cap. XI: 30. &c. & hiſtoria Maccabaica res eſt nota ac teſtatiſſima.

§. CCXLIV. Præter generalem hujus calamitatis conſpectum, ea in primis pars, qua; Juda Maccabæo in prælio cum Bacchide, regnante Demetrio, Sotere dicto, deleta jam Epiphanis domo tota,glorioſe occiſo, Judæi in omnium graviſſimas conjecti ſunt anguſtias, hic in cenſum, ut opinor, venit, & prophetiæ proxime reſpondet. Subjungitur enim hæc pericopa 1. prophetiæ de morte Eupatoris, & domus Epiphanis exſtirpatione per Demetrium, qui regnum ſibi vindicavit, facta, *&* non ſine emphaſi dicitur *tempore hoc*, ſcilicet, quod dein ſecutum eſt. 2. Connectitur *tempus anguſtiarum* immediate cum *liberatione* plena. *hoc ipſo tempore*, dicit Propheta, *eripietur populus tuus*; quod, Juda mortuo, per Jonathanem tunc effici coepit: cum *liberatio* per Judam ejus morte fuerit intercepta, & in gravioribus anguſtiis terminata. 3. Michael quoque cum & *ſtans ſuper filiis populi*, *& conſtiturus hoc tempore anguſtiarum*, producatur, ſicut eum antea adfuiſſe, nunc efficacius præſto futurum eſſe, indicatur, ita duplex in primis calamitatis periodus, altera præterita, altera præſens, repræſentatur, & tempus anguſtiarum ad hanc pertinere, adeoque ſub Demetrio poſt Judæ caſum, indicatur. *Stabit illo tempore Michael*, ſic verba habent, *qui ſtat pro filiis populi tui*. Steterat itaque & ſtrenue rem Iſraelis egerat ſupremus dux; ſed *ſtaret* hoc tempore iterum

rum & longe efficacius. Quæ duplicem periodum, modo memoratam, clare deſignant. 4. Robur addit, quod perſecutionis & adflictionis periodus in duo intervalla, poſterius priore gravius, diſpeſcatur verſ. 7 & 11, 12. ut alibi *a* demonſtravimus. 5. Accedit, *anguſtias*, quæ poſt mortem Judæ occuparunt Judæos, cum in verbo Prophetico, tum in Hiſtoria depingi omnium diriſſimas & moleſtiſſimas. Ad hoc enim tempus reſpexit Jeſaias c. XXIV: 16., ut recte notavit Cl. Commentator, cum tanquam præſens rerum geſtarum ſpectator in hæc querula erumpit verba; *macies mihi*, *macies mihi*, *vae mihi!* proprie *macies*, quæ tritas adflictasque vires ſecum fert. Radix enim רזה, apud Arab. رذب, in *nervos tritis*, ſeu enervatione virium corporis ex longo itinere vel morbo tabifico, teritur. Nec in aliud tempus, in hoc unice & accurate quadrat Pſ. XLIV., ut alibi demonſtrabo. Hiſtoria quoque hoc præciſe tempus non tantum tanquam omnium calamitoſiſſimum depingit, ſed & ipſis verbis illud teſtatur. *Fuit adflictio magna in Israele*, dicit autor *primi* Maccab. *b*, poſt Judæ mortem narratam, *qualis non fuerat*, *ex quo die non eſt viſus propheta inter eos*. Judæos tunc in *tanta calamitate* fuiſſe conſtitutos, tradit Joſephus *c*, *quantam non experti fuerant poſt reditum ex Babylone*.

§. CCXLV. 2. Liberatores exhibentur, ſupremus hoſpitator *Michael*, *dux ille magnus*, inferiores, & Michaeli ſubjecti, *filii populi*; his verbis; *illo tempore ſtabit Michael*, *dux ille magnus*, *qui ſtat ſuper filiis populi tui*. De Michaele, alias Angelo Jehovæ, & Archangelo dicto, & *principis* ſeu *ducis* titulo, ei dari ſolito, cum alibi *d* dicta ſufficiant ſcopo noſtro, hic tantum obſervo, *heroas*, quibus in Iſraele liberando uſus eſt, alias *Maccabaeos* fratres adpellatos, titulo *filiorum populi* quoque comprehendi, & in ſpecie deſignari. Licet enim *Israelem*, & quidem uſu

 vocis

a Diſſ. VI. ad Dan. l. c. *b* 1 Macc. IX: 27.
c Ant. l. XIII: c. 1. *d* Diſſ. VI. ad Dan. § 18.

vocis עם *populi*, ac *filiorum* populi, de quo alibi *a* etiam egi, genuinam ac ſelectam, nobiliſſimamque, populi partem, genuinum Iſraelem legis ac religionis ſtudioſum, *Chaſidæorum* nomine notum in Hiſtoria, in genere denotet, de præcipuis tamen & ſelectiſſimis ex populo phraſin quoque nihil vetat cepiſſe. Nomen enim בן *filius* ea emphaſi auctum non eſt infrequentis uſus, quo præcipuum, & eminentiſſimum, fulcrumque domus deſignat; ut varia evincunt loca *b*. Sint itaque *filii populi* duces Maccabæi, ſtrenuiſſimi heroes, & populi ſtatores, ac *religatores;* quæ propria eſt verbi בנה, unde בן pro *filio*, poteſtas, in *ligando* & *religando* ſita, unde *aedificare*, *conſtruere* vel domum, vel & corpus, quod multa junctura vinctum eſt, vel quid ſimile. Quorum ſupremus dux fuit Michael, qui *ſuper filiis populi ſtare* dicitur, tanquam eorum præfectus ſimul, ſimul *defenſor* & patronus, ἐπιστάτης, προστάτης vel παραστάτης. Quod utrumque verbo עמד *ſtare* comprehenſum eſt. Adhibetur enim in *praefecturis* *c*, & de potentiſſimo patrocinio, nec non pro vehemente impetu incumbere *d*, uſurpatur. Ceterum talem ſeſe hoc tempore geſſiſſe Michaelem, & *filiorum populi* patronum, ac ductorem, & ſtrenuiſſimum, hoſtibusque graviter incumbentem, ducem ac imperatorem invictum, populi *ſtatorem*, hoſtiumque *oppreſſorem:* ſive, quod eodem recidit, divino Spiritu fuiſſe Chaſidæos animatos, corroboratos ac ductos, opeque & auxilio Divino uſos fuiſſe, terrore etiam divinitus incuſſo hoſtes fuiſſe perculſos & fugatos, proſtratosque, ſicut prophetia haud una, uti notum eſt, prædixit, mirabilis hiſtoria geſtorum & factorum Judæ Maccabæi & fratrum ejus, nemini non nota, haud uno ſpecimine comprobat. De quo ſupra *e* etiam quædam diximus,

a Ibid. § 17. & Diſſ. VIII. § 11. & comm. ad Gen. XLIX: 10.
b Jeſ. XIII: 18. Prov. IV: 3. Ezech. XIV: 16. *c* 1. Sam. XIX: 20. Mich. V: 3. *d* Pſ. CVII: 23. & ſæpe Dan. XI.
e ad c. XI: 34.

ximus, Cl. Commentator ad Jeſ. XXXVIII: 2, 3. & alibi ſæpe egit; quare nihil hic addo.

§. CCXLVI. 1. Ipſam nunc conſideremus *liberationem*, hoc uno verbo expreſſam, *& illo ipſo tempore eripietur populus tuus.* Multos Interpretes, ipſum Launæum, de æterna ſalute, per martyrium acquirenda, hic cogitare, mirari ſubit, cum nihil faveat, omnia repugnent. 1. Verbum מלט periculorum & malorum ingruentium *evaſionem*, non oppreſſionem, qua quis e vivis tollitur, & vi ſua, & conſtante uſu, ut c. XI: 41. & alibi, denotat. 2. *Populo* cum ereptio illa adtribuatur, alia nequit eſſe ac externa & temporalis; quia æterna ſalus vel exitium non eſt *populi*, ſeu univerſæ ſocietatis hominum, verum ſingulorum tantum: quos ſolos, & non in corpus communitatis redactos, tangit judicium ultimum. 3. Liberatio, ex hoſtium oppugnatione ac debellatione, cujus conſpectum præbet Michaelis *ſtatio ſuper filiis populi tempore anguſtiarum*, oriunda, alia ac anguſtiarum ceſſatio & hoſtium oppreſſio, populique ab hoſtium infeſtationibus vindicatio, eſſe nequit. 4. Oppoſitio inter eos, qui *liberantur*, & qui *mortui* reſuſcitantur verſ. 2., *illos* non morte abreptos, ſed vivos in ſtatum libertatis adferendos eſſe, clare arguit. 5. Accedit, *liberationem populi* per *finem excuſſionis manus*, vel *diſcuſſionis virium*, *populi ſancti*, explicari, verſ. 7. de quo alibi [a] dixi. Ceterum, cum periodus adflictionis in duo intervalla diſpeſcatur hoc in cap., de quo modo egi, alterum a jugi ablato usque ad mortem Antiochi Epiphanis, alterum inde usque ad Alcimi, improbi Pontificis, exitium, & Bacchidis, ducis Syro-Macedonum, diſceſſum, ſub Jonathane, quando *quies* per *biennium* ſecuta eſt in Israele, & *gladius ex Israele ceſſavit* [b]: *liberatio* populi ad utrumque quidem ſeſe porrigit intervallum, attamen *poſteriori* directius adliganda eſt, adeo ut ipſo illo tempore anguſtiarum poſt mortem Judæ populus

[a] Diſſ. VI. ad Dan. § 33. [b] I Macc. IX: 57, 73.

pulus ſubito & mirabiliter in libertatem fuerit adſertus; & durabilis ſtatus fundamenta jacta ſint. De quo hic plura dixiſſe, cum de eo in Diſſ. ad Danielem diſſeruerim, nihil adtinet.

§. CCXLVII. ו. Sed quid ſibi vult reſtrictio addita, eripietur populus tuus, *omnis qui libro inſcriptus deprehendetur?* Phraſis eſt elliptica, quæ ex aliis ſcripturæ locis varie ſuppleri poteſt, vel *libro Dei* Ez. XXXII: 32. Pſ. CXXXIX: 16. vel *libro vitae* Jeſ. IV: 3. vel denique *domus Iſraelis* Ezech. XIII: 9. Quocunque modo inſtituatur; catalogus verorum Iſraelitarum, in vita ex decreto Dei, ejusque præſcientia & cura, conſervandorum, ac ab adflictione liberandorum, oppoſite ad illos, qui adflictioni ſuccumberent, ſive ad impietatem prolapſi, ſive morte abrepti, durante perſecutione, quin phraſi, omnium conſenſu metaphorica, intelligatur, vix equidem dubitaverim. Præterquam enim, quod in libris V. T., & locis citatis, eum intellectum præbeat, *liberatio* populi, quam temporalem eſſe modo demonſtravi, alium non fert ſenſum. Cum vero multi ex populo per adflictionem illam perirent, morte abrepti, multi etiam liberatione illa indigni forent, quod hoſtibus potius quam tribulibus manus præbuerint, liberationem ad eos directe pertinere, & eorum in gratiam populo concedendam eſſe, qui ſeſe veros præſtiterant Iſraelitas, religionis ſtudioſos, & in vita ſupereſſent, his verbis declarari, generalemque *populi* liberandi phraſin ad eos reſtringi cenſuerim, (ſicut & Pſ. XLIV: 13. *vendidiſti populum tuum* ſine opibus, aut pretio, ſcilicet legis ſtudioſos ex populo, ut ex toto Pſ. patet) ne aut populum nihil detrimenti fuiſſe paſſum, aut impios ex eo hoc beneficio fuiſſe mactatos exiſtimaremus. *Inſcripti libro* itaque ſunt 1. qui verorum Eccleſiæ Judaicæ civium *matriculae* ſunt inſerti, ſancti & religionis ſtudioſi, adeoque *οἱ σωτηρίας ὄντες ἄξιοι qui ſalute digni ſunt*, ut Chryſoſtomus [a] phra-

ſin

[a] Adv. Jud. orat. v. p. nov. ed. 640.

ſin interpretatus eſt, oppoſite ad impios, & apoſtatas e medio populi delendos, ut eſt Ezech. XIII: 9. 2. qui ex genuinis Israelitis in catalogum ſervandorum ac liberandorum a Deo relati, vel, quod eodem redit, ad eam liberationem conſequendam deſtinati, ac in vivis relicti ſunt, oppoſite ad eos, qui morte occubuerunt, & *in pulvere* dicuntur ſcripti, Jer. XVII: 13.; de quibus mox agit prophetia. Quo ſenſu phraſis venit in locis, modo citatis. In quibus acquieſco.

§. CCXLVIII. *Secunda* pericopæ pars, reip. & Eccleſiæ Judaicæ liberatæ inſtaurationem, glorioſumque ejus ſtatum, in Chaſidæorum quoque defunctorum gloriam, ac improborum oppobrium, complexa, phraſibus, ab univerſali reſurrectione ultima petitis, proponitur, his verbis, verſ. 2. *Et multi ex iis, qui in terra pulveris obdormiscunt, evigilabunt, illi ad vitam æternam, & illi ad opprobria ac faſtidium æternum.* Quæ ut ex mente Spiritus Prophetici intelligantur, propriane & univerſalis mortuorum reſurrectio, ultimo mundi tempore futura, an myſtica ſeu metaphorica, ſive reip. & Eccleſiæ in genere, ſive ſingulorum civium in ſpecie, hic depingatur, ante omnia inveſtigandum & definiendum eſt? Improprie enim ſic dictam, & figuratam, reſurrectionem ſacris in libris, quin & exoticis, notam eſſe, nemo ignorat, aut dubitat: ſed eam eſſe duplicis generis, alteram *civilem* & *Eccleſiaſticam* totius populi, alteram magis myſticam ſingulorum hominum defunctorum, obſervari meretur. *Prior* in reip. & Eccleſiæ glorioſa inſtauratione, ſtatui abjecto, disjecto & miſero, oppoſita, quemadmodum *morti vita*, ſita eſt. Sicut enim *civitas*, quæ libertate, pace & proſperitate, gaudet, eaque ratione *conſiſtit*, & ad functiones ſuas apta eſt, viget floretque recte & uſitate dicitur *vivere;* ita contra quæ diſſipata, oppreſſa & ſpoliata, jacet, aptiſſime adpellatur *mortua.* Quare ſtilo Scripturæ *reſurgere* dicitur resp., quæ inſtauratur, & priſtinum recuperat vigorem

ac florem; ut loca, infra [a] citata, nec ignota, docent. Quo *mortui* per Eliſæ defuncti contactum *reſuſcitatio* quoque ſpectavit 2 Reg. XIII: 21., quod obſervo, ad promiſſum ejus, Joaſo modo factum, de Syris profligandis, & Iſraele oppreſſo inſtaurando, confirmandum. Nec inſolitam eſſe hanc figuram ſcriptoribus exoticis, Docti Viri, ut Gatakerus [b] & J. Faber [c], aliique dudum demonſtrarunt. Quo etiam facit, quod civitates, *ſeditionibus* aliisque malis concuſſæ, laborare dicantur *morbo*, apud Diodorum Siculum [d], & alios: ut loca a Cl. Weſſelingio meo adducta demonſtrant. *Poſterior*, magis myſtica, *rei* vel *perſonæ*, quæ contumeliis & oppreſſionibus quaſi ſepulta jacuerat, publicam juſtificationem ac vindicationem comprehendit, ſive ipſa *perſona* ejus ſenſum habeat, ſive non. Qua ratione *duo teſtes* dicuntur *reſuſcitati* Ap. XI. & *martyrum reſurrectio* intelligi ſolet Ap. XX. quæ potius eſt *nominis*, *famæ*, & *cauſæ*, quam ipſius perſonæ reſuſcitatio, niſi quatenus in ſui ſimilibus, tanquam imaginibus tunc florentibus, *reviviſcere* videatur: quemadmodum *David* in ſucceſſoribus, inprimis Meſſia, *Elia* in Johanne Baptiſta, ne alios memorem, vitæ redditus cenſetur. De quo pluribus hic locus non eſt diſſerendi.

§. CCXLIX. Ad ultimam illam & univerſalem reſurrectionem, quam multi hic unice intelligunt, digitum intendi, quin & inculcari illam, mentique prophetæ fuiſſe quoque obverſatam, ut ad quæſtionem, modo motam, definiendam accedam, ſicut phraſes, ab ea ſine dubio deſumtæ, ut facile cum ex *habitatione terræ pulveris*, tum ex diverſa hominum ſorte, altera *vitæ æternæ*, altera *opprobrii æterni*, adparet, & ex comparatione cum parallelis prophetiis Jeſ. XXVI. Ezech. XXXVII. confirmatur, evincunt, ita a *ſcopo* prophetiæ, & *tempore* inſtaurationis Macca-

a Jeſ. XXV: 8. XXVI: 19. Ezech. XXXVII: 1. &c. Hoſ. VI: 2. XIII: 14. Rom. XI: 15. *b* ad Antonin. l. 4. § 48. *c* Semeſtr. L. 1. c. 8, 9. *d* Bibl. l. XI. § 86.

Maccabaicæ, de quo hic omnino agitur, nihil habet adeo alieni, ut dogma illud hoc loco commemorari non poſſit. Mentio enim reſurrectionis in prophetia de temporibus Maccabaicis eo *ſcopo* recte cenſeri poteſt facta, non ut reſurrectionis tempus figeretur, ſed ut *ſors* pie defunctorum in adflictione Epiphanica, ſuo tempore diſtribuenda, explicaretur ad viventium cum *conſolationem* ſuper ſociorum, felici rerum cataſtrophe ſecum non gaudentium, morte & martyrio, tum *corroborationem*, ut, hac ſpe reſurrectionis erecti, ſeſe majore fiducia & alacritate periculis & morti pro cauſa religionis & reip. exponerent. Cui robur accedit, quod hac ipſa ſpe ſibi & aliis animos paſſim hoc tempore addiderint, ut ex 2 Macc. VII. & aliunde conſtat. Nec a *tempore* Maccabaico reſurrectionis, licet longiſſime remotæ, mentio abhorret, *partim* quod hoc ipſo tempore hoc dogma vulgatius ſit factum, uti multa docent, *partim* quod ultima illa reſurrectio in illuſtri inſtaurationis rerum mirabilis ſpecimine hoc tempore ſeſe conſpiciendam præbuerit, *partim* quod felicia Maccabaica tempora cum Meſſiæ adventu connexa & in eum exitura ſint; Meſſiæ vero tempora tanquam mundi ultima, in quibus reſurrectio & judicium univerſale locum reperiret, nec ab invicem longe remota, deſcribi ſoleant. De quo in *ultima* Diſſertatione ad emblematica Danielis vaticinia pluribus diſputavi.

§. CCL. Hæc licet admittam, *reſuſcitationem* tamen, non univerſalem illam & proprie dictam, ſed impropriam & figuratam, ſeu reip. & Eccleſiæ Judaicæ per Maccabæos inſtaurationem, cum Chaſidæorum mortuorum honore, & improborum contumelia conjunctam, directe & primo loco intendi ac deſcribi, ſequentes mihi perſuadent rationes. 1. Primum reſurrectionis non ultimæ & propriæ, ſed impropriæ, & in ipſo temporum curſu futuræ, criterium eſt in eo, quod non *univerſalis* omnium mortuorum, ſed *particularis*, & ad certos homines reſtricta, hic de-

pingatur reſuſcitatio, cujus *duplex* in textu ſeſe offert indicium, alterum in phraſi, *multi* ex *dormientibus*, alterum in morte probroſa, aliorum mortuorum forte, in qua relinquerentur, non reſuſcitandi. *Prius* ſeſe manifeſte mox prodit, cum verba habeant, *multi ex habitantibus terram pulveris evigilabunt.* Quæ phraſis ad univerſitatem mortuorum ſeſe adplicari, quod paſſim putatur, nullo modo patitur. Etſi enim *multi* per ſe non excludant *omnes*, ſed *omnes*, magnam multitudinem conſtituentes, denotare poſſint, quod exempla a Docto Grammatico & Interprete Hackſpanio [a], & aliis prolata tantum demonſtrant: vox tamen רבים *multi* cum præp. מן *ex*, *de*, ut hic, conſtructa, *omnes* nequit involvere, cum præp. *ex* exceptionem contineat, & reſiduos, a *multis* diſtinctos, requirat. *Multi mortui*, *multi ex morte* reſurgent, de omnibus mortuis dici & accipi poſſet, ſed *multi* ex inferorum incolis, aut *pulverem* inhabitantibus, non magis poſſunt *omnes* eſſe, ac *multi ex* civibus, ex hominibus, omnes cives, omnes homines, nemine excepto. Poſſent *multi dormientium* ſtilo Orientali pro *univerſitate* ſumi, ut *multum oſſium*, רב עצמותי Job. IV: 14. & alibi, pro *omnibus*, ut ibi notavit Cl. Commentator; ſed, præterquam quod id rarius ſit, phraſes, *multi ex dormientibus*, & *multi aut multum dormientium*, nimium differunt.

§. CCLI. Accedit *alterum* reſtrictionis indicium, licet minus obvium, clarum tamen & certum; quod mortuorum diſcrimen, aliis evigilaturis, aliis in morte relinquendis; exhibet, in verbis textus haud obſcure comprehenſum. Quod ut in lucem prodeat, *duo* in membra dividantur verba, quæ ambo diſtinctionem hominum continent, ſed *alterum* antecedentem, *alterum* conſequentem utriusque hominum partis ſtatum. *Prius* mortuos diſtribuit in eos, qui evigilarent, & qui in ſtatu mortis manerent: *poſterius* cum *reſuſcitatorum*, tum reliquorum in pulvere

[a] in Sylloge Disput., & ad h. l.

vere terræ perſeverantium, diverſam conditionem, *illorum* glorioſam & beatam, *horum* contemtibilem & execrabilem, ob oculos ponit. Quo ſenſu voculæ, אלה & אלה *illi* & *illi*, non dividunt, ut putatur, *reſuſcitatos*, ſed *reſuſcitatos* & *reſiduos in pulvere.* Cum enim in *priore* membro, *multi ex habitatoribus terræ pulveris*, homines fuiſſent in duos ordines diſtributi, quorum *alii* evigilarent, alii in morte manerent, quod phraſis, *multi ex dormientibus*, omnino inſinuat: mox in *ſequente* membro utriusque claſſis hominum oppoſitus ſtatus repræſentatur. *Priores* ergo אלה *illi* ſunt reſuſcitati, *poſteriores* vero אלה *illi* ſunt relicti in morte. Quod vero ad phraſes adtinet, *illi ad vitas æternas*, *illi ad opprobria æterna*, eæ hac ratione ſunt ſupplendæ, ut vel in priore parte verbum *evigilare*, & in poſteriore verbum *habitare in terra pulveris* repetatur, quod facillimum eſt, vel ל ſtatum conſequentem ſimpliciter exprimat, & ſeorſim ſtet, hoc modo: *illi ut vitam æternam habeant*, *illi ut opprobria* æterna vel habeant, vel ſint. Quo nihil eſt vulgatius, ut multa evincunt exempla: quorum unum alterumve tantum infra [a] citabo; plura dabit Noldius [b].

§. CCLII. Hæc interpretatio, quam Cl. Coccejo quoque fuiſſe obſervatam poſtea lætus animadverti, haud una ſeſe commendat ratione. 1. Uſitata phraſios, *multi ex habitantibus terram*, ſignificatio, qua diviſionem & ſeparationem *multorum* ab illis, ex quibus eſſe dicuntur, deſignat, retinetur, & alias conſervari nequit: quod tamen neceſſe eſt. 2. Uſus quoque verbi יקץ *evigilare*, abrupto & excuſſo ſomno, non niſi in bonum, inprimis reſurrectionis ex morte reſpectu, ut Pſ. XVII: 15., quoque exigit, ut de multis, ad vitam æternam evigilandis, tantum intelligatur. *Evigilare* ad opprobrium æternum, eſt inſolitum, nec ferendum. 3. Poſterius hocce verſus mem-

 brum,

a Jer. VII: 6. XXXII: 39. Ez. XIII: 20. 1 Sam. X.: 30.
b de Particul. p. 409.

brum, *illi ad vitam*, *illi ad opprobrium*, ſicut verbum *evigilare* ad multos reſtringendum, non ad omnes mortuos extendendum eſſe, cum *vita* ſit neceſſarium *evigilationis* conſequens, ita reliquos tanquam in morte relictos conſiderandos eſſe arguit, cum voces *opprobrii* & *faſtidii* nos ad cadaver aliquod abjectum & foetidum ducant. Quod in priore obſcurius, in poſteriore clarius conſpicitur. Prior vox חרפות in origine *ſtrictionem*, *carpturam* & lacerationem comprehendit, & ad cadaver lacerandum, canibus avibusque objectum, tendit. Poſterior vero דראון cujuscunque ſit originis & poteſtatis, de quo variæ exſtant Interpretum conjecturæ apud Cl. Capellum *a* & Vitringam *b*, qui & ipſi nihil certius adtulerunt, foetidi alicujus cadaveris, quod faſtidium creat & horrorem, ideam ſuſcitat Jeſ. LXVI: 24. ubi, præter noſtrum locum, tantum reperitur. Græca verſio Jeſ. LXVI: 24. εἰς ὅρασιν ad radicem ראה conformata, ſive לראון legerint, ſive ד in דראון pro præfixo Aramæo habuerint, ſeſe hac ſolum ratione tueri poſſet, quod ראה, ut & חזה, *videre*, *intueri*, pro *deſpicere* quoque & *contemnere*, uti in obſervationibus ſuis ad Jobum dudum notavit Cl. Schultens *c*, venire ſoleat. Quo ſenſu εἰς ὅρασιν *ad deſpectum* idem foret, ac, quod Gr. verſio noſtro loco habet, εἰς αἰσχύνην *ad opprobrium*, & pro εἰς παρόρασιν ſumi deberet. Sed rectius ſine dubio Cl Coccejus alibi *d* דראון contulit, ex litterarum ד & ז, more Chaldaico, commutatione, cum voce זרא Num. XI: 2o., quod etiam calculo ſuo confirmavit Cl. Simon *e*, radicibus זרה, זרא, זור, & Arab. ذار *faſtidire*, *contemnere*, advocatis. Utique Heb. זור a propria *torquendi*, & *flectendi* poteſtate, quam continet, ſeſe inter alia facili via flectit ad *alienum* & *alienatum*, *averſum* & *diverſum*, indeque ad *faſtidium abhorrens*; quem uſum variis in locis *f* exſerit.

Sed,

a oper. Poſthumis ad Jeſ. LXVI: 24. *b* ad Jeſ. l. c. *c* Job. VIII: 15. *d* in Lex. ad rad. זור. *e* Arcan. form. p. 172. *f* Num. XI: 20. Pſ. LXXVIII: 30. Job. XIX: 13, 17. & alibi.

Sed, cum ipſa radix نصر ſuperſit in lingua Arab., cujus primaria *ſpargendi* poteſtas eſt, ſpecialis vero uſus in *purulentia peſtifera*, qualis eſt *bubonis* foetidi, & tabea pure *foetorem ſpargentis*, ac horrorem incutientis; in ea pedem figere ratio jubet.

§. CCLIII. 4. Ingens momentum denique addunt prophetiæ parallelæ, quæ, de iisdem temporibus, de quibus hic, agentes, & eadem *reſuſcitationis* phraſi figurata uſæ, vivificationem ſoli Eccleſiæ, ſeu populo Judæo, adtribuunt, excluſis hoſtibus & improbis, qui morti in perpetuum dandi dicuntur. Jeſ. XXVI: 14. *mortui non reviviſcent, exanimati non reſurgent: propterea viſitaſti & exterminaſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum*, quando verſ. 19. ſubjungitur, *vivent mortui tui, cadaver meum, reſurgent. Expergiſcimini & cantate habitatores pulveris, quia ros oleorum ros tuus, & terra mortuos edit.* Quod c. XXV: 8. dictum erat, *abolebit mortem in æternum*, vel purum putum. Notabilia in primis in rem noſtram verba ſunt Jeſ. LXVI. 24., quibus prophetiam de temporibus Epiphanicis ſeu Maccabaicis claudit: *& egredientur, ac videbunt cadavera hominum, qui a me defecerunt, quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur, & erunt faſtidio execrabili*, דראון, *omni carni.*

§. CCLIV. 2. *Secundum* reſurrectionis, non propriæ, ſed impropriæ, criterium exhibet, quod de improbis nihil aliud dicatur, ac quod, inſtar cadaveris lacerandi & foetidi, *contemtui* eſſent & *execrationi* in *perpetuum*, quamdiu ſcilicet resp. ſtaret aut Eccleſia, adeoque memoria eorum, foret maledicta, & nomen abominabile, oppoſite ad pios & legis ſtudioſos, quorum nomina forent in benedictione, & aliqui etiam eorum in ſumma gloria & dignitate poſiti, fulgerent inſtar *firmamenti*, & *ſplendeſcerent inſtar ſtellarum.* Quæ nos ad eorum fata inter homines in hac vita ducunt, nihil de cruciatibus, ultimum judicium ſecuturis, expreſſe continent. 3. *Tertium* characterem

rem in *nexu* cum præcedentibus quæro, & invenio. Præterquam enim quod prophetiæ de Epiphanica adflictione immediate ſubnectatur, *tempori anguſtiarum* directe opponitur, & cum *liberatione*, eo ipſo tempore futura, arctiſſime copulatur. Quæ *reſurrectionem* & eidem tempori adligant, & in *liberatione* illa ſitam eſſe evincunt quam clariſſime. 4. *Quartum* criterium figit phraſis, *finis dierum illorum* verſ. 13., cui Danielis ſors, in illa reſurrectione, adnectitur; quam nos ad tempora Epiphanica & Maccabaica adſtringere, ex ſupra disputatis manifeſtum eſſe reor, 5. *Quintum* characterem prophetiæ ſiſtunt parallelæ, cum Jeſ. XXV, XXVI, LXVI., tum hujus noſtri libri c. II, & VII., quæ in glorioſa reip. & Eccleſiæ Judaicæ inſtauratione, hoſtiliumque regnorum & improborum excidio, tempore Meſſiæ complendis, terminantur, nec abſimilibus ſub phraſibus. De quo in Diſſ. ad Dan. diſſerui fuſius. 6. Addantur denique, quæ ſupra [a] de hypotheſi hanc pericopam exponendi disputata ſunt; quæ & pro myſtica reſurrectione pugnant fortiter, ut facile adparet. Quare plura non addo.

§. CCLV. Verum enim vero cum *duplex* ſit reſuscitatio figurata, *altera* populi & Eccleſiæ, civilis & Eccleſiaſtica, in utriusque collapſæ inſtauratione, *altera* ſingulorum, vere mortuorum, in nominis & cauſæ eorum juſtificatione ac celebratione ſita: utramque quidem hic admittendam, ſed *poſteriorem* directius & ſenſu primo, *priorem* tanquam cum ea connexam, ſenſu divite & ſecundario, cenſuerim, ob has rationes, 1. Præterquam quod phraſis, *dormire in terra pulveris*, nos ad mortuos, proprie dictos, ducat, eaque generalis ſit, quæ, uti recte notavit Cl. Schultens [b], æque impios ac pios, hos vivificandos, illos in morte relinquendos, complectitur: diverſitas phraſium, *inſcriptionis libro* verſ. 1., & *recubationis in pulvere terræ*, noſtro verſu, proprie ſic dictos mortuos hic intelligen-

a § CCXXXV, &c. b ad Job. III: 13.

ligendos eſſe, exigere videtur, cum *inſcripti libro & dormientes in terra pulveris* ſibi videantur opponi. *Inſcripti* autem, ut ſupra vidimus, illi ſunt ex populo, qui ſuperſtites manſerunt in vivis; *recubantes* ergo in terra eos deſignent neceſſe eſt, qui per tyrannidem Epiphanicam, aliisque modis, aut occiſi ſunt, aut occubuerunt. 2. *Dormientes terræ pulveris* ſi metaphorice oppreſſum populum in genere depingant; difficiles non tantum habet explicatus, quod *alii* dicantur ad vitam evigilaturi, *alii* in ea morte relinquendi & opprobrio futuri, ſed qua ratione improbi, & legum, ſeu abnegatores, ſeu conculcatores, improprie dici queant cum piis oppreſſi, diſſipati & vexati, cum inter oppresſores potius fuerint, & perſecutores, & finita oppresſione deleti, vix ac ne vix quidem percipitur. 3. Haud exiguum pondus addit, quod ipſe Daniel mortuis revicturis, & inſtar ſtellarum refulſuris, accenſeatur verſ. 13. *Et tu ito ad finem, & requieſces & ſtabis in ſorte tua fine dierum.* Dormientes itaque in pulvere oportet ſint proprie dicti mortui, qualis *Daniel* tum fuit. 4. Accedit, *mortuos tuos*, ſeu *Dei*, in prophetia parallela, Jeſ. XXVI. primo ſenſu eſſe martyres, cauſa fidei & religionis occiſos, ut recte Cl. Commentator obſervavit, *cadaver vero meum* ad ipſum Prophetam, tunc etiam, ut hic de Daniele dicitur, reſuſcitandum, recte referri; nec alio ſenſu *teſtes veritatis* Ap. XI. ac *martyres* Ap. XX. reſuſcitandos repræſentari: uti a Cl. Vitringa & aliis dudum demonſtratum eſt.

§. CCLVI. Intelligamus itaque primo ſenſu vere *mortuos*, & ſicut verſ. 1. de populo liberando, qui tunc ſupereſſet, ita noſtro de *mortuis*, durante adflictione e medio ſublatis, agi, eorumque diverſam in hac populi liberatione ſortem deſcribi, ſtatuamus, quorum alii *reviviſcerent*, alii in probroſo ſtatu mortis perſeverarent, *illi*, quotquot legis ſtudioſos ſeſe præſtiterant, & fidem morte confirmaverant, *hi* vero quotquot vel defecerant, vel im-

pietati manus præbuerant, &, durante calamitate, vel occubuerant, vel morte adfecti erant, ſive ab ipſis hoſtibus, ſive a Maccabæis deleti. *Priores reviviſcerent*, quatenus 1. nomen eorum, antea obſcuratum ac maledictum, tunc honoraretur, laudaretur, & celebraretur, tanquam qui Deo, religioni, & virtuti ſeſe fidos præſtiterunt, & pro bona cauſa ſtrenue pugnarunt, 2. cauſa religionis, pro qua certarunt, animasque effuderunt, triumpharet, & glorioſe renovaretur, 3. populus, cujus membra ſunt, & cauſam fortiter egerunt, inſtauraretur; eaque ratione & ipſi in ejusdem fidei & ſtudii conſortibus ſuperſtitibus ac florentibus reviviſcerent. *Mortui* enim recte dicuntur in vitam redire, cum ejusdem civitatis & Eccleſiæ participes vigent, florentque, vel homines oriuntur, eodem Spiritu acti: ſicut ſupra obſervavi. Quo nihil eſt certius & vulgatius. Conſulantur præter alios Viri eruditi Cl. Vitringa [a], & autor Gallicus *quinti imperii* [b]. Cum vero Daniel inter religionis confeſſores illuſtre nomen habeat, hæc ipſa fata clare præcinerit, multum etiam ad Chaſidæos confirmandos & accendendos ſuis vaticiniis contulerit, ipſe præ aliis recte dicitur ſortem in hac reſuſcitatione habiturus; tanquam religionis ſtudio flagrans, & illuſtris verusque propheta, celebrandus. Reliqui vero mortui, homines improbi, & religionis patriæ deſertores vel conculcatores, & perſecutores, contemtui forent, deteſtationi & execrationi, adeoque in morte probroſa relinquendi. Quæ non ſunt difficilia.

§. CCLVII. Nec tamen hanc mortuorum, quam deſcripſi, ſolam, verum populi, ſeu civilem & Eccleſiaſticam, reſuſcitationem, eum ſuperiore arctiſſime connexam, intendit prophetia, ita ut verba ad eam quoque ex mente Spiritus prophetici adplicanda ſint. Præterquam enim quod mortuorum nomen & cauſa juſtificari ac celebrari non, niſi inſtaurata rep. & Eccleſia, potuerit; ipſa reſuſ-

a ad Jeſ. xxvi: 19. Ap. xx: 4. b cap. 11.

reſuſcitatio eorum in reip. & Eccleſiæ florente ſtatu renovato, & aucto, ſita fuit, mortuis in ejusdem Spiritus & animi hominibus vitam novam recuperantibus: ut modo expoſui. Quo verſ. *tertius* quoque, ut mox patebit, manifeſte tendit. Verba denique ita ſunt ordinata, ut civilem hanc & eccleſiaſticam reſuſcitationem ob oculos ponere queant. Etſi enim orationis ſtructura ad proprie dictos mortuos directe & primo ſenſu nos ducat, poteſt tamen ſenſu remotiore, & magis myſtico, ad omnes eos adplicari, qui, rep. perturbata, & populo disjecto, ac religione abolita, bello quoque civili & inteſtino exorto, tunc communibus malis fuerunt impliciti, periculis & morti continuo expoſiti, pii ſive fuerint ſive impii; qui omnes leviore ſenſu reputari poſſunt *mortui*, in *terra pulveris recubantes*, cum quod resp., cujus omnes erant membra, fuerit diſſipata & confracta, tum quod, bello ſuſcitato, omnes fuerint in præſenti mortis periculo verſati, licet diverſa de ratione, pii, ut religionem tutarentur, impii, ut ſoli dominarentur, & primas tenerent; tum quod impii etiam per ipſam improbitatem, ac defectionem a lege, cenſeri poſſint ſpiritualiter *mortui*. Rebus dein in melius mutatis, & meliore populi parte cauſam obtinente, *multi* illi *revixiſſe* cenſentur, quum remp. inſtaurarunt & religionem; quæ eorum fuit *reſuſcitatio*; *reliqui* vero, ſive adhuc ſuperſtites, ſive mortui, fuerunt opprobrio, & execrationi, a communione populi Dei excluſi, & malæ conſcientiæ, iræque Dei traditi, ſine conſolatione, ſine bonorum, populo conceſſorum, participatione, adeoque ſine *vita*. Quo ſenſu Judæi, Euangelio inobedientes, & a Deo reprobati, in ſtatu mortis probroſæ verſari dicuntur; de quo legendus eſt Cl. Commentator ad Jeſ. LXVI: 24.

§. CCLVIII. Subjungit prophetia eorum, qui *inſtrumenta* fuerant liberationis populi, & reſuſcitationis mortuorum, modo explicitæ, ſortem felicem & glorioſam, qua

in rep. inſtaurata fruerentur cum ſuperſtites, tum in iis mortui; his verbis verſ. 3. *& Doctores ſplendebunt inſtar ſplendoris expanſi; & qui juſtificarunt multos inſtar ſtellarum in ſeculum & æternum.* Occurrunt hic *doctores & juſtificatores*, qui utrique quidem *ſplendeſcerent*, ſed diverſo gradu, *illi* inſtar ſplendoris *firmamenti*, *hi* inſtar *ſtellarum. Doctores* adpellantur illi ex populo, qui cum adflictionis tempore populum inſtruxerunt, & *maturos* reddiderunt, ut legi & religioni patriæ conſtanter adhærerent, ad mortem usque, de quibus ſupra *a*, quantum ſatis eſt, dixi, tum deinceps, rep. reſtituta, eo munere functi ſunt. *Juſtificatores* vero *multorum*, ex mea opinione, ſunt Maccabæi, eorumque ſimiles, qui cauſam populi adflicti, & religionis oppugnatæ, ſtrenue tuiti ſunt, vindicarunt, & res eo redegerunt, ut bona & pia cauſa tandem caput extulerit, & triumphaverit. Quæ populi vindicatio & reſtitutio in integrum nomine *juſtificationis* recte venit, quatenus *juſtitia* cauſæ populi, & *veritas* religionis, in publicam lucem protracta eſt, ab omnibus *præjudiciis* contra eam, & *calumniis* ex oppreſſione populi ortis, liberata. Quod alias *opprobrium populi removere*, & *velum* gentibus, reſpectu religionis & gentis Judaicæ, impoſitum, *abſorbere* dicitur, Jeſ. xxv: 7, 8. De quo Cl. Commentator legendus eſt. Quo etiam facit, quod de *Juda* habet autor *primi* libri Maccab. III: 6. *ſalutem fuiſſe directam in manu ejus.* Nec multum abit titulus *Judicum*, quo antiqui heroes, qui populum ab oppreſſoribus liberarunt, in libro *Judicum* inſigniuntur; alibi etiam *ſervatores* Obadj. 21. adpellantur. Ipſum δικαιῶν apud Græcos Helleniſtas pro *defendere* & *vindicare* uſurpatur; uti notum eſt. Nec ſine ratione additur הרבים, qui juſtificant *multos*, ſive ad *multos* ex *pulvere terræ reſuſcitandos*, quod per publicam eorum juſtificationem, ut ſupra expoſui, fieret, reſpiciatur; ſive per *multos* hic in genere univerſa multitudo civium

a ad c. XI: 33.

vium intelligatur. *Multi* enim pro *populo* a, oppoſite ad Dynaſtas, nec non *militibus* b, oppoſite ad Duces, veniunt apud Græcos quoque & Latinos; ſicut hic a *doctoribus* ac *vindicibus* diſtinguuntur.

§. CCLIX. De utrisque, & Doctoribus & *juſtificatoribus*, dicitur, eos *fulſuros in æternum & ſeculum.* Oratio enim ita conſtructa eſt, ut & verbum *ſplendeſcere*, & voces *in æternum ac ſeculum*, ad utrosque ſeſe porrigant; quo nihil eſt in elegantiore ſermone vulgatius. *Splendor* vero iſte, mortuis æque ac vivis adtribuendus, *illorum* quidem ſitus eſt in *reſuscitatione* & vivificatione glorioſa, ſupra expoſita, ſeu in nominis & cauſæ eorum celebratione, ac munerum eorum continua ſucceſſione renovata; *horum* vero, ſeu *vivorum*, in eo 1. quod, antea per falſos & impios doctores obſcurati, nunc ab eorum communione ſeparati, pro veris doctoribus ac vindicibus populi haberentur, & publice agnoscerentur ſoli. 2. quod ob operam præſtitam laudarentur & celebrarentur publice & in æternum: ſicut de *Juda* Maccabæo habetur, *ejus memoriam benedictioni eſſe in æternum*, 1 Macc. III: 7. & *maximam poſt ſe reliquiſſe gloriam*, *ſuique memoriam*, ut Joſephus c habet, nec non de *Simone* c. XIV: 10. *famam gloriæ ejus ad ultimas usque terræ oras perveniſſe.* 3. Quod multa *gloria* cumularentur & proſperitate, 4. denique præclariſſimis fulgerent in rep. & Eccleſia dignitatibus. Qui *ſplendor* non ad breve tempus foret, ſed in *æternum* & *ſeculum*, ſive reſtricte, quamdiu ſteterit resp., nunquam hac ratione in poſterum obfuſcandus; quem ſenſum voces illæ, uti notum, frequenter ferunt; ſive *abſolute*, quatenus *partim* in Eccleſia Chriſti continuaret, quæ pro complemento Eccleſiæ Maccabaicæ haberi ſolet, ut pluribus in Diſſ. *ad vaticinia Danielis emblematica* adſtructi & expoſui, *partim*

 tim

a Vid. Diod. Sic. l. x. c. 86. p. 96. l. xx. c. 92. p. 473. Polyb. l. I. p. 13. fin. III. p. 220. § IV. p. 416. & alibi ſæpe.

b Vid. Polyb. l. I. p. 45, 47, 111, 120. III. p. 274, 299, 358. & alibi frequenter. c Ant. l. XII. fin.

tim in vita æterna, ſeu ſeculo futuro, ſine fine conſummaretur. Ceterum concinit ex parte ſimile Jeſ. XXX: 20. luculentum vaticinium, ad populum reducem ab exilio Babylonico, & dein etiam inſtauratum per Maccabæos, pertinens: *& ut dederit vobis Dominus panem anguſtiæ, & aquas preſſuræ; non tamen amplius in obſcuro delitescent Doctores tui, ſed oculi tui videbunt Doctores tuos.* Sic & Jer. III: 14, 15. *& adſumam vos unum ex urbe, & duos ex familia, & reducam vos in Tſionem; & dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcienter ac prudenter.*

§. CCLX. Peculiarem meretur animadverſionem ſplendoris diſcrimen, quo *Doctores* & *vindices* populi fulgerent, ex comparatione *illorum* cum *ſplendore expanſi*, *horum* vero cum *ſtellis*, eruendum, Interpretibus non obſervatum, vel non recte explicitum. *Splendor* enim *expanſi* non eſt *ſtellarum* in expanſo, cum *ſtellæ* ſeorſim memorentur, ſed *ſapphirinus*, & nitidus, coeli adſpectus; uti recte vidit Jacchiades *a*, & ex Ezech. VIII: 2. *ſicut adſpectus ſplendoris, ſicut color* חשמלה *metalli* proprie, ex *auro* & *ære conflati*; quod χαλκόχρυσον, & χαλκὸς χρυσοειδὴς adpellatur, ex נחש *æs* et מלל *aurum rude*; uti Cl. Bochartus *b* obſervavit. *Vindices* vero ubi cum *ſtellis* comparantur; eos ſumma ac ſplendidiſſima in dignitate fore poſitos, ſuprema in rep. & Eccleſia auctoritate ac poteſtate præditos, inſtar *ducum* & *pontificum*, indicatur. Quales *ſiderum* & *ſtellarum* emblemate repræſentari per omnes linguas, notius eſt, quam ut demonſtrem. Videri poterit Cl. Simon *c*, qui alios etiam citavit autores, quos & ipſe proferre poſſem. *Sol & luna pro viris ſplendidis ac præpotentibus utramque implent paginam in ſcriptis Arabum*, inquit harum rerum peritiſſimus Cl. Schultens *d*. Reſpici vero ad *ſtellas*, a *parvo cornu* in terram dejectas & proculcatas, Dan. VIII: 10., nunc glorioſe in *coelum*, ſeu ſummam dignitatis ac poteſtatis

a d. h. l. *b* H. p. II. l. VI. c. 16. *c* Onom. p. 581. *d* Job. XXXI: 26.

ſtatis ſedem, reſtituendas in Maccabæis, ſupra jam nota-vi, nec res difficilis aut dubia eſt. Quam exacte vero hoc in Maccabæis ducibus ſimul, ſimul Pontificibus, impletum ſit, nemini quoque non conſtat.

§. CCLXI. Illud non erat negligendum, *doctores* & *vindices* hic in ſcenam *ſiſti*, tanquam qui una *coelum* aliquod populi, cum *terra* comparari ſoliti, conſtituerent *lucidum* & *ſplendidum*, cujus influxu & directione populus illuſtraretur & gubernaretur. Quo manu quaſi ad magnum *Synedrium*, tempore Maccabaico erectum, & ſupremis ducibus adjunctum, in regimine populi, ſimul ducimur. Quo Jeſ. XXIV: 23. *quia regnabit Jehova in monte Tſionis, & Hieroſolymæ & coram ſenioribus ejus* erit *gloria*, quoque reſpici, præclare docuit Cl. Commentator. De quo *regno* divino & coeleſti, tunc condito, & poſtea in Eccleſia Chriſtiana conſummato, me pluribus in Diſſertationibus ad Danielis vaticinia diſſeruiſſe, memini. In quibus acquieſco.

F I N I S.

CATALO-

CATALOGUS PRÆCIPUORUM
LOCORUM
S. S. QUI IN HOC COMMENTARIO ILLUSTRANTUR.

G E N E S.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXX.	33.	552.
XLIX.	24.	304.

E X O D.

XXXII.	25.	491.

N U M E R.

XXIV.	17.	470.
——	24.	587.

J O S.

IX.	2.	698.

J U D I C.

VII.	13.	317.

1 S A M.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	24.	365.

2 S A M.

V.	17.	553.
VI.	7.	558.
XVII.	3.	648.
XXIII.	9.	496.

2 R E G.

XIII.	21.	730.
XXIII.	7.	662.

2 C H R O N.

XXXV.	21.	41.
XXXVI.	20.	72.

PSALM.

PSALM.

Cap.	Verſ.	Pag.
XLII.	5.	553.
LXXX.	15. fin.	314.
——	16.	424.
LXXXVII.	3.	281.
XCIV.	20.	715.
CVI.	38.	613.
CXVIII.	22.	628.

ECCLES.

XII.	13.	648.

JESAI.

VII.	8.	88, 89.
——	14.	378.
X.	4.	499.
—	25.	652.
—	27.	321.
XIX.	17.	318.
XXII.	2.	62, 63.
XXIV.	5.	613.
XLI.	14.	312, 628.
——	25.	14.
LIX.	18, 19.	321.
LXV, LXVI.		606.

JEREM.

XXV.	11, 12.	87.

THREN.

IV.	22.	384.

EZECH.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	4. *ſeqq.*	721.
V.	2.	88.
XXVIII.	3.	276.
XXXVIII.	12.	716.

DANIEL.

VI.	2, 3.	104.
IX.	2, 23.	90, 91,
—	27.	609.
X.	13.	92, 284.
—	20.	136.
XI.	1.	91.
XII.	4.	622.
——	13.	7.7.

HOS.

VI.	7.	319.
XII.	1.	282.

JOEL.

IV.	10.	628.

AMOS.

I.	5.	212.
V.	6.	553.

JON.

IV.	5.	698.

M I C H.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	12.	19.
II.	13.	371.
IV.		ib.
—	7, 8.	372.
—	11.	613.
—	13.	196.
V.	2.	378.
—	4.	319, 321.

H A B A C.

I.		26.
—	6.	218.
II.	16.	437.

H A G G.

II.	5.	623.
—	22.	166.

Z A C H A R.

I.	15.	282.
V.	9.	616.
VI.	1. *ſeqq.*	15, 166.
IX.	8.	437, 473, 512.
—	13, 14.	331, 332.
X.	11.	390.
XII.	2.	715.
—	8.	628.

1 M A C C A B.

I.	20. *ſeqq.*	580 *ſq.* 596.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	34.	608.

2 M A C C A B.

V.	1 *ſeqq.*	581, 596.
X.	3.	295.

M A T T H.

XI.	12.	470, 475.
XXIII.	39.	398.
XXIV.	3 *ſeqq.*	395.
—	29.	400.
—	30.	363.
XXVI.	64.	364.

M A R C.

XV.	44.	585.

L U C.

XXII.	29, 30.	366.

A C T.

I.	6.	394.
III.	19.	398.
VII.	26.	698.

J A C O B.

I.	11.	704.

A P O C.

VIII.	7.	16.

INDEX

INDEX VOCUM HEBRAICARUM,

QUARUM GENUINA SIGNIFICATIO VEL USUS IN HOC COMMENTARIO EXPONITUR.

א.

Pag.

אבדון In ſpec. dicit *infernum* שאול, quin & *vaſtatorem*. - - - - 715.

ארם nonnunquam *Gentiles*, oppoſite ad Iſraelem, notat. - - - - - 319.

איל proprie notat *appactum*, *craſſitie concretum*; unde ad *divitias*, *fortitudinem*, *præeminentiam*, tranſiit. - - - - 647, 648.

אחד & חד aliquando ſimpliciter *aliquem* denotat. 109.

- - - venit pro *eximio*, ſingulari, *unico* ſui generis. ib. 285.

אחרית pro *poſteritate*. - - - - 263.

איים proprie, ab איי vel אוי *flexit*, denotat *flexum* litus, & uſurpatur pro *tractu litterali* & maritimo, ſpec. pro *inſulis* vel peninſulis. - 493, 494.

אבל Arab. pro *turpe lucrum captare*, *vexare* ſubditos. 103.

אל absolute & in ſing. de Deo uſurpatum, non niſi verum *Deum* denotat, ita dictum, quod ſit potentiſſimus. - - - Pag. 646.

-- אלים in epitheto Dei אל אלים non ſunt *Dii*, ſed *primi*, vel *fortes* & potentes. - 648.

אלה proprie *adſtrinxit*, *conſtrinxit*, ſpec. vinculo *jurisjurandi*. - - - 647.

אלה proprie *pavere*, *ſtupere*; unde.

אלוה *Numen tremendum* denotat. - - 664.

אלף proprie *arctius jungere*, *copulare*; unde tranſiit ad *adſuefactionem*, *amicitiam*. - 661.

אמת proprie *firmum* & *ſtabile* dicit, & de *vera* Religione uſurpatur. - - 293, 294.

אנוש hominem *infirmum* deſignare ſolet. - 11.

אנף & נוף orig. habent in *ſupereminentia & vibratione*, unde transf. ad *naſum*, & naſi affectionem, adeoque ad *iram*, faſtum, *tremendam* poteſtatem &c. - - - - - - 515.

אפר Arab. *eminere*, *immittere*; unde אפרה *amiculum*, & אפור *pallium ſuperhumerale* Pontificis M. 712.

אפרן de v. h. ſignif. & origine fuſe differitur. ib. & *ſeqq.*

ארץ Chald. & Hebr. ארץ proprie quod depreſſum & *inferius* eſt ſignificant; unde *terræ* ſignif. fluxit. 53.

את Partic. ſæpe vim habet δεικτικήν. - 138.

אתה aliquando notat *ſupervenire*, inopinato invadere 360, 429.

ב.

Pag.

ב Præf. aliquando *intimam* rei *naturam* exprimit. 293.

בג *fratum*, *cibus*, a Rad.

בגג, quæ, ut & בג׳ & בזג, orig. habet in *rumpendo*; inde *farcire*, diſtendere *ventrem*. - 572.

בהל propr. habet in *quatiendo*; unde Niph. *præcipitem feſtinare*, it. *conſternari*, ſ. mente excuti. 705.

בוא pro ſubito & hoſtiliter *irruere*. 217, 429, 700.

--- ſæpe *introeundi* habet ſignif. & de intimo ac familiariſſimo commercio uſurpatur. - 414.

בוז vid. mox בזא.

בין proprie *vim ſecantem* notat, quæ res articulatim diſtinguat, discernat & penetret. - 621.

בזא, בזה, בזז, & בוז, proprie *trahere*, ſpec. *per terram*, inde *incurſare*, ac q. pedibus conculcare, & graviſſima afficere *contumelia*, etiam *violenter ſubigere*, & *diripere*. - - 521, 557.

בזר proprie *manu traxit*, inde *ſparſit* cum ventilatione. - - - - 559.

בחור ſpec. de *juventute bellica* uſurpatur. - 478.

בלא & בלה proprie *terere*, *adterere*; inde & *adfligere*. - - - - - 271.

בן *filius* non raro præcipuum & eminentiſſimum notat. - - - - - 726.

בסך *greſſum glomeratum*, & *alacriter textum* denotat. 553.

בצר propr. habet in *præcidendo*, *præſecando*. 561.

Pag.

בצר Nom. *aurum* unde ſic dictum ? - ib.

בנה proprie *ligare*, *religare*. - - 726.

ג.

גדל proprie *multis filis implicari*, *denſius intorqueri*; unde tranſf. ad *divitias* & fortunas, ad *robur* & magnitudinem, nec non ad *disceptationem* & digladiationem. - - - 154, 286, 567.

גוי titulus paſſim Gentium, Iſraeli tamen ſubinde applicatur. - - - - 723.

גם proprie *glomeratio*, inde *vigor currendi*, a Rad.

גמם, quæ, ut & גמא & גמה, orig. habet in *glomerando*, inde *accedere* numero aliorum; unde & pro *vigore inexhauſto*, vena continua virtutis, liberalitatis &c. adhibetur. - - 543.

גרה proprie *adglutinavit*; unde ad animalia mordicus inter ſe præliantia, ut canes &c. tranſiit. 445.

ד.

דב *urſus* a Rad.

דבב *repere*, *reptare*; unde ad *linguam maledicam* tranſiit. - - - - 98.

דבק proprie *conglutinatus fuit*, inde firmiter *adhæſit*. 243.

דבר *loqui* pro pacem & amicitiam ambire. 281, 576.

דראון deriv. ab Arab. درا propr. *ſpargere*, unde uſurpatur de *tabeo pure*, & *purulentia peſtifera*, foetorem ſpargente. - - 734.

ה.

ה.

Pag.

ה Parag. vocibus addita, ſuperlat. format apud Hebræos. - - - 448, 449.

הגל proprie *vaporem*, inde *idolum* denotat. 294.

הדר orig. habet in *tumore fervescente* unde uſurpatur de *palma*, flores largiter profundente, & *arcibus* tumide elatis; transf. ad *reverentiam*, *decus ſplendidum*, Majeſtatem. - - 513.

המן propr. habet in *æſtuando*, unde transf. ad multitudinem *concurſantem*. - - 457.

ו.

ו aliquando habet vim repetendi & explicandi, *ſcilicet*, *inquam*. - - - 672.

——— concludendi, vertendum per *itaque*, *atque ita*. - - - - 710.

ז.

זור proprie *torquere*, *flectere*; unde transf. ad *alienum*, *alienatum*, *averſum*, *diverſum*, inde ad *faſtidium abhorrens*. - - - 734.

זעם orig. habet in *ſpumando*, unde transf. ad *ebullientem* quaſi & efferveſcentem *iram*, ſeu *inſolentiam* - - - - 595.

- - - paſſim de ſeveritate Dei erga populum ſuum adhibetur. - - - - 650.

זרע proprie *ſtrinxit*, *deſtrinxit*; unde *brachii*, & *ſerendi* notio. - - - 601.

ח.

ח.

Pag.

חברברות *lineæ virgatæ*, a Rad. - - 124.

חבר, quæ propr. habet in *virgula nectente & compaginante;* unde teritur in *ſocietate arctiore.* 413.

חר vid. אחר.

חרה proprie *fricari*, *effricari*, unde ad *nitorem*, & *bilaritatem* ac alacritatem, tranſiit. - 661.

חזה & חזז habent in *crenatim ſecando*, unde ad *coruſcationem* & ſplendorem, nec non ad *intuitum* oculo vibranto & coruſco transf. - 188, 215.

חזק propr. habet in *nervo* fortius *vibrato* & *adſtricto;* inde *vinxit*, *firmiter adſtrinxit:* in re bellica, *firmiter tenere contra* hoſtem, *obtinere* tanquam victorem. - - - - 408, 420, 433.

חיל propr. habet in *verſando*, unde transf. ad *virtutem* & *vim* per omnia penetrantem, *robur*, *opes*, *copias* &c. - - - - 428.

חלל proprie *ſolvere;* inde *profanare*, promiscui juris facere. - - - 605.

חלק orig. habet in *glabro*, *lævi*, *lubrico*, unde transf. ad *blanditias*, *bypocriſin*, *aſtutias*, ſtatum *ruinae* &c. - - - 526, 514, 631.

חלש proprie *deradere.* - - - 628.

חמה proprie *fervorem*, *æſtum*, ſpec. *iram æſtuantem* denotat. - - - - 220.

חנף proprie *loripedem eſſe;* unde tranf. ad *bypocriſin*, nec non ad *pronitatem ad lapſum* ſ. interitum. 613.

Pag.

חסן proprie *firmiſſimum* & intactum, dein *theſaurum* firmiſſimo monumento incluſum, denotat. 670.

חצה & חצץ *ſorte diſtribuere* unde hæc ſignif. 263.

חרם proprie *incidere*, *præcidere*, *reſecare*; unde *conſecrationis*, & *devotationis* uſus. 711.

חרף proprie *carpere*, *ſtringere*, *decerpere*; unde notio *ignominiæ*, qua nomen alicujus laceratur, hoſtilis invaſionis & *deſtrictionis*, *autumni* vel *hyemis*. 496, 734.

חשב ab *expoliendo*, *laevigando*, ſpec. ad pernicioſa *conſilia* & molimina ſignificanda transfertur. 562.

חשמל compoſ. ex נחש *æs*, & חלל *aurum rude*. 742.

ט.

טוב quicquid in ſuo genere *perfectum* eſt denotat. 18.

--- Nom. imo & Verb. aliquando adverbialiter uſurpatur pro *valde*, *vehementer*. 19.

י.

יצב in orig. *adparatum* continet; inde *ſiſtere*, præſto exhibere. 328.

יון *Javan* quinam eo nomine appellentur? 212.

ילה idem in orig. cum אלה *pavere*, *ſtupere*. 664.

יצא uſu militari dicit *egredi ad bellum*. 450.

ישר propr. habet in *aequatione*, *complanatione*; unde transf. ad *placitum*, quævis *commoda* & proſpera, *divitias* &c. 414.

כ

Pag.

כאה, כהה, & קהה, propr. habent in *tundendo*, *retundendo*; inde, *reprimere*, *obſtupefacere*. 593.

כבר propr. habet in *duræ* & *compactae rei gravitate*; unde ad *opes* & *divitias* transfertur. - 672, 684.

כוח pro virtute *heroica*, nec non pro *copiis militaribus*. - - - - 220.

כל proprie eſt Nom. *conſummationem* vel *complicationem*, inde *univerſitatem*, denotans. 372, 648.

כלה pro *finiri*, *evaneſcere*, ceſſare. - 650.

... de ſententia & *poena decretoria* uſurpatur. ib. 651.

... & כלל proprie *complicationem*, dein *conſummationem*, denotant; unde varii uſus. 483, 648.

כן & fœm. כנה, *ſurculus* læte excreſcens & obumbrans. - - - 424, 506.

... poteſt & *ſedem* notare ubi quis fovetur vigetque. Rad. eſt. - - - - 425.

כנן proprie *tegere*, *obtegere*; inde in ſinu *fovere*, *obumbrare*, *defendere*. - - 424.

כנף proprie *cingere*, *ſepire*; unde *alae* ſignif. 623.

כסף orig. habet in *pallido* & *lurido*; unde ad vehemens *deſiderium*, & ad *auſteritatem* vultus, transfertur, nec non ad *argentum*. - - - 97.

כשל proprie *adpactus haeſit*; unde transf. ad *malleum*, ad *offenſionem*, *ruinam* &c. - 471, 700.

כתים *Cittaei* quinam eo nomine veniant? Eſt a Rad. - - - 586 ſeqq.

Pag.

צתת *tundere*, *contundere*, forte e ſono ficta. 589.

ל.

ל Præf. pro לפני *coram*. 328.

לא pro *plusquam*. 279.

[illegible] pro *nihil minus quam*. 280.

לוה proprie *circumplicare*, *innectere multis ſpinis ac flexibus*. 630.

לוית corolla, *ſertum plexile*.

לויתן *ſerpens contortuplicatus*.

לחם proprie *ſerere*, *conſerere*; unde *veſcendi*, & *pugnandi*, notiones. 567.

לכד proprium uſum habet in *captura praedae*. 477.

- - - orig. habet in *viſco* & *glutine*; unde *capiendi*, nec non *deceptionis*, ſignif. 495.

מ.

מ Præf. ſæpe habet vim negantem. 437.

מבצרים a בצר proprie *cautes abſciſſae*, *rupes praeciſae*; inde quævis loca *munita* & *ardua*. 561.

מעש *intenſius conſtitutum* & *firmatum* vi ſua denotat. 579.

מלת a מלל de verbis vanis, improbis & contumelioſis uſurpatur. 268.

מלט periculorum & malorum *evaſionem* denotat. 707.

מלל proprie *lento igne excoctum eſt*; inde *emarcuit*,

Pag.

elanguit, ſucco q. exhauſto. 267.

מן *ex*, *de*, eleganter *aliquem* denotat. 425.

מעז *munimentum*, *arx*, locus firmus & bene intortus, a עוז. 429.

- - - poteſt & locum munitum, qui ſecuritatem præſtat rebus aut perſonis, *aſylum*, denotare, a עוז. 503, 604.

מעזה cum ה parag. *arcem*, locum *munitiſſimum*, denotat. 448.

מצעם ex *radendi*, *deradendi* origine, proprie *ramentum* denotat, inde quodcunque *tenue* & *exiguum*, ſpec. *vile* & *contemtiſſimum*. 627.

ממון pro מאמון ab אמן.

מרק proprie *fricuit*, *terſit*, *multo oleo confricuit*; unde ad *fucum* fraudesque transiit. 576.

מרר propr. habet in *torquendo*; unde ad acerbitatem & *amaritudinem*, ad animi *indignationem*, nec non ad *fortitudinem*, transfertur. 450.

מתי *ſocius* aliquando in contentum adhibetur. 628.

נ.

נבו Nom. Dei apud Babylonios, *altum*, *excelſum* p. notans. 662.

נבזה de homine *publica onerato infamia* adhibetur. 521.

נגד proprie *eminuit ante oculos*. 536.

נגח proprie *κόπτειν ferire*, ſpec. *cornu*. 699.

נגיד uſu ſuo denotat *Principem* fortitudine et magnanimi-

Pag.

nimitate *eminentem*, ſtrenuum et animoſum *Ducem* ſeu imperatorem. - - 536.

נגש orig. habet in *fervido impetu*: unde נוגש pro *exactore* &c. - - - - 511.

נוף vid. אנף.

נטש proprie *ſolvere*, *nodis exſolvi*; inde *permittere*, *negligere*, rem promiscui juris facere, ad rapinam, cædem. - - - 264.

נכר ſæpe non *peregrinum* ſimpliciter & in ſolitum: ſed & durum, odioſum ac deteſtabile, denotat. 681.

--- propr. *pungere*, *punctim notare*; inde per metonym. *noscere*, *cognoscere*, *agnoscere*, ſpec. in Hiph. de peregrino hoſpitaliter excepto; & alio flexu, *non agnoscere* pro ſuo, q. d. *diſpungere*. 684.

נסך propr. non *tegere*, ſed *texere*, inde *fuſionem*, vel potius *illitionem* ſeu elaborationem, quae *nitidiorem* reddit rem aliquam vel perſonam, nec non *unctionem* denotat. - - 436.

נפץ *concutiendi* & *quasſandi* habet poteſtatem. 304.

נצר *ſurculum* floride pulchrum proprie notat. 443.

נשא *tollere* ad *vaſtationem* etiam transfertur. 454.

נשים non pellices aut ſcorta, ſed conjuges proprie denotat. - - - - 662.

נשג in orig. confer. cum נסך. - - 436.

נתן in phraſi *dare ſtationem* pro, conſtituere, præficere. - - - - 292.

--- pro *concedere habendum*. - - 524.

Pag.

נתן pro *publicare.* - - - 609.

--- propr. habet in *tendendo.* - - 610.

--- ſæpe eſt, *dare* propoſuit, conſtituit. - 698.

נחש & נטש aliquando permutantur. - 264.

ס.

סכר proprie *pertentavit* ſpecillo chirurgico, in vulnus immiſſo. - - - 268.

ע.

עבר orig. habet in *tumore*, *tumido*, ſoletque de æſtu tumido aquarum, ſe ſupra ripas attollentium, uſurpari. - - - - 446.

ערד Turis unde ſic dicta? - - 372.

עוד ſubinde ſignificat *in poſterum.* - - 579.

עח *confugit ad* robur, Deum averruncum, arcem, a. *aſylum.* - - - - - 503, 604.

עור ſpec. notat *excitare*, concitare ad magnum opus: habet & *æmulationis* ſignif. unde ea *hoſtis* orta eſt. 138, 566.

עש pro acri ſ. *amaro* ſubinde ſumitur. - 277.

עזב inter alia habet ſignif. gregis neglecti, *ſibique relicti*; *faſtiditi*; nec non *deponendi onus* grave. 599.

עוז propr. habet in *torquendo.* - - 429.

עזר propr. habet in *copioſo fluxu*, ut uberis animalis; unde ſignif. *juvandi*, quin & omnium rerum *co-*

pia

Pag.

pia domandi; & de *vindice promtiſſimo* ſæpe adhibetur. - - - - - 626, 707.

על pro *non obſtante*, *quantumvis*: præfert etiam *ſtatus præſentis*, & cum maxime *vigentis*, intellectum. 278.

-- aliquando notat *loco*, *vice* alicujus. - 292.

-- venit etiam pro *Praefecto*; & proprie *ſuperioritatem* notat, a Rad. - - 671.

עלה, quæ orig. habet in *exſuperantia*.

עלע, coll. Hebr. צלע, *coſtam* notat. - 48.

על-פני pro לפני *coram*, *palam*. - - 218.

עם proprie *communitatem*, inde *populum*, denotat. 283, 365, 616.

-- pro ſelecta & præſtantiſſima populi parte adhibetur. - - - 365, 616, 726.

-- pro *copiis* militaribus. Rad. eſt עמם. - 478.

עמר pro culmine & *faſtigio* rei venit: etiam, vehemente impetu, cui reſiſti nequit, incumbere, notat. - - - - 135.

--- adhiberi amat in imperiis ac *praefecturis*, nec non in firma, ſplendida, ac potenti *ſtatione*. 426, 726.

עמם *involvit*, *totumque* ambitu ſuo *comprehendit*. 616.

ענה proprie *fluxit*, inde *reſpondit*, & *ſuccurrit*. 670.

ענמלך Dei alicujus nomen, *Regem opulentum* denotat. 670.

עצם ab *oſſibus*, quorum uſus erat in ſummis computandis, transiit ad firmitatem & *robur*, ſed inprimis ad copioſitatem & *multitudinem*. 225, 281, 567.

Pag.

עצר proprie *ſtringere cum preſſione;* inde inter alia *exſerere, exprimere.* - - - - 416.

עשה pro *acquirere, lucrari.* 415, 580.

- - - orig. habet in *tegendo, operiendo;* inde *facere, incumbere* alicui rei: ſpec. de malis inflictis adhibetur: aliquando etiam redundat. - 430.

- - - aliquando notat tantum, *in animo habere* aliquid facere. - - - - 698.

עשר non tantum *divitias* & opes dicit, ſed & *faſtum*, inde oriundum, ſubinde comprehendit. 141.

עשתרת nomen Deæ Phœniciæ unde derivandum ſit? 658.

עת de *tempore* calamitoſo aliquando ſpec. adhibetur. 420.

- - - - - e contra nonnunquam pro tempore felici & proſpero. - - - 461.

עתק *durabilem* & perennem ac abundantis copiæ ſtatum in emphaſi deſignat. - - 324.

פ.

פדן Arab. *longius extendit.* Notat & colorem *ſaturum* & *rubrum*, ſicut & vicina vox: פדם. 713, 714.

— Syr. & Chald. *campus late patens*, unde *Paddanaram* eſt Syria campeſtris, coll. Arab. פדאן *ager ſativus.* - - - - ib.

פלא & פלה propr. habent in *ſciſſione, abſciſſione;* unde orta ſignif. *miraculoſi, portentoſi*, ſpec. in malum. - - - - - 649.

פלח in S. S. non niſi de cultu Religioſo uſurpatur. 358.

Pag.

פנים ſubinde *inſtantiam* & *impetum* cujuſcunque rei dicit. - - - - 494.

פרע *ſcindere*, *diſſolvere* res nexas. - 491.

פרץ proprie *ſcindere*, *cum laceratione frangere*, ſpec. de aquis, rupto obice, prorumpentibus; unde varii uſus. - - - 470, 471.

פרצב *fruſtum farturæ*, vel *fartura delicata*. 572.

פתת *fregit in fruſta minora*. - - ib.

צ.

צבא de ſtatione miniſteriali in Templo etiam adhibetur. - - - - 292.

צדק inter alia etiam *robur* & *vehementiam invictam* in præliis denotat. - - - 132.

צור & צרר proprie *conſtringere cum ſtridore*. 723.

ציה orig. habet in *complicatione contorta*, qualis eſt funiculi; unde transf. ad *robuſtum*, & *aridum*, nec non ad naves: hinc &.

ציים *deſerticolas* notat, ſ. homines, ſ. feras; & in gen. homines truces, fortes, ac latrocinales. 592, 592.

צער in *magnifico*, ſuperbo, grandiore, etiam *mollli* & delicato *greſſu* & inceſſu teritur. - 703.

ק.

קבל non violentam occupationem, ſed rei *dono* datæ *acceptionem* cum reverentiæ ſignis, vi ſua denotat. - - - - 82.

Pag.

קהה vid. כאה.

קוה in orig. convenit cum צוה. - - 591.

קים adhibetur pro *ſtare* ſ. *ſurgere* ad aliquid faciendum, pro *ſtare in ſummo* vigore, pro hoſtili *ſtatione* &c. - - - 108, 248.

- - - pro *adgredi* aliquid cum ſtudio & impetu. 248.

קטל proprie *ſuccidere*, *amputare*. - - 84.

קצה *ſecuit*, *præcidit*: unde

קצין notat tum Judicem ſ. *arbitrum* ſupremum, tum *Ducem* ſtrenuum. - - - 497.

ר.

רזה in *nervis tritis*, ſeu enervatione virium, teritur. 725.

רמא propr. habet in *jaciendo*, *jaculando*. - 325.

רעל propr. habet in *quatiendo*. - - 715.

רשע propr. habet in *jactatione*, *exagitatione*, ſoletque de homine *improbo*, ſe aliosve exagitante & ſcelerate tractante, & ſpec. de *condemnatione* ad ignominioſum ſupplicium adhiberi. - 612.

ש.

שאנן de orig. & vera ſignif. h. v. diſſeritur.

שאה propr. habet in *diruptione cum fragore*. 471.

שבר ſpec. de *confractione* per gravem tempeſtatem adhibetur. - - - 571.

שכב non ſimpliciter *quiescere*, ſed & *debilitatis contuſisque*

Pag.

ſisque viribus immobilem jacere, non raro denotat. - - - - 498, 499.

שוב teritur in *retroactione* cum clade & ignominia e bello. - - - 439, 504.

--- aliquando ſimpliciter *iterationem* continet, & idem ac *rurſus*, *altera vice*, denotat. - 443.

--- apud Arab. teritur in aquis exuberantibus & *efferveſcentibus*, & inde in *æſtu*, ſ. creſcente, ſ. decreſcente. - - - 494, 503.

--- in Hiph. *redire facere*, pro *reddere vices*. 500.

--- Hiph. cum אף vel חמה, eſt *reſidere facere*, *ſedare*. - - - - 504.

שור & שיר proprie *recta ſerie diſpoſuit*, *tetendit*; unde reliqui uſus. - - - 284.

שות aliquando de impetu vel *impreſſione* hoſtili ſumitur. - - - - - 470.

שחת proprie *rumpere vellendo & radendo*; inde *diſperdere*. - - - - 272.

--- ſpec. uſurpatur de *graſſationibus* atrociſſimis, nec non de opum *corraſione* & ſpoliatione. - 490.

שטף proprie adhibetur de aquis *inundantibus*, & *ſulcos inprimentibus*. - - - 446.

שטר æque ac שֹׁטר *latus* denotat. - - 47.

שכל propr. habet in *maturescendo*, & inde tum ad *prudentiam*, tum ad *proſperitatem*, transf. 620.

שלה proprie *eliquari cum defoecatione*; unde ad *tranquillitatem*, ſecuritatem, & bonorum *abundantiam*,

Pag.

dantiam, nec non ad *inſolentiam* & ſuperbiam, aliaque, transfertur. - - 282, 525, 526.

שלל proprie *extrahere*, ſtringere manum, enſem, veſtem; unde ad *ſpoliationem* transf. nec non de temeritate ſacrilega alicubi uſurpatur. 557, 558.

שמד in Hiph. proprie *inſtar ſtercoris everrere;* unde de *perditione* graviſſima & *ignominioſiſſima* adhibetur. - - - - 710.

שמועה rei geſtæ certam relationem, ſeu *nuncium* ſæpe denotat. - - - 705.

שמים *coeli* ſic dicti a *ſublimitate.* - - 53.

שמם proprie *ſiderationem* tanquam *urente* & peſtifero *adflatu*, & inde tum *obſtupefactionem*, tum *vaſtationem* denotat. - - 607.

שער proprie φρίσσειν *horrere:* uſum habet bellicum. 699.

שפיא Syr. non *clivum*, ſed *planitiem* ſeu vallem notat. - - - - - 713.

שפר *nitere*, *renidere*, *clareſcere.* - - 713.

שפריר deriv. vel a שפר, vel potius a פרר *confregit.* 713, 716.

שקץ ſpec. de idolis & cultu idololatrico uſurpatur: ſed & notat quicquid *immundum* & nefandum eſt, ſpeciatim animalia immunda, maxime porcos. 606.

שת Num. XXIV: 17. quid notat? - - 470.

ת.

תקף orig. habet in *penetrante rigore*, & *invicta duritie ſuperare* aliquid denotat. - - 196.

INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Pag.

Abydeni locus apud Euſeb. emendatur. - 42.

Ada Chald. quænam, & unde ſic dicta? - 661.

Ægyptii circa tempora Darii Medi ſe in libertatem vindicarunt. - - - 96.

Ægyptiaci Regni ſub Lagidis ortus. - 233.

. . . . . illius interitus. - - 344.

Æris emblema. - - - 122. *ſeqq.*

Æſchyli locus explicatur. - - 100.

Alarum emblema. - - 35, 36, 41.

Alcimi Pontificis M. apoſtatæ miſer interitus. 615.

Alexander Bala non fuit filius Ant. Epiphanis. 708.

Alexandri M. prætextus belli ſuſcepti contra Perſas. - - - - 142, 143.

. . . . . illius & ſucceſſorum Regnum ut unum conſiderari poteſt. - - 182, 183.

. . . . . indoles & qualitates ejus deſcribuntur. 197, 8. 201 *ſeqq.* 215, 6. 223, 224.

. . . . . ipſius divitiæ incredibiles. - 204.

Pag.
. . . . . . magna hominum ſub illo cædes. ib.
. . . . . . amplitudo ejus Regni. 205.
. . . . . . illius crudelitas in devictos. 206, 207.
. . . . . . omnibus fuit terribilis. 208.
. . . . . . expeditionum ejus celeritas. 219.
. . . . . . prælia cum Dario. 220 *ſeqq.*
. . . . . . Barbaros pro poſteris ſuis haberi voluit. 241.
. . . . . . ejus mors, & domus exſtirpatio. 225, 226.
. . . . . . qua ratione poſt mortem ejus Regnum varie diſtractum & diviſum ſit? 230 *ſeqq.*
Alilat Dea quænam, & unde ſic dicta. 659.
Anaitis Venus vel Diana Orientalium. 658, 662.
Antiochus Epiphanes quare ſic dictus? 516, 519.
. . . . ejus indoles & mores deſcribuntur. 269, 270, 519 *ſeqq.* 526, 7. 557 *ſeqq.* 644, 685.
. . . . cauſa belli contra Ægyptios ſuſcepta. 533.
. . . . quod feliciter gerit. ib. 551, 552.
. . . . geſta ejus contra Religionem Judaicam. 544 *ſeqq.*
. . . . Expeditio ejus prima in Ægyptum. 565 *ſeqq.*
. . . . foedere fraudulenter pacto, diſcedit ex Ægypto. 572 *ſeqq.*

Antio-

Pag.

Antiochi Epiphani Expeditio contra Judæos. 579 *ſeqq.*

. . . . Expeditio altera in Ægyptum. 583.

. . . . duas, non plures, habuit expeditiones in Ægyptum. - - - 584 *ſeqq.*

. . . . in ultima reprimitur a Romanis. - - - - 586 *ſeqq.*

. . . . Expeditio ſecunda contra Judæos. - - - - 595 *ſeqq.*

. . . . cauſa & occaſio ejus. - 597.

. . . . dein per Apollonium gravius ſævit in Judæos, ſpec. Religionis cauſa. 598 *ſeqq.* 603 *ſeqq.*

. . . . num ſub vitæ finem expeditionem ſusceperit? - - 688 *ſeqq.*

. . . . animus ejus profanus erga Religionem. - - - 653 *ſeqq.* 679.

. . . . ultimum ejus ſacrilegium. 563, 564.

. . . . ejus mors. - ib. 340, 652.

Antiochus Eupator num aliquid molitus ſit contra Ægyptum? - - - - 695.

. . . . Expeditio ejus contra Judæos, ejusque exitus. - 701, 707, 710. *ſqq.*

. . . . ab expeditionibus deſiſtere cogitur. - - - - 705.

Antiochi Magni geſta illuſtria. - 257, 8, 9.

. . . . . . Expeditio in Ægyptum. 441 *ſeqq.*

Pag.

Antiochus Magnus cladem accipit a Ptol. Philopatore. 451.

. . . . . . Cæleſyriam & Palæſtinam ſubjicit. 459 *ſeqq.* 465 *ſeqq.*

. . . . . . quando haec expeditio contigerit. 463.

. . . . . . recuperat illas terres. - 475 *ſeqq.*

. . . . . . quas fraudulento animo dotis nomine cum filia ſua dat Ptol. Epiphani. 481 *ſeqq.*

. . . . . . ſed ſcopo ſuo excidit. 491 *ſeqq.*

. . . . . . a Romanis reprimitur. 492 *ſeqq.*

. . . . . . Expeditio ejus in Thraciam & Græciam. - - - ib. 500, 501.

. . . . . . ultima ejus expeditio infelix, & mors. - - - 502 *ſeqq.*

Antiochus Theos confœderationem init cum Ptol. Philadelpho. - - - 411 *ſeqq.*

Antiochiæ miſera fata. - - - 341.

Apoſtolorum dignitas & magna autoritas. 365, 366.

Appiani loca emendantur. - - 413, 487.

Aquilæ emblema. - - - 20, 35.

Arietis emblema. - - - 150.

Armenici Regni origo. - - 238.

. . . finis. - - - 346.

Artaxerxis Ochi crudelitas. - - 130.

Atargatis Dea Aſſyr. quænam, & unde ſic dicta? 659.

Athe-

Pag.
Athenæus emendatus. - - - 100.
Auri emblema. - - - 19, 20, 23.
Ἄζιζος Deus Edeſſenorum quisnam? - 678.

B.

Babylon fuit urbs ſplendidiſſima. - - 22.
. . . bis a Cyro capta eſt. - - 69 *ſeqq.*
. . . ejus plenaria deſtructio. - 342, 343.
. . . conſpectus hujus caſus relate ad Judæos. ib.
Babylonici Regni magna potentia & amplitudo. 18, 23 *ſeqq.*
. . . . poſt Nebucadn. debilitari cœpit. 43.
. . . . ejus interitus. - - 45, 46.
. . . . ſub Medis reſtauratum eſt. - 89, 90.
Bactriani Regni origo. - - - 237.
. . . . finis. - - - 347.
Beltzaſaris indoles. - - - 45.
. . . . idem eſt ac Laboroſoarchodus. 76 *ſeqq.*
Berenices filiæ Ptol. Philad. cum Ant. Theo conjugium. - - - 410 *ſeqq.*
. . . . miſer interitus. - 417.
Beroſus emendatus. - - - 40, 82.
Bithynici Regni origo. - - - 236.
. . . . finis. - - - - 345.

Pag.

Brachium pro omni robore, præſidio, amicis & ſociis. - - - 95, 478.

C.

Cadere pro ſubjugari. - - - - 455.

Cambyſes admodum crudelis fuit. - 130.

Cappadociæ Regni origo. - - - 235.

. . . . finis. - - - - 345.

Carnem comedere quid phraſis hæc notet! 103, 105.

Chaſidæi quinam? - - - 616 *ſeqq.*

Chriſti Regni characteres & qualitates. - 367 *ſeqq.*

. . . fuit illud fundamentum & complementum Oeconomiæ V. ſpec. Periodi Maccabaicæ. 377 *ſeqq.*

. . . in ordine Regnorum illis ſubjungitur. 388 *ſqq.*

. . . qua ratione cum Periodo Maccab. connexum fuerit. - - - 374 *ſeqq.*

Cornua quid depingant in Viſis Dan.? - 151, 245.

Cyaxares Medorum Rex ſocius fuit Nebucadnezari. 30.

. . . . duas habuit expeditiones contra Niniven. 39.

Cyaxares Xenophontis idem ac Nabonadius & Darius Medus. - - - 79 *ſeqq.*

. . . non fuit filius, ſed frater Aſtyagis. 80.

Cyri bellum cum Aſtyage & Dario Medo. - 86.

. . . non natus eſt ex filia Aſtyagis Medi. - 94.

. . .

Pag.
. . . peculiaris Dei circa eum providentia. 10.
. . . ejus indoles & qualitates. 126 *ſeqq.* 131, 132.
. . . primus equitatum in Perſiam introduxit. 128.
. . . cultui Deorum patriorum addictus manſit. 15.

D.

Dare pro facere, ut ſit. - - - 378.
Darius Hyſtaspes primus tributa Perſis impoſuit. 103.
. . . ejus virtus heroica. - - 129.
. . . crudelitas. - - - 131.
. . . in quibus præ Cyro excelluerit. 152, 153.
Darius Medus idem ac Nabonad. & Cyaxares Xenoph. - - - 79 *ſeqq.*
. . . quo ſcopo diviſionem Regni inſtituerit. 104.
. . . primus monetam auream cudi fecit. ib.
Davidis poſteri poſt Zerubbab. non fuerunt ſupremi Judæorum Duces. - - 539.
Δελέφατ Veneris ſtella, unde ſic dicta? - 661.
Diana Dea quænam, variaque ejus nomina. 658 *ſeqq.*
Dii devictarum Gentium a victoribus ſæpe auferebantur. - - - - 434.
Divinitatem primus Regum ſibi arrogavit Alexander M. - - - 21.
Divitiæ per modum Dei repræſentatæ, & honoratæ. 666.

E.

Pag.

Ellipſium hiſtoricarum exempla. - - 73.

Epiphanica adflictio conſpectum tulit punitionis & caſtigationis Populi. - - - 275, 276.

. . . . ejus duratio. Vid. porro de ea infra voc. *Judæi*. - - - - 294 *ſeqq.*

Evilmerodaci geſta & fata. - - 43

Extremum dierum quid apud Prophetas denotet? 169.

F.

Feræ ſunt emblemata Principum ſævorum, & Tyrannorum. - - - - 6, 7, 8.

Ferri emblema. - - - 196.

Filii vox ubi redundare videtur, quam emphaſin habeat? - - - - 470.

Fines terræ quid in S. S. notent? - - 25.

G.

Gadatæi & *Gobriani* quinam? - - 85.

Græci inde a bello cum Xerxe virtute heroica inclaruerunt. - - - 141 *ſeqq.*

Greſſus apud Orientales vitæ ſtatum deſignant, *greſſus ampli* fortunas ampliſſimas. 703.

H.

Pag.
Habakuk quando vixerit & prophetaverit. - 25.
Heliodori (tempore Seleucidarum) indoles & geſta. 512 *ſqq.*
. . . . . ejus ultima fata. - - 523, 524.
Herodoti duo loca explicantur. - 104, 105.
Hieroſolyma capta & ſpoliata ab Ant. Epiphane. 580.
. . . . . altera vice. - - 595 *ſqq.*
. . . . . dein per Appollonium miſere adflicta. 598 *ſqq.* 603 *ſqq.*
. . . . . arcte obſeſſa ab Ant. Eupatore, ſed liberata. - - - 705, 712.
. . . . . ortus & occaſus reſpectu ſita fere fuit in medio Judææ. - - - 716.

I.

Jaſon Pontifex M. quisnam? - - 545.
. . . miſer ejus interitus. - - 615.
Ignis emblema. - - - 341.
Indici Regni origo. - - - - 239.
Joſephus Hiſtoricus emendatus. - - 29, 464.
. . . . . perperam ei tribuitur Lib. de Maccabæis. 512.
Joſephus alius tempore Antiochi M. 474, 475.
Iſis Dea eſt Luna. - - 659.
Judæorum ſtatus ſub Perſis. - - 125.

Pag.

Judæi tradunt ſe Antiocho M. - 467.

. . . . circa illa tempora ſe in libertatem vindicare conantur. - - 468 *ſeqq.*

. . . . inde a tempore Antiochi M. Syris manſerunt ſubjecti. - - - - 509.

. . . . graviſſime opprimuntur & adfliguntur ab Ant. Epiphane, ſpec. Religionis cauſa & reſpectu. - - 586 *ſeqq.* 595 *ſeqq.*

. . . . Perſecutionis hujus gravitas. 723, 624, 634, 635.

. . . . quando contigerit, & quamdiu duraverit? - - - 294 *ſeqq.*

. . . . ſe illi cum ingenti ſucceſſu opponunt. 629, 632, 633.

. . . . Perſecutionis hujus exitus reſpectu impiorum. - - 611 *ſeqq.* 615 *ſeqq.*

. . . . ſcopus Dei in hac adflictione. - 636.

. . . . poſt mortem Judæ in maximas incidunt anguſtias. - - - - 302, 724.

. . . . melior eorum ſtatus ſub Jonathane. 303.

Juſtificare pro cauſam alicujus tueri & vindicare. 740.

Juſtini Hiſt. locus emendatur. - - 570.

L.

Laboroſoarchodus filius videtur fuiſſe Evilmerodachi. 77.

Laodice cujus fuerit filia? - - - 413.

. . . ultima ejus fata. - - 431 *ſeqq.*

Leonis

Pag.
Leonis emblema. - - 20, 22, 23.
Lydi Chaldæis non fuerint ſubjecti. - 30.

M.

Maccab. temporibus Deus modo extraordinario Majeſtatem & juſtitiam ſuam demonſtravit. 330, 331.
. . . Regnum Dei tunc conſpicuum fuit. 370 *ſeqq.*
. . . Periodi hujus cum Regno Meſſiæ nexus. 374 *ſeqq.*
Macedonicum Regnum, Perſico ſuccedens, felicitati Populi Judaici obſtitit. - 135, 136.
Macedonum ſtatus ante Philippum. - 213.
Maced. Regni poſt Alex. M. origo. - 233.
. . . ejus interitus. - - 343.
Mammon quid vox hæc ſignificet? - 666.
Manum immittere de uſu hujus phraſis. - 702.
Mare embl. eſt Gentium barbararum, nec non magnorum motuum. - - 5.
Mattathias ſe primus Perſecutioni Epiph. opponit. 629.
Medi num Babyloniis unquam fuerint ſubjecti? 30, 32.
. . . illos aliquando Monarchiam tenuiſſe in Oriente, demonſtratur. - - 62 *ſeqq.*
. . . hujus Monarchiæ duratio. - 74 *ſqq.*
. . . inferior fuit Babylonica. - 95.
. . . de illorum indole & moribus. - 97 *ſeqq.*
. . . quosnam populos ſubjectos habuerint. 107, 108.

Medo-

Pag.
Medorum nomine ſæpe Perſæ intelliguntur. 149, 150.
Mediæ Atropatiæ Regni origo. - - 233.
. . . ejus fata & finis. - - 346.
Medo-Perſicum Regnum ſub Cyro & Cambyſe refutatur. - - - - 50 *ſeqq.*
Menelaus Pontifex M. quisnam? - 545.
. . . . miſer ejus finis. - - 615.
Mylitta Dea fuit Venus Aſſyriaca. - 662.

N.

Nabonadius idem fuit ac Darius Medus, & Cyaxares Xenoph. - - - 79 *ſeqq.*
Naſus Orientalibus de eminentia, terribilitate, ſuperbo faſtu, & ſimilibus, adhibetur. - 714.
Nebucadnezar quo ſenſu primus Orientis Monarcha fuerit. - - - 17, 18.
. . . . . . non fuit admodum crudelis. 20.
. . . . . . ſed arrogans & ſuperbus valde. 21, 22, 33.
. . . . . . Expeditiones & geſta ejus illuſtria, Regnique amplitudo. - - 23 *ſeqq.*
. . . . . . num expeditionem in Hispaniam ſuſceperit. - - - 26.
Neriglіſſoris res geſtæ. - - 44.
Ninive bis oppugnata fuit a Cyaxare Medo. 39.
Nominum variatio Orientalibus fuit familiaris. 79.

Nubi-

Pag.

Nubibus cum Coeli quando Chriſtus venire dicitur, quid ſibi velit? - - 363.

P.

Παλαι Græc. de eo, quod proxime contigit, ſubinde uſurpatur. - - - 585.

Pardi emblema. - - - - 124 *ſeqq*.

Parthici Regni limites. - - 177.

. . . origo. - - - 239.

. . . conſpectus ejus relate ad Populum Dei. 353, 354.

. . . illorum virtutes. - - ib.

Pergameni Regni origo. - - - 237.

. . . . finis. - - - 346.

Perſarum indoles. - - 123, 129, 130.

Perſiæ Reges quare Medorum & Perſarum vocentur? 149.

. . . eorum divitiæ, faſtus & ſuperbia. 154 *ſeqq*.

Perſicum Regnum potentia, amplitudine &c. ſuperius fuit Babylonico. - - 53 *ſeqq*. 119.

. . . . in commodum Populi Judaici a Deo deſtinatum fuit. - - - 120.

. . . ejus ſedes, ſeu Metropoles. - - 121.

. . . felicitati Populi Judaici obſtitit. 135, 136.

. . . quando in ruinam vergere coeperit? 136, 142, 144.

Phylarchi locus emendatus. - - 432.

Pag.

Plutus pro Deo habitus. - - 668.

Πόλις Græc. pro tota *inſula*, nec non pro tota *gente*, venit. - - - - 29.

Polybii locus emendatus. - - 659.

Ponere cor, oculos, vultum, de hoſtili adfectu. 486, 487.

Pontici Regni origo. - - 234.

. . . ejus interitus. - - - 344.

Prophetæ non agunt de fatis Populorum, niſi quatenus relationem habent ad Populum Dei. 162, 406.

. . . Regnorum ſeriem terminant in Regni J. C. initio. - - - - - 166.

. . . ut & fata ipſius Eccleſiæ. - 402.

. . . qua ratione de temporibus Maccab. loquantur. - - - 375 *ſeqq.*

. . . vaticinia de Meſſia aliis vaticiniis interſerere ſolent. - - 378, 379, 383.

. . . ſtatum Populi reducis ex Babylonia, ſpec. inde a temporibus Maccab. cum ſtatu N. T. permiſcent. - - - 383.

. . . res repræſentare ſolent ſecundum rei naturam, prima initia, & ſcopum Dei. - 384.

. . . illorum prædictiones ſubinde ſunt conditionatæ. - - - - - ib. 385.

. . . eorum prædictiones de Eccleſia V. T. in Nova terminantur. - - 385.

. . . eorum promiſſa ad quos ſæpe ſint reſtringenda? - - - - 386.

Pag.
. . . ſingularia Dei Judicia ut aliorum ſigna & exemplaria conſiderare ſolent. - 391,
. . . Regnum Meſſiæ in ſumma ſua gloria & ſplendore depingere ſolent. - 393 ſeqq
. . . fatis ejus intermediis neglectis, illius initium & finem confundunt, & ſimul deſcribunt. 400 ſqq.
. . . promiſſorum, quæ fecerunt, implementum quo modo ſubinde intercipiatur? 396 ſqq.
. . . quo usque fata Judæorum pertexant? 399, 400.
Ptolomæi Epiphanis bellum cum Seleuco Philopatore. 508, 509.
Ptol. Euergetes bellum feliciter gerit cum Syris. 422 ſqq.
. . . . . . ſub eo valde floruit Regnum Ægyptiacum. - - - - - 427.
Ptol. Philadelphi confœderatio cum Ant. Theo. 411 ſqq.
Ptol. Philometor magna clade afficitur ab Ant. Epiphane, Regno privatur &c. - 567 ſqq.
Ptol. Philopatoris bellum contra Antiochum M. 441 ſqq.
. . . . magnam illi infligit cladem. 451.
. . . . ejus mollities & luxuria. 452 ſeqq.

R.

Regni Dei initium qua ratione repetatur a temporibus Maccab. - - - 370 ſeqq.
. . . illud non quidem ipſum Meſſiæ fuit Regnum. 374.
. . . attamen multis modis cum eo connexum. 375 ſqq.

Pag.

Regnorum Orientis forma Monarchica. - 8, 9.

. . . . . eorum conſpectus relate ad Populum Dei. 317, 8. 323, 389, 390.

Reſurrectio figurate ſeu myſtice ſic dicta. 729, 730.

Romanorum imperium quam late ſe in Oriente extenderit. - - - 176 *ſqq.*

. . . . . . quando ibi ſummas rei tenere coeperint. 320.

. . . . . . qua ratione Providentiæ Dei erga Eccleſiam inſervierint. - - 321, 348 *ſqq.*

. . . . . . eorum ſocietas cum Judæis temporibus Maccab. - - - 322.

. . . . . . illorum juſtitia & virtutes civiles. - 349 *ſqq.*

. . . . . . maxima potentia, aliis terribilis. - 498.

. . . . . . illorum ferina indoles. - 592.

Rupis emblema. - - - 313.

S.

Σαλαμβὼ titulus Veneris. - - 662.

Sanctorum titulus Angelis proprius eſt in Libro Dan. 272.

Seleucidæ in quo præ reliquis Alexandri M. ſucceſſoribus excelluerint? - - 253.

Seleuci Nicatoris tenuia initia. - 248, 249, 252.

. . . devincit Antigonum, Demetrium, & Lyſimachum. - - - 250, 251.

. . . ejus indoles. - - 254.

Seleu.

Pag.
Seleucus Callinicus infeliciter bellum gerit cum Ægyptiis. - - 422 *ſqq.* 438 *ſeqq.*

Seleuci Philopatoris infelix fatum. - - 505 *ſqq.*

Signum, quod Judæi poſtularunt a Chriſto. in quo conſtiterit? - - 363, 364.

Stellarum emblema. - - - 286.

Surgere pro, aliquid cum ſtudio & impetu adgredi. 49.

Syro-Macedonici Regni origo. - - 233.

. . . . ejus deſtructio cum multis iræ divinæ ſignis. - - 336, 338 *ſqq.*

T.

Templi Hieroſolymitani profanatio. - 603 *ſqq.*

Tyrii circa tempora Darii Medi ſe in libertatem vindicarunt. - - - - 96.

Tyrus quare tam diu obſeſſa a Nebucadnezare? 36 *ſqq.*

U, T.

Venire in, de vi hujus phraſis. - 427, 428.

Venus Dea, & varia ejus nomina. - 658 *ſqq.*

Venti emblema. - - - 319.

Veſci Lat. unde? - - - 567.

Viſa Prophetica qua ratione caſum præſentem vel præteritum comprehendant? 15 *ſeqq.*

	Pag.
Vitæ futuræ cognitio aucta temporibus Maccab.	621.
Umbilicus pro meditullio ſeu centro.	716.
Urania Dea quænam?	658.
Urſi emblema & characteres.	98 *ſeqq.*

CORRIGEN-

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 5. lin. 6. leg. characteres: & ita ubique.
- - 7. - - 29. - - IV p. 56.
- - 11. - - 30. add. ſic Dioni orat. LXII. de *regno & tyrannide* p. 589. δειλὸς dicitur λέων ἐλάφȣ λαβῶν ψυχὴν *leo animum cervi accipiens.*
- - 20. - - 8. adfirmant. Vid. Salmas. ad Hiſt. Aug. p. 328.
- - 20. - - 27. leg. in principe.
- - 23. - - 14. - - prehendet.
- - 29. - - 12. - - Libyæ: & ita ubique.
- - 29. - - 18. add. Atticismus eſt pro λιβυὴν πολλήν. Vid. Cuſter. ad Ariſtoph. Plut. verſ. 694. Exempla etiam protulit Cl. Weſſeling ad Diod. ſ. p. 507. & tom. II. p. 562.
- - 30. lin. penult. pro Medorum leg. Aſſyriorum.
- - 46. lin. penult. add. Vid. Polyænus Stratag. VII: 6.
- - 53 - - 14. Add. Eſt autem vox ארעא formæ comparat. foemin. vid. Cl. Schultens F. in Diſſ. Acad. de *utilitate dialectorum* &c. § 34.
- - 63. lin. antepen. leg. teſtimonia.
- - 70. - - 25. leg. Evagora.
- - 73. - - 11. - - modo datas.
- - 73. - - 13. - - ellipſes.

Pag. 78.	lin. 4.	Add.	vid. Caſaub. ad Capitol. p. 127.
- - 78.	- - 5.	Add.	Alcibiades παῖς adpellatur a Diod. Sic. l. XII. c. 38., cum admodum *puer* non erat, uti Cl. Weſſeling obſervat p. 503. Philippus quoque Macedoniæ rex annos 17. natus, eodem titulo inſignitur a Polyb. l. IV. p. 377, 381. Ptolemæus denique, ne plura proferam, Aegypti rex, cujus juſſu occiſus eſt Pompejus *puero, quam juveni propior* dicitur a Vellej. Pat. l. II. c. 33.
- - 82.	- - 6.	leg.	necem.
- - 89.	- - 7.	- -	Ephraimitas.
- - 89.	- - 18.	- -	in terram.
- - 88.	- - 19.	Add.	Sic περιπλομενυ ἐνιαυτυ *circumvoluto anno* non de *confecto*, ſed *adfecto* anno intelligitur. A. Gell. noct. Att. l. III: 16.
- - 97.	- - 24.	Add.	σκυθρωπὸν καὶ ἄγριον cum Dione Chryſ. Or. I. p. 16.
- - 123.	- - 8.	leg.	nec alius.
- - 132.	- - 17.	- -	*juſtitiæ* voce.
- - 138.	- - 2.	- -	את איש יהודה.
- - 139.	lin. penult.	- -	עמר
- - 141.	- - 17.	- -	ab eo.
- - 142.	- - 26.	Add.	Vid. etiam Xenoph. Hiſt. Gr. l. VI. p. 582.

Pag.